THEOLOGIAE MORALIS GENERALIA PRINCIPIA, QUIBUS ADNECTUNTUR...

Giuseppe Maria Brocchi, Federico Giannetti, ...





PRINCIPIA MORALIA,

ET OPUSCULA

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE,

Juramento, Blaſphemiâ, Voto, & Famâ.

THEOLOGIÆ MORALIS
GENERALIA PRINCIPIA,
Quibus adnectuntur
OPUSCULA
DE FIDE, SPE, ET CHARITATE, JURAMENTO, BLASPHEMIA, VOTO, ET FAMA,

Ex Doctrina celebris jam Doctoris

FRIDERICI GIANNETTI

Ad publicam utilitatem eruta, ordinata, & aucta


AB JOSEPHO MARIA BROCCHI
SACERDOTE FLORENTINO,
In Alma ejusdem Urbis Universitate
Sacræ Theologiæ Doctore.




Illustrissimo, & Reverendissimo Domino

D. HORATIO PANCIATICHI

FESULARUM ANTISTITI VIGILANTISSIMO
ET TURICHII COMITI.








LUCÆ MDCCXIV

Typis Peregrini Frediani.
SUPERIORUM PERMISSU.



ILL.ME, AC REV.ME DOMINE



Oralia hæc Principia, & Opuſcula ex Doctrina eruditiſſimi quondam Viri Friderici Giannetti à me eruta, ordinata, & aucta, cui nuncupentur omni jure Te expetunt,

Illu-

Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Præſul. Hoc ſcilicet exigit Beneficentia ſingularis, qua me Tibi jampridem arctiſſimè devinxiſti: hoc Liberalitas munificentiſſima poſtulat, qua Meos cumulatiſſimè ſemper ornaſti. Quòd ſi ſacrari ea Tibi nolim, ut in illis teſtimonium, aut vectigal qualecumque grati, quem profiteor erga Te, animi deferam; at inſcribi certè à me Nomini Tuo debent, ut publicum aliquando ſiſtam Tibi meæ erga Virtutes Tuas venerationis, & obſervantiæ documentum. Cüi enim vel invito obſequium non extorqueat illarum omnium exemplar, atque compendium undequaque abſolutiſſimum, quod in Te nemo non ſuſpicit, nemo non admiratur? Hoc præcipuè Titulo debentur Tibi, hoc potiſſimùm Nomine ea Tui juris effeciſti. Patere igitur, ut Tuum Tibi reddam, ac ſi quid eſt in illo etiam meum, quod ſentio

quàm

quàm ſit exiguum, eatenus meum eſſe velim, ac prædicem, ut indè venerationem erga Te meam, obſequium, & reverentiam omnes ediſcant, ac deprehendant.

Jam verò vale, Præſul Ampliſſime, & diu vive, ut ad Majora evectus; Doctrinæ Tuæ Præſtantiâ, Conſiliorum Prudentiâ, Morum Suavitate, Vitæque integerrimæ Exemplo; univerſæ prodeſſe poſſis Eccleſiæ, ut prodes Tuæ. Hoc tibi ominatur, & apprecatur ex Corde


Domin. Tuæ Illuſtr.^mæ, ac Rev.^mæ

Humill., Addictiſs., & Obſequentiſs.
Joſeph Maria Brocchi.

EX mandato Illustrissimi, & Reverendissimi D. Octavii Archidiaconi Sardi Vicarii Generalis Capitularis Dioecesis Lucensis vidi librum, cui titulus: *Theologiæ Moralis Generalia Principia, &c.* eruta ex Doctrina celebris Doctoris Friderici Giannetti ab admodum Reverendo D. Sacræ Thologiæ Doctore Josepho Maria Brocchi, & Fidei sinceritati, ac Morum honestati cohærentem, atque Confessariis per utilem, tum ob Doctrinæ claritatem, tum ob Casuum varietatem reperi, & ob id in lucem edi posse arbitror. Hac die 30 Januarii 1714.

Ex Ædibus Canonicalibus S. Thomæ Apostoli.

Lucas Paoli Rector S. Thomæ.



Imprimatur.

OCTAVIUS ARCHID. SARDI VIC. GEN. CAP.

HORATIUS DONATUS DE MANDATO EXCELLENTISSIMORUM DD.

LE-



LECTORI BENEVOLO

JOSEPH MARIA BROCCHI.

CUM mihi præcipuâ quâdam animi mei propensione studio Moralis Facultatis addicto, ex eâque non sinè præcipuo jucunditatis, utinam & eruditionis! fructu, aliquid quotidiè lectitanti novi semper Authores occurrerent, qui eamdem, editis fermè ubique Gentium lucubrationibus, illustraverint; incesserat animum cupido conscribendi ad juvandam privatorum Studiorum meorum rationem Catalogi, in quo ejus generis Scriptorum omnium, si fieri posset, ad minus quamplurimorum objiceretur investiganti notitia, non modo nomina ordine quopiam certo digererem, verùm etiam conditiones, statumque referrem, opera recenserem; præcipuè verò de aliquorum Authoritate, Doctrinâque, pensatis cùm rationum momentis, tum Scriptorum suffragiis, disputarem. Jamque operi,

non animum modo, ſed & manum admoveram. Cum conatus hujuſce mei imaginem qualemcumque intuitus, qui fortè Florentiæ agebat id temporis, Illuſtriſſimus Pater D. Emmanuel Cajetanus de Souſa Ulyſſiponenſis Clericus Regularis Theatinus, non modo eam, etſi informem, ac rudiore manu adumbratam probavit, verùm etiam ſuadere mihi iterum, ac tertiò contendit, ut quam privatæ vel utilitatis, vel delectationis cauſâ curam ſuſceperam, in commune bonum converterem; Catalogumque eo, quem ante retulimus ordine, numeris ſuis abſolutum publicâ luce donarem. Ego verò detrectare onus, quod valentiſſimo cuique multum faceſſat negotii, comminiſci cauſas, & quidem non futiles, aut leves, ut curam ejuſmodi à me omninò amolirer. Quî enim homo ego vix tenui, exiguâque doctrinâ, opus Literariæ Reipublicæ ultrò debere velim ingens, arduum, laborioſum, quod non modo contentione magnâ, ſed quod pluris faciendum eſt, periculo etiam maximo deduci ad exitum neceſſe ſit? Illud enim eſt Sæculi hujuſce, ne dicam hominum vitium, ut quibus inter Scriptores vel voluntatum, vel patriæ, vel vitæ conjunctione, concordiâque copulantur, iis non modo primas plurimi deferant; ſed vel omnino invideant cæteris, vel primis è ſubſelliis turpiter deturbatos ultimo, ſin nullo habendos loco palam denuncient: quantam proinde ſubire, ac ſuſtinere molem invidiæ paratus ſit oportet, qui ſententiam contra Sæculi genium liberè interdum laturus ſit, utque veritatem propugnet, alienæ vel voluntati, vel etiam libidini repugnaturus? Sed fruſtrà laboris moleſtias, fruſtrà

peri-

periculi præsentiam excusabam. Genus utrumque causæ diluit Vir Illustrissimus. Et quidem contumeliosis Sectariorum vocibus veritatis assertorem, ac vindicem minimè deterrendum: minas timeri potiùs, quàm intentari, pericula fingi veriùs, quàm imminere: Laborem verò, & si honesto, studiosoque viro turpissimum semper sit fugere, at levari maximè posse, dicebat, Bibliothecarum, & Universalium (sic enim inscribuntur) & particularium ope, præterea Catalogorum, qui & Romæ, & Venetiis, & Tarvoltii, alibique à doctissimis Viris continuò typis excusi, singulari Literariæ Reipublicæ Bono prodeunt in lucem, quorum usus vix est credibile quantum instituto operi facilitatis sit allaturus. Accedit Virorum illustrium, & à doctrina paratissimorum, quos sin convenire, & adire, at consulere epistolâ quisque possit, lux tanta, ac frequentia incredibilis; in quâ qui principem tenere locum, & eruditionis apparatu longè amplissimo, præterea rerum abditissimarum non tantùm notitiâ, sed ærario, sed penu quodam locupletissimo omnibus excellere videri jure possit, ac debeat Antonius Magliabechius, non ex remotissimis Regionibus, (quod transmarini quamplurimi famâ viri permoti, quâ literis honorificentissimis, quâ longis susceptis itineribus faciunt) invisendus sit, sed in eâdem, ac ego, urbe vivat: mirum proinde ex viri tanti non epistolis, sed alloquio, & quodam quasi contubernio quantum præsto sit opis, comparatumque præsidii, ut non modo laborem illius operis aversari mihi nefas esse confirmaret, sed præclarè etiam actum mecum putare debere, mihique sortem longè faustissimam gratulari.

Quid plura? Dum iſta longiùs perſequitur diſputatque laudatus Pater, non ſecuritate aliquâ, non fiduciâ fretus, ſed Viri ampliſſimi Authoritate commotus, adduci me paſſus ſum, ut illi auſcultarem, & ad illius voluntatem animo ſi non repugnante, certè illibenti tandem accederem. Provinciâ itaque illâ ſuſceptâ, eo ſpectare cæpi, ut opus, quàm pro mea tenuitate poſſem, abſolutiſſimum darem. Ratus proinde me nec operæ pretium facturum, nec publicæ utilitati ſerviturum, ſi purum, ac putum Catalogum texerem, ſatiùs duxi ordinis, ſtructuræque rationem, quam antè retuli, ad hanc Methodum, propoſitumque revocare. Juvat itaque de vera in Morali Theologiâ opinionum Probabilitate diſſerere: quià vero de ratione ejuſdem cognoſcendæ diſputanti, & Probabilitatis genera dividenti, de ea agendum neceſſariò eſt, quam Doctorum, Scriptorumque Authoritas parit, cadere opportunum videri poteſt, ſi eo loco eorumdem Catalogum attexam, de aliquorum Doctrinâ, & Authoritate diſſeram, ad extremum ſi poſt additum in fine materiarum, de quibus diſputant Theologi Morales, alphabeticum indicem, poſt relatas ſeorſum cujuſque rei definitiones, poſt expoſitas, ſicubi occurrant, Propoſitiones uſque in hanc diem ab Apoſtolicâ Sede proſcriptas, Elenchum celebriorum Authorum apponam, qui peculiari, vel tractatu, vel libro materiam quampiam ex deſcriptis cæteris luculentiùs illuſtrarunt. Habes, amice Lector, diagraphicam velut imaginem operis lineis primoribus informatam. Opus ipſum, quia plùs negotii requirit, ac temporis, patere, ut tantùm in præſentiarum tibi promittam. Dabo interim operam,

ut quæ polliceor, Deo bene volente, exitu, quàm potero citatiore, præstem, atque confirmem.

Libellum nunc excipe de Principiis Moralibus inscriptum, quem cur publici Juris facerem, hoc fuit in causa. Cum ad exarandum Catalogum, quem modo spopondi, me compararem, oblata mihi sunt ab altero Amicorum meorum eximii Doctoris, ac Præceptoris in Morali Facultate quondam mei Friderici Giannetti auditore, quæ, cum materiam morum universam explicaret, scribentibus ille dictarat. Ea cum Authore suo, Viro nempe gravissimo, ac eruditissimo digna essem reveritus, facturus è re meá mihi visus sum, Doctorique optimè de me merito gratiam aliquam redditurus, si effecissem, ut ejusdem placita, ac sensa in re morali, labore, atque industriâ meâ aliquâ ad Posteros quoque pervaderent. Itaque Principia hæc Moralia, Opuscula item de Fide, Spe, & Charitate, Juramento, Blasphemiâ, Voto, & Famâ ex Autographis ipsius universis, ditissimâ velut è fodinâ erui, in hunc, quem vides ordinem, redegi, Disputationibus, quæ desiderabantur quampluribus auxi. Tantùm venustatem, elegantiam, cultumque, quo suus illa Author, nisi præmaturâ morte præreptus nobis fuisset, expoliturus erat, impertiri pro mea ipse imperitiâ non valui. Sed habet illud culpa hæc nostra solatium, quod etsì partum optimi Patris, cum in voluntariam, ut ità dicam, tutelam sponte suscepi, singulari ad captandam benevolentiam venustatis, & gratiæ lenocinio fraudavi; at succum, quem Authori debeat suo, at vigorem, at robur, at medullam violare planè non potui, quæ cordatus quisque non

pro-

probet modò, vel amet, sed cupidissimè amplexetur, exosculetur. Eâ proinde lege, ac conditione Libellum hunc tibi trado, Lector Benevole, ut quidquid ex eo capies, aut utilitatis, aut delectationis, Authori eidem referre debeas acceptum: si quid autem oculos, aut animum durius, inconditumque perstringet, culpam in me omnem derives, libentique animo ignoscas. Vale.



SE-

S E R I E S
OPUSCULORUM MORALIUM,
QUÆ IN HOC LIBRO CONTINENTUR.

Opu-

Opu-



INDEX

CAPITUM OPUSCULORUM HUJUS LIBRI

De Principiis Generalibus Theologiæ Moralis .

OPU-

OPUSCULUM PRIMUM

Dæ Fide, & Vitiis oppositis.

OPUSCULUM SECUNDUM

De Spe, & Vitiis oppositis.

OPUSCULUM TERTIUM

De Charitate Dei, & Proximi.

OPUSCULUM QUARTUM

De Juramento .

OPU-

OPUSCULUM QUINTUM

De Blasphemia.


OPUSCULUM SEXTUM

De Voto.

OPU-

OPUSCULUM SEPTIMUM

De Fama.



THE-

THEOLOGIÆ MORALIS GENERALIA PRINCIPIA.

CAP. I.

De Nomine, Definitione, ac Divisione Theologiæ.

I. THeologia sic dicta à nominibus græcis *Theos*, & *Logos*, quorum primum significat Deum, alterum verò significat rationem, seu discursum, si spectetur Etymologia est Sermo de Deo: si verò propriè, & generice sumatur, est Dei, rerumque Divinarum Scientia. Dicitur Dei, quia Deus ipse est principale objectum Theologiæ, in ordine ad quod reliqua omnia considerantur. Dicitur rerum Divinarum, scilicet de iis, quæ sunt Divinæ denominationi extrinseca, quia de ipsis tractatur in Theologia, non ratione sui, sed ratione Dei; ideoque Angeli, Sacramenta, Actus humani, Gratia, Meritum, & similia non sunt objectum primarium Theologiæ, sed secundarium: Divinæ verò res, quæ Deo sunt intrinsecæ, ut Bonitas, Sapientia, Omnipotentia, Intellectus, & Voluntas, cum sint ipse Deus, sunt objectum primarium. Dicitur denique Scientia, quia est cognitio certa, & firma.

II. Dividitur Theologia in eam, quæ est Patriæ, & in

in eam, quæ eſt Viæ. Theologia Patriæ eſt rerum Divinarum clara, & intuitiva cognitio: hanc habent Beati per lumen Gloriæ. Theologia Viæ eſt Dei, rerumque Divinarum obſcura cognitio. Hæc, ſi habeatur per lumen Naturæ, eſt naturalis, qualis eſt Metaphyſica: ſi habeatur per lumen Fidei Divinæ, eſt ſupernaturalis, & definiri ſolet Scientia de Deo, & rebus Divinis per revelationem mediatè accepta. Dicitur Scientia, in ſenſu, quo Sapientiæ 16. dicit Spiritus Sanctus: *Dedit illi Scientiam Sanctorum*: Lucæ primo: *Ad dandam Scientiam ſalutis plebi ejus*: & prima Corinthiorum. 12. *Alii per Spiritum datur ſermo Scientiæ*. Ratio eſt, quia, ut habetur ex Ariſtotele primo Topicorum, & ſecundo Poſteriorum, Demonſtratio, ſeu cognitio ex primo-veris eſt Scientia, ſed cognitio Theologica eſt demonſtratio ex primo-veris, nempe ex articulis Fidei à prima Veritate revelatis, ergo eſt Scientia: unde dicit Apoſtolus ad Hebræos primo: *Fides eſt argumentum*, ideſt elenchus, oſtenſio, ſeu demonſtratio, *non apparentium*, ſcilicet eorum, quæ nec ſenſu, nec naturali ratione comprehenduntur: nec refert, quòd Theologica cognitio non ſit evidens, quia ad Scientiam ſufficit, quòd cognitio ſit certa, & firma; tunc enim requiritur evidentia, quando ex alio capite haberi nequit certitudo, & firmitas aſſenſus. Cum ergo in Theologia id habeatur ex Divina revelatione, cui impoſſibile eſt ſubeſſe falſum, hoc ſatis eſt, ut dicatur Scientia. Dicitur denique per revelationem mediatè accepta, quia Theologia habetur mediantibus articulis Fidei, qui immediatè, & expreſsè fuerunt à Deo revelati.

III. Hæc Theologia Viæ quadrifariàm dividitur, nempe in Myſticam, Poſitivam, Scholaſticam, & Moralem.

IV. Myſtica eſt Dei, rerumque Divinarum cognitio infuſa, mentem ſapidè afficiens, eamque intimè Deo conjungens. Dicitur ſapidè afficiens mentem, quia per cognitionem Dei, & Divinorum excitat in Voluntate guſtum, & dulcem affectum, & tali pacto mentem ab omni inordinatione puram intimè Deo conjungit: de hac videri

deri poteſt S. Dyoniſius Areopagita in lib. ad Timotheum Epiſcopum Epheſinum.

V. Poſitiva eſt cognitio Sacræ Scripturæ, & explicatio rerum Divinarum ſine argumentatione operoſa, qua nimirum aperitur ſenſus Sacræ Scripturæ, & theſes, concluſioneſque Theologicæ, ſine argumentis convincentibus ſtatuuntur.

VI. Scholaſtica eſt Scientia ex principiis Fidei deducens demonſtrativè concluſiones de Deo, rebuſque Divinis: quia per bonam argumentationem colligit poſteriores propoſitiones ex anterioribus.

VII. Theologia Moralis eſt cognitio rerum Divinarum concernentium mores; ideſt actus humanos, prout ſunt conformes, aut difformes rectæ Rationi, & Legi Divinæ: quarè Theologus Moralis non debet in ſubtilitatibus Metaphyſicis, & novitatibus diſcurſum ſuum fundare, ſed eatenus decernere, & ſentire, quatenus mores hominum conformet Legi Divinæ, & hominem à proximo periculo difformitatis avertat: & hoc eſt valde notandum, ne in opinionibus ſectandis, aut firmandis nimia laxitas, vel nimius rigor obrepat.

VIII. Conſcientiæ rectè formandæ duo extrema plurimùm obſtant: primum eſt nimia laxitas, ſecundum eſt nimius rigor in ſtatuendis, vel applicandis regulis morum.

IX. Nimia laxitas eſt receſſus ab obligatione, quam Patres, aut Theologi probati, & Chriſti Fideles communiter admittunt, quod faciunt illi, qui in caſu particulari propter leves ratiunculas eximunt hominem ab obligatione alicujus præcepti, cui eum ſubjicit probatorum virorum authoritas, & uſus communiter receptus. Hanc laxitatem indicat Divina Scriptura nomine Viæ latæ, & Proverb. 22. verſu 28. de illa dicitur: *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* Hæc etenim enervat Divinas Leges, & ab eis aberrandi proximum periculum generat. Scioli namque illi, qui audacter magis, quàm prudenter Legum obligationes in levioribus pro nullis ducunt, paulatim etiam in gravio-

ribus eas immodicè laxant, aut contemnunt, quibus optimè quadrat illud: qui ſpernit modica, paulatim decidet.

X. Hinc ortum habuere laxæ illæ opiniones: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprebenſa gravida occidatur*: quæ eſt 34 inter damnatas ab Innocentio XI. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quin imò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*: quæ eſt 61 inter damnatas ab eodem: *Copula cum Conjugata conſentiente Marito non eſt adulterium, adeoque ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum*: quæ eſt 50 inter damnatas ab eodem. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*: quæ eſt 40 ex damnatis ab Alexandro VII., & aliæ multæ ſimiles, quæ ideò damnatæ fuere, quia hominem in peccatum conjicerent: ac de ipſis dixit Auguſtinus ſermone 22 de verbis Apoſtoli; *Melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia*.

XI. Videndum tamen eſt, ne cum nomine laxitatis confundatur benignitas illa opinandi, atque animas dirigendi, quam ſemper ſectati ſunt viri apprimè docti, qui quoties opinionem ratione valida, & Sapientum authoritate ſuffultam habuerunt, quæ Pœnitenti faveret, ipſam libenter ſunt amplexati: Unde P. Matthæus Stoz Societatis Jeſu, vir eximia pietate, & inſigni literatura celeberrimus lib. 1., parte prima quæſt. 1. art. 7. num. 86. inquit: *In iis enim, quæ ad Animarum ſalutem, pacem, & tranquillitatem faciunt, eamque fovent, benigniora ſunt amplectenda; & horror, qui alioqui in patefaciendis peccatis cernitur, quantum fieri poteſt, mitigandus eſt, ne plurimi à ſalutari Confeſſionis uſu retrahantur*.

XII. Nimius rigor dicitur ille, quo quis obligationes indebitas hominibus imponit, paſſim determinando eſſe peccatum, quod verè peccatum non eſt, vel eſſe mortale, quod non eſt niſi veniale: cum etenim juxtà Auguſtinum pec-

peccatum sit dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem æternam, cui conformis est definitio Ambrosii: peccatum est prævaricatio Legis Divinæ, & Cælestium inobedientia præceptorum; ibi solùm statuendum est esse peccatum, ubi datur Legis prævaricatio; quare alliganda non sunt onera gravia, & importabilia conscientiis aliorum, sine solido, & certo fundamento.

XIII. Unde in Constitutionibus Sancti Dominici in glossa prologi ad literam I habetur: *Declaramus, quod tria sunt præcipuè, quæ salutem Animarum impediunt, &c. Tertium est nimia austeritas in consiliis, & opinionibus; terrentur enim homines in tantum, ut salutem propriam negligant: quapropter relaxanda est quantum fieri potest rigiditas, & austeritas in consiliis, ac homines benignè tractandi sunt.* Et profectò rigor hujusmodi multiplicans peccata repugnat Legi Christi, quia aggravat onus illud, de quo Christus ipse pronunciat Matthæi 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*: & prima Joannis quinto: *Mandata ejus gravia non sunt*: quæ profectò vera non essent, si passim in peccatum mortale nimia austeritas præceptorum homines traheret; quarè meritò scribit Pater Arsdekin è Societate Jesu semper fœcunda virorum insignium tomo 2. parte 2. tract. 1. cap. 1.: *Si hoc onus sequendi rigidiora passim extaret, multum superaret vires imbecillitatis humanæ, atque inde peccata formalia multiplicarentur innumera*; & ibidem versu *quin imò*: rectè notat ex indiscreto rigore plurimas hæreses, & errores in Ecclesiam fuisse inductos, quales fuerunt Luciferianorum, qui dicebant relapsos non esse recipiendos ad pœnitentiam: Petri de Osma, confitentes absolvi non debere, nisi peracta pœnitentia: Lutheri, quòd quilibet timor gehennæ facit hominem hypocritam, & magis peccatorem: Calvini, quòd motus concupiscentiæ etiam involuntarii sunt verè peccata: VViclephi, non licere Ecclesiasticis habere possessiones: Lutheri, fidem amitti quovis peccato mortali: VValdensium, illicitum omninò esse Christianis jurare: Michaelis Baji, nullum esse peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum mereri pœnam

pœnam æternam, & omne, quod agit peccator, vel servus peccati peccatum esse; & alia hujusmodi, quæ ex nimio, & indiscreto rigore processerunt.

XIV. Quoties igitur Moralis Theologus benignam opinionem certò probabilem pœnitenti faventem invenerit eam practicè sequatur, licèt fortasse ipse oppositam judicet probabiliorem; nec rigidus nimis damnet quemquam de peccato mortali, quando illi assistit opinio certò probabilis, quæ eumdem à peccato mortali saltem formali liberat.

CAP. II.

De Conscientia, & ejus Divisione.

I. CUM humana voluntas cæca sit, non potest quidquam amare, vel odisse, nisi intellectus ipsi proponat esse honestum, vel inhonestum, amplectendum, vel respuendum. Talis actus intellectus id proponentis, si proponat in genere, v.g. honestas est amanda, inhonestas fugienda, appellatur Synderesis, seu moralis Sapientia; si verò proponat specialiter in his, vel illis circumstantiis rem hanc amplectendam, vel fugiendam esse, dicitur Conscientia, quæ definitur: judicium practicum, quo hic, & nunc judicamus aliquid esse agendum, vel non agendum idest esse bonum, vel malum, licitum, vel illicitum.

II. Dividitur primò Conscientia in veram, seu rectam, & in falsam, seu erroneam: recta est, quæ dictat licere, quod verè licet; erronea est, quæ dictat licere, quod non licet: porrò error alius est invincibilis, seu inculpabilis, idest cui nulla causa datur; ut cum quis judicat nunc esse licitum mentiri ad vitandum scandalum, vel damnum Proximi, & hic error liberat operantem à peccato; alius est vincibilis, seu culpabilis, nempè cum quis

quis obligatus ſcire an hoc, vel illud liceat, negligit, aut non vult ſcire: & operari cum tali errore peccatum eſt.

III. Secundo dividitur Conſcientia in opinativam, ſeu probabilem, dubiam, & ſcrupuloſam: opinativa eſt, cum quis ratione opinionis certò probabilis practicè judicat hìc, & nunc, ideſt in iis circumſtantiis eſſe licitum ſic agere; dubia eſt, cum quis aliquid agit cum dubio, quod illud ſit illicitum; ſcrupoloſa eſt vana apprehenſio peccati, ubi peccatum non eſt; exempli gratia; cum quis timet, ſe non fuiſſe benè baptizatum, quia fortaſſe Sacerdos, qui illum baptizavit, non habuerit intentionem baptizandi.

CAP. III.

De Regulis Conſcientiæ Rectæ.

I. JUdicium illud practicum, quod de honeſtate objecti formamus, dupliciter contingit; primò per modum conſilii, verbi gratia, cum judicamus eſſe bonum vovere caſtitatem, ingredi Religionem, &c. Secundò per modum præcepti, vel prohibitionis, ut cum judicamus hodie bonum eſſe audire Miſſam, quia urget præceptum diei Feſti; non eſſe pejerandum, quia eſt contra ſecundum Decalogi præceptum, &c. his poſitis.

II. Prima regula ſit: Conſcientia recta purè conſulens non obligat, ut eam ſequamur, quare nemo obligatur vovere caſtitatem, aut ingredi Religionem, & ſimilia, quia de his nullum extat præceptum.

III. Ex hoc deducitur quòd reſiſtere, ſeu non obedire Divinis inſpirationibus, v.g. non audire plures Miſſas, non recitare Roſarium, non amplecti Religionem, licèt in nobis ſentiamus internas inſpirationes ad hæc, nullum eſt peccatum, nequidem veniale, quia ibi nequit eſſe

esse peccatum, ubi non est præceptum, quod violetur; cum ergo ad hæc nullum nos urgeat præceptum, nullum pariter in illis rebus non faciendis potest esse peccatum: quarè frustraneè se fatigant aliqui in perquirendo an Divinis inspirationibus hujuscemodi non obedierint, ut id Confessario manifestent, & si id solum confiteantur, profectò non præbent sufficientem materiam pro recipienda absolutione, ut è Societate Jesu docet Matthæus Stoz lib. 1. part. 5. quæst. 2. art. 3. num. 60.: & videndus in hac materia Joannes Sanchez, qui ingeniosè, ut semper solet, hanc rem exprofesso pertractat per integram Disputationem in suis selectis, disputatione 7.

IV. Secunda regula sit: Conscientia recta præcipiens obligat voluntatem, tum ad non resistendum, tum ad faciendum, vel omittendum aliquid juxta tale ipsius dictamen, & quidem, si materia sit gravis, obligat sub mortali, si verò levis, sub veniali.

CAP. IV.

De Regulis Conscientiæ Erroneæ.

I. PRima regula est: si Conscientia erronea, quæcumque illa sit, dictet aliquid per modum consilii, non obligat ad obediendum, aut ad resistendum: si tamen fuerit vincibilis, illicitum erit ipsam etiam consulentem sequi, peccatur enim amplectendo tale consilium.

II. Secunda regula est: Conscientia erronea invincibilis obligat eodem modo, ac Conscientia recta, scilicet ad sequendum eam, & non contraveniendum ipsi. Ita docet cum communi sententia Valerius Reginaldus Societatis Jesu lib. 13. cap. 8. num. 69., & 71. suæ praxis fori Pœnitentialis: dummodo tamen Conscientia erronea invincibilis dictet per modum præcepti esse aliquid faciendum, vel omittendum: unde opus factum ex hac con-

conſcientia dictante illud eſſe bonum, eſt opus honeſtum, & illius virtutis, quæ ipſum dictat, quia exercetur ſub formali motivo illius apprehenſo ut bono, licèt ſecundum ſe, & præſcindendo à Conſcientia erronea, ſit malum.

III. Tertia regula eſt: Conſcientia erronea vincibilis dictans per modum præcepti quidpiam eſſe faciendum, obligat ad non contraveniendum ipſi, quia ex Apoſtolo ad Romanos 14.: *Quod non eſt ex Fide peccatum eſt*: ſcilicet quod ſit contra Conſcientiam etiam erroneam eſt peccaminoſum, dummodo ea ſit vincibilis, quare ſi hæc dictet non eſſe ſpuendum in Templo, peccat ſpuens cum tali Conſcientia: abſolutè tamen loquendo hæc non obligat ad eam ſequendam, ſed ad eam deponendam.

C A P. V.

De Regulis Conſcientiæ Opinativæ, ſeu Probabilis.

I. OPinio probabilis eſt, quæ ſolida ratione, & authoritate alicujus omni exceptione majoris, vel aliquorum Doctorum in Eccleſia probatorum innititur, nec habet contra ſe textum clarum, aut Pontificiam definitionem, aut aliud quidpiam convincens, cum aliqua formidine de oppoſito. Ità è Sacro Ordine Prædicatorum doctiſſimus Pater Joannes Martinez de Prado tom. 1. quæſt. moral. cap. 1. de Conſcientia quæſt. 1. §. 1. Franciſcus Arauxo in Deciſ. Moral. de ſtatu civili diſput. 9. num. 1. Thomas Sanchez in Summa lib. 1. cap. 9. num. 6., Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2., Angelus M. Verricelli in Quæſt. Moralibus tract. 1. quæſt. 3., & communiter Theologi.

II. Ad clariorem hujus definitionis intelligentiam notandum eſt, quòd regulariter triplex eſt fundamentum, quo

quo nititur opinio certò probabilis. Primum est, quod dicitur intrinsecum, ratio scilicet, quæ quamvis non debeat esse convincens, debet tamen esse non levis, sed firma, & gravis, quæ viros etiam doctos movere possit, & soleat ad assensum. Rationis loco sunt Scripturæ Sacræ Testimonia, vel aliquod Ecclesiæ Decretum, quo talis opinio stabiliatur.

III. Secundum fundamentum est exemplum, seu consuetudo doctorum, ac piorum hominum, quando enim videmus homines doctos, & pios passim frequentare aliquam actionem, non contradicentibus Superioribus, licitum est illorum exemplum sequi, quandiu Lex non contradicit.

IV. Tertium fundamentum est gravis authoritas eorum scilicet virorum, qui in materia morali multum studii, & laboris impenderunt, & non ex aliquo inordinato affectu, aut libidine contradicendi aliis ductos fuisse constat, quando enim hujusmodi homines aliquam opinionem docent, aut sequuntur ut probabilem, non est verisimile ipsos sine solido fundamento id facere, ac proinde habemus prudens motivum juxta ipsorum authoritatem operandi; hæc probabilitas dicitur ab extrinseco, quæ quoad securitatem Conscientiæ eamdem vim habet, ac probabilitas ab intrinseco, ut docent Bardi in Tractat. de Conscientia disp. 4. cap. 1. num. 2. Stoz lib. 1. par. 5. quæst. 3. art. 3. num. 100., Moya de Opinione Probabili quæst. 1. num. 6., & alii communiter, quidquid in contrarium absque sufficienti fundamento doceant Tutiorismi Sectatores.

V. Ex dictis liquet, quod opinio probabilior est illa, quæ melioribus, ac firmioribus rationibus fulcitur: quia ut modò dixi Authores conciliant probabilitatem opinioni non ratione numeri, sed quia ubi sunt plures, & graves Viri præsumi debent meliora fundamenta, ut docent Thomas, & Joannes Sanchez, ille in Summa tom. 1. lib. 1. cap. 9. num. 5., iste in Selectis disp. 44. num. 68. cum aliis plurimis.

VI. Controvertunt Doctores, an quælibet opinio specula-

culativè probabilis, sit etiam probabilis practicè. Joannes Sancius, de Sacramentis disp.44. num.65., & disp.54. num.11. censet nullam esse opinionem speculativè probabilem, quæ etiam practicè talis non sit. Sequuntur hanc sententiam duo illa ex Clericis Regularibus Theologiæ Moralis splendidissima Lumina, Diana, & Pasqualigus: ille part. 2. tract. 13. resolut. 5., iste decis. 362. num. 3. Joannes Caramuel in Apologemat. Epist. 141. num.140. Franciscus de Lugo cap. 3. Marcus Serra Prima Secundæ quæst.19. art.6. dub.4. §. *Docent etiam*, & alii. Oppositum docent Granadus Prima Secundæ tract. 12. disp.4. num. 32. sect. 4. Navarrus in cap. *Si quis* num.57. Franciscus Suarez lib. 5. de Legibus cap. 18. num.2. Salas Prima Secundæ tract. 8. disp. 1. sect. 5. num. 58. & 60. Nicolaus Garzias tom.2. de Beneficiis part.7. cap.1. n.24. Merolla tom.1. disp.3. cap.4. dub.3. num.96., & Becanus tract.1. cap. 4. quæst. 9. num.7.

VII. Utraque opinio conciliari potest dicendo, quòd, si in consideratione speculativa occurrant omnes circumstantiæ, & inconvenientia, quæ in praxi sequerentur, implicat, opinionem speculativè probabilem non esse etiam probabilem practicè, quia nihil de novo occurrit, quod efficere possit, ut judicium practicum à speculativo differat: Si verò prædicta omnia non occurrant, vera est Sententia opposita, videlicet quòd opinio speculativè probabilis non semper est practicè talis: non enim implicat quòd Intellectus in communi judicet, contractum aliquem esse ex natura sua licitum, & tamen attentis postea circumstantiis non posse licitè celebrari, vel propter Legis humanæ prohibitionem, vel propter scandalum, &c.

VIII. Quæres primò: an una opinio probabilis sit tutior altera? Respondeo: ex duabus opinionibus certò probabilibus una non est tutior altera: ita Joannes Sanchez in Selectis disp.44. num.66.; Henriquez in Proemio Summæ, Thomas Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 9. num.14.; Ferdinandus de Castro-Palao part. 1. tract. 1. disput. 2. punct. 2. num. 3.: ratio est, quia esse tutam

opinionem, nihil aliud eſt, quàm quòd operans ſecundum ipſam certus ſit, quod Deum non offendit; ſed id æquè uni, ac alteri opinioni certò probabili convenit, cum non ſit magis certus, quòd Deum non offendit qui unam ſequitur, ac qui aliam, cum omnes prudenter operentur; ergo neutra eſt altera tutior.

IX. Quæres ſecundò, utrum unicus gravis Doctor poſſit ſufficere ad conſtituendam opinionem probabilem? Reſpondeo affirmativè, ſi ſit vir doctus, & prudens, ac in Theologia Morali non parum verſatus: ità Azorius tom. i. lib. 2. cap. 17. quæſt. 6., Angelus Verbo *Opinio* num.1. Sylveſter quæſt. 1. Navarrus in Summa Latina cap. 27. num.88. Sanchez in Summa lib. 1. cap. 9. num. 7. Gabriel Vaſquez in Prima Secundæ tom. 1. diſp. 62. cap. 2. num.12. Baldellus tom.1. Theologiæ Moralis lib.4. diſp.11. num.7. Turrianus diſp.55. de Fide dub.3. Valentia diſp.2. quæſt.14. punct. 4. num. 4. Caſtro-Palaus part. 1. diſp. 2. punct.[illegible]. num. 3., aliique communiter: Ratio eſt, quia eorum, quæ ad mores pertinent veritas acquirenda eſt ratione naturali, ergo ſi Vir doctus, & prudens movetur ad aliquam opinionem ſtatuendam, ſupponitur id facere inventa, & excogitata ſolida ratione, quam alii non excogitarunt, ergo rectè poteſt contra omnes, qui eum præceſſerunt opinionem certò probabilem efficere: ſic Divus Thomas, Scotus, Cajetanus, & alii doctiſſimi Viri plures novas opiniones firmarunt, contra omnes, qui eos præceſſerunt, quas tamen temerarium eſſet dicere non eſſe certò probabiles, unde Dominicus Bannes Sacri Ordinis Prædicatorum graviſſimus Author 2. 2. quæſt. 62. art.5. dub. 4. *Ad argumentum*, inquit, *in rebus moralibus, obſcuris, & difficillimis dicendis mirum non eſt, ſi alicui Viro docto ſeſe offerat aliqua nova ratio, ut opinetur contra communem Sententiam meritò, & non temerariè, & hoc modo plurimæ opiniones ſunt introductæ contrariæ aliis, quæ ſolebant eſſe communes.*

X. Quæres tertiò utrum auctoritas unius gravis Doctoris ſufficiat ad faciendam probabilitatem extrinſecam, quam ſequi tutò poſſimus? Reſpondeo: conveniunt communu-

munissimè Doctores, quòd in casu ab aliis non ventilato, qualis non raro ex variis circumstantiis occurrentibus accidere solet, authoritas unius Viri docti, & in Theologia Morali benè versati sufficiat ad conciliandam suæ opinioni eam probalitatem, quam in praxi tutò sequi possimus: quia tanti Viri authoritas est fundamentum, non leve, sed magni momenti ad prudenter operandum: nec enim prudenter judicare possumus, Doctorem illum non examinasse accuratè illam opinionem, & non satisfacturum argumentis, quæ contra ipsam afferri possent.

XI. Major difficultas est, & quidem gravissima, an in casu ventilato in re Morali ab aliis opinio unius magni Doctoris contra omnes, qui ipsum præcesserunt fiat ex illius authoritate sufficienter probabilis? Affirmant quatuor supra viginti Doctores, quos citat, & sequitur Angelus Maria Verricelli tom. 1. Quæst. Moral. tract. 2. Singular. quæst. 5. quibus addi possunt Serra 1. 2. quæst. 19. art. 6. Joannes Nider in Consolatorio timoratæ Conscientiæ part. 3. cap. 11. §. 3. *Patet in fine*. Donatus tom. 4. in Addit. ad Practicam variarum resolutionum tract. 12. quæst. 37. Acacius Marchi de Velasco tom. 2. resolut. Moral. Verb. *Opinio* resolut. 316. Thomas Hurtadus in Resol. Moral. cap. 8. resol. 8. num. 1018., & Bonaccina tom. 2. tract. 2. disp. 2. de Peccatis, quæst. 4. punct. 9., & favet Divus Thomas Quodlibeto 3. art. 10., ubi dicit, posse quemlibet amplecti opinionem, quam à suo Magistro pio, & docto audivit in his, quæ ad mores pertinent. Ratio est, qua prudenter operatur, adeoque est omninò tutus à peccato, qui facit id, quod esse licitum affirment plures Doctores Classici; sed Doctores nuper citati sunt Classici, & affirmant posse sine peccato adhæreri opinioni unius magni Doctoris contra communem in casu etiam ventilato; ergo id facere licitum est. Huic sententiæ adstipulatur Gallego tract. de Conscientia probabili dub. 21. ubi advertit, quod Angelicus Doctor multa scripsit, & docuit contra alios, qui eum præcesserunt, & tamen ejus opiniones statim ac ab ipso traditæ sunt fuerunt existimatæ probabiles, tum propter ejus magnam authoritatem,

tem, tum quia non levibus motivis inductus est ad sic opinandum: unde rectè notat Villalobos tom. 1. Summæ tract. 1. diff. 4. num. 17. opinionem non esse improbandam, quia ab Antiquioribus tradita non fuit, quod etiam docet ingeniosissimus Caramuel in Apologemate Ep. 4. num. 163., qui variis in locis suorum Operum hoc utitur argumento ad ostendendum Probabilioristis, etiam ex ipsorum Sententia sequendam esse opinionem probabilem, nec opus esse sequi probabiliorem: cum enim ipsi doceant sequendum semper esse quod est probabilius, & probabilius utique sit licitum esse sequi opinionem purè probabilem, nec necessariò sequendam probabiliorem; cum hoc doceant omnes ferè Doctores, ut videre est apud Joannem Angelum Bossium ex Clericis Regularibus Sancti Pauli in Moralibus fortasse nulli secundum, in suo doctissimo tractatu de Conscientia tom. 1. tit. 1. §. 17., & tom. 2. in Appendice contra Candidum Philalethum Probabilioristam, apud Matthæum Homem, Franciscum Bardi, Joannem de Cardenas, Martinum Bresserum, Ludovicum de Scildere, Barnabam Gallego, Honoratum Fabri, & Franciscum Bordonum, qui omnes integros Tomos de probabilitate scripserunt; evidenter sequitur etiam ex Probabilistarum Sententia licitum esse sequi opinionem probabilem, probabiliori relicta.

XII. Si autem Doctor ille, non sit magnus, idest benè versatus in moralibus, sed sit Junior, & Modernus, non sufficit ejus authoritas ad faciendum, ut singularis ejus opinio censeatur probabilis, ut expresè declaravit Alexander VII. in 27. ex propositionibus ab ipso damnatis, die 24. Septembris Anni 1665., & novissimè ostendit è Societate Jesu P. Dominicus Viva in erudito suo opere de propositionibus damnatis, ad prædictam propositionem 27., quæ dicebat: *Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem:* quam propositionem non pauci antea docuerant cum Magistro Acacio de Velasco Episcopo Oriolensi in Resol. Moral. resolutione 316. apud Verricelli tom. 2. quæst. 5.

Hinc

XIII. Hinc fit, quod ex Doctrina superius tradita, licitum est cuicumque Viro etiam docto consulere plures Doctos donec inveniat unum, qui sibi faveat: ita Thomas Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 9. num. 24., Petrus de Tapia Hispalensis Episcopus in sua Catena Morali lib. 1. quæst. 8. art. 14. num. 5. & 6. aliique plures, quos citatos sequitur Zaccharias Pasqualigus decis. 33. num. 4., cui subscribunt prædictus Verricelli tom. 1. Quæst. Moral. tract. 2. quæst. 39., & Machado tom. 1. Discursus practici art. 7. num. 9. Ratio est, quia consulere varios Doctores, & varia volumina voluere ad favorabilem opinionem inveniendam, est medium licitum, & honestum, ergo licitum est unicuique tali medio uti.

XIV. Advertit verò supradictus Verricelli loco citato quæst. 39. §. *Dico tertio*, quod ut quis tutò acquiescat opinioni ejus, quem consulit, ille debet esse Theologus doctus in Theologia Morali: nam non raro accidit, ut magni Nominis Concionator, magnæ Doctrinæ reputetur, & ad ipsum tanquam ad Doctissimum Confessarium recurratur, cum tamen in Re Morali, & Casibus Conscientiæ sit minimùm versatus, & revera indoctus.

XV. Immò addit Bresserus lib. 3. de Conscientia cap. 3. non sufficere Virum doctum in Theologia Scholastica: constat enim multos insigni ingenio, & Doctrina in Theologia Scholastica, parum in Morali, & Casibus Conscientiæ esse versatos, ut tradunt Bardi de Conscientia discept. 4. cap. 4., & Franciscus Bonæ Spei Carmelita in Apologemate retorto dub. 7. resolut. 2.

XVI. Hinc doctissimus Tapia Dominicanus loco supra citato quæst. 8. art. 21. n. 7. monet Principes, ut si velint tuta Conscientia procedere hæc observent in Doctoribus eligendis. Primò, ut quærant Doctores benè callentes materias tractandas: secundò, eligant Viros timoratæ Conscientiæ, qui velint placere potius Deo, quam hominibus: tertiò, caveant ab hominibus ambitiosis, & avaris, qui vel honores, & Dignitates, vel pecuniam aucupantur: periculum enim est, ne interrogati, potius quod placet Principi, quàm quod prodest ejus Conscientiæ

tiæ

tiæ respondeant: & Pater Moya Soc. Jesu Theologus in suis Selectis tract. 1. quæst. 4. §. 5., refert ex revelationibus Sanctæ Birgittæ cap. 48. Regem quemdam damnatum fuisse in Divino Tribunali, quia in his particularitatibus defecerat.

XVII. Quæres quartò, quænam opinio sit censenda propria illius Doctoris, qui refert plures opiniones, & non explicat quam sequatur? Respondeo: regulariter judicandus est docere illam, quam ultimo loco refert: ita Glossa in Lege Qui filium §. *Sabinus* ff. *ad Trebellian.* Decius in cap. 1. num. 32. & sequent. Alexander consil. 67. circa finem lib. 5. Farinacc. in Repert. Judic. quæst. 14. num. 39. Coratius lib. 1. de Commun. opinion. tit. 6. num. 99. Arzoguid. lib. 3. de Commun. opinion. cap. 13. num. 1. quos citat, & sequitur Pasqualigus dec. 6. per totam. Ratio est, quia consueverunt regulariter Doctores id præstare, ut quam opinionem referunt ultimo loco, illam præ cæteris approbent. Si verò aliquam referant, subjungendo, *Tu cogita*, non censentur ipsam probare, sed velle, ut eam sequamur, quæ melioribus fundamentis innititur, ita Farinac. in Repertorio Judiciali quæst. 14. num. 40.

XVIII. Quæres quinto, an opinio Decisionum Rotæ sit reliquis præferenda? Respondeo: nulla est obligatio eam præferendi reliquis: quia cum Auditores Rotæ non habeant authoritatem condendi leges, ipsorum Decisiones sunt mera placita Doctorum, & ita non faciunt nisi opinionem probabilem: nituntur enim rationibus dumtaxat probabilibus: & sanè ipsamet Rota plurimas suas opiniones retractavit recedendo ab olìm decisis: ita Suarez de Legibus lib. 7. cap. 11. circa finem. Vasquez in Primam Secundæ disp. 177. cap. ultimo num. 75. Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 2. num. 10. circa finem, Palaus part. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 3. num. 7., quos citat, & sequitur Pasqualigus decis. 8.

XIX. Quæres sexto, quænam opinio sit præferenda si concurrant duæ, altera rigida, altera benigna? Respondeo: Communis Sententia Theologorum est, benignio-

gniorem esse præferendam rigidæ, dummodo benignior sit certò probabilis: ita Navarrus in Manuali cap. 17. num. 187. Villalobos tom. 1. tract. 1. difficult. 7. num. 1., & Pasqualigus decis. 9., ubi plurimos citat. Ratio est, quia opinio benignior est secundùm Charitatem, & non lædit Justitiam; rigida verò est secundùm rigorem Justitiæ, qui lædit Charitatem: cum ergo Charitas sit Virtus, in qua fundatur Justitia, hæc potius debet mensurari ab illa, atque adeò debet præferri opinio benignior rigidiori.

XX. Confirmatur hoc ipsum, quia quilibet obligatur diligere Proximum, sicut se ipsum, & alteri non facere, quod sibi fieri nollet; ergo sicuti nollet secum procedi opinione rigida, si benigniori tractari posset, ita ex præcepto Charitatis tenetur facere cum suo Proximo.

XXI. Nec valet dicere, unam Virtutem esse non posse contra aliam, ac proinde non apparere, quomodo id, quod fit secundùm rigorem Justitiæ, possit lædere Charitatem: nam licet hoc verum sit, si accipiantur Virtutes præcisè, non est verum, si accipiantur conjunctim cum circumstantiis: sicuti jejunium secundùm se est secundùm Virtutem Abstinentiæ, at si servetur in circumstantiis, quibus graviter lædat ipsum jejunantem, vel impediat opera Justitiæ, aut Charitatis, est contra Charitatem, aut contra Justitiam.

XXII. Ex hoc deducitur, quòd Confessarius cognoscens esse certò probabilem opinionem benigniorem faventem Pœnitenti, obligatur hanc præferre suæ rigidæ, & illum absolvere juxtà benigniorem. Ita Authores communiter cum celeberrimo Doctore Basilio Pontio Augustiniano in lib. 4. de Matrim. cap. 25. num. 8., & docent Salas in 2. part. quæst. 21. tract. 8. sect. 9. num. 82. Montesinos 2. part. quæst. 5. disp. 29. num. 198. Azorius tom. 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 10. Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 1. dub. 12. num. 1. Suarez in 3. Partem Divi Thomæ tom. 4. disp. 32. sect. 5. num. 4. Coninck de Sacramentis disp. 8. dub. 17. num. 135. Diana parte 2. tract. de Opinione Probabili resol. 11. plurimos citans, ubi cum utroque San-

chez, & aliis, damnat talem Confessarium peccati mortalis, si de mortalibus facta fuerit Confessio, quia nisi Pœnitentem absolveret, imponeret ipsi absque legitima causa grave onus, quale est denuò confiteri alteri eadem peccata, quæ illi manifestavit: & hæc vera esse meritò dicit, non solùm quando Confessarius est proprius v. g. Parochus, sed etiam si sit non proprius, ut Regularis, vel alius, qui ex Justitia Confessiones audire non tenetur.

XXIII. Deducitur etiam ex dictis, eligendam esse à Confessario potiùs opinionem favorabilem suscipienti, quàm Sacramento, dummodo de ejusdem valore non agatur, si illa sit certò probabilis. Ratio est, quia Sacramenta instituta sunt in favorem Fidelium; ergo in eorum administratione potiùs favor Fidelium, quàm Sacramentorum est attendendus: quarè, cum sit certò probabilis opinio, quòd possit sub conditione absolvi moribundus, qui, licèt non dederit signa Contritionis, solitus tamen fuit Christianè vivere, debet in casu occurrenti Sacerdos ipsum absolvere: ita Molfesius, Homobonus, Litteratus, Præmolus, Pellizzarius, Delgadillus, Caramuel, Acacius, aliique plures apud Moyam in Selectis tractatu 3. disp. 6. sect. 4. §. 1.

XXIV. Quæres septimò, an licitum sit amplecti opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori? Respondeo esse licitum: ratio est, quia operans secundum opinionem certò probabilem non operatur temerè, nec imprudenter, sed qui non operatur temerè, nec imprudenter non peccat; ergo amplectens opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori, non peccat. Adde, quòd si teneretur homo amplecti opiniones probabiliores, semper esset anxius, & angeretur immensis scrupulis in investigando, quæ nam sit opinio probabilior, imò aliquando invenire non posset, quod enim uni probabilius apparet, alteri fortasse improbabilius videtur. Et ita sentiunt Doctores communiter, & cum ipsis Thomas Sanchez in Summa tom. 1. lib. 1. cap. 9. num. 14. Laymann. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. num. 7. Basilius Pontius lib. 10. de

Ma-


Matrimonio cap. 15. num. 4. Filliucius tract. 21. cap. 4. num. 125. Tannerus par. 2. disp. 2. quæst. 4. dub. 3. num. 36. Matthæus de Moya tract. 1. de Opinion. Probabil. quæst. 6. §. 3. versu *imò verò*. Villalobos in Summa tract. 1. dub. 10. Bartholomæus Ledesma tract. de Pœnit. difficult. 14. concl. 5., & Dominicus Sotus Sacri Ordinis Prædicatorum Author gravissimus lib. 6. de Justitia, & Jure quæst. 1. art. 6. in fine, sic habens. *Quando sunt opiniones probabiles inter graves Doctores, utramque sequaris, in tuto habes Conscientiam.* Unde nescio quomodo pro contraria opinione citari possit hic Author, prout de facto citatur à Paulo Comitolo in suis Respons. Moral. lib. 5. quæst. 15. num. 1. cum in Quartum etiam Sententiarum distinct. 18. quæst. 2. art. 5. ad 5. §. *Unde ad argumentum*, dicat, Confessarium teneri absolvere Pœnitentem, qui sequitur opinionem probabilem, contra propriam ipsius Confessarii probabiliorem, & subjungat debere absolvi, etiam si velit perseverare in contractu, quem juxtà probabilem opinionem putat licitum contra opinionem probabiliorem aliorum, qui putant illicitum.

XXV. Sed ut in hac materia de licito usu opinionis probabilis in rebus moralibus, probabiliore relicta, quæ, his temporibus, à nonnullis Rigoristis acriter impugnatur, & tanquam Communi Doctorum sententiæ opposita, temerè vocitatur, sensus communis Authorum eluceat, elenchum Doctorum, quos videre licuit, qui benigniorem sententiam sequuntur, hìc necessariò ponendum esse duxi, ut constet, falsum esse, quod afferunt aliqui Probabilioristæ neoterici, sententiam scilicet nostram de licito usu opinionis probabilis, probabiliore relicta, esse contra omnes fere Doctores: cum enim hæc sit quæstio facti, non nisi citatione quamplurimorum Doctorum, resolvi potest. Præter Sanchez igitur, & Laymann, Basilium Pontium, Filliucium, Tannerum, Moyam, Villalobos, Ledesmam, & Sotum citatos, docent licere usum opinionis minus probabilis (saltem præscindendo à præjudicio Tertii, articulo mortis, & administratione Sacramentorum, in his enim casibus non omnes admittunt

usum opinionis minùs probabilis, imò etiam nos in aliquibus ex iis, ut ex dicendis patebit, non admittimus) Paludanus in Quartum distinct. 17. quæst. 2. art. 1. Divus Antoninus prima parte Summæ Theologicæ tit. 3. cap. 10. §. 10., ubi citat Albertum Magnum, Panormitanus in Cap. Cappellanus de Feriis num. 6. Didacus Alvarez in Primam Secundæ disp. 80. num. 4. & 9. Joseph Angles in Floribus Theologicis quæst. de Confess. Thomas Zerola in Praxi Sacramenti Pœnitentiæ cap. 22. quæst. 3. Malderus Prima Secundæ quæst. 19. disp. 86. Bonaccina tom. 2. disp. 2. quæst. 4. punct. 9. Barbosa tom. 1. Collect. in lib. 2. Decretal. Toletus lib. 3. Summæ cap. 20. Cardinalis de Lugo de Pœnitentia disp. 22. sect. 2. §. 2. Gamachæus Prima Secundæ quæst. 19. cap. 2. Duvallius tract. de Actibus Humanis quæst. 4. art. 12. Ysambertus Prima Secundæ disp. 9. art. 4. & 5. Ludovicus Bail prima parte Examinis quæst. 13. Sylvester in Summa verb. *Opinio* num. 1. Angelus verb. *Opinio*. Joannes VViguerius cap. 15. Bartholomæus Medina in Prima Secundæ quæst. 19. art. 6. concl. 3. Ludovicus Lopez in prima parte Instructorii Conscientiæ cap. 20. concl. 2. Victoria in Summa de Confessione n. 177. Mercadus de Contract. lib. 2. cap. 5. Nazarius Opuscul. 2. dub. 4. concl. 2. Bannes 1. 2. art. 10. quæst. 1. dub. 3. concl. 4. Cabezudo in Addit. ad 3. Partem quæst. 8. art. 5. dub. 3. Gregorius Martinez tom. 1. in Primam Secundæ ad quæst. 19. art. 6. Petrus Ledesma in Summa par. 2. tract. 8. cap. 22. Candidus tom. 1. Disquis. 3. art. 20. num. 3. Joannes Ildephonsus Baptista in Primam Secundæ disp. 208. dub. 6. fragm. 1. & 4. concl. 5. Paulus de Blanchis in Disceptation. pagina 182. Hacquetus in Primam Secundæ controv. 14. Salonius de Justitia controv. 2. concl. 4. ad articulum 4. quæst. 63. Arragonius in Secundam Secundæ dub. penult. ad articulum 4. quæst. 63. Beja part. 2. cas. 6. Cornejo in Primam Secundæ tract. 8. disp. 3. dub. 6. Lezana tom. 3. de Opinione regulariter tenenda num. 5. Urbanus ab Ascensione in Theologia Morali tract. 1. cap. 11. Lorca in 1. 2. disp. 39. memb. 10. Petrus à S. Joseph in lib. 1. de Legibus cap. 3. Carolus Mallettus tom. 1. Theologiæ Moralis

mal-

malleat. 8. tract. 4. Sayrus in Clavi Regia lib. 7. cap. 4. num. 4. Pelbartus tom. 1. verb. *Opinio* §. 13. Portella in Dub. Regul. verb. *Opinio* num. 3. Joannes Poncius in Cursu Theologico disp. 24. quæst. 3. Petrus Marchantius in suo Tribunali Sacrament. tract. 5. tit. 5. quæst. 6. & 7. Hauzeur tom. 2. epit. ad lib. 1. de Baptism. contra Donat. cap. 4. Bassæus in Floribus tit. de Conscientia, Coriolanus tract. de Casibus Reservatis par. 1. sect. 2. art. 2. n. 2. Caspensis in Cursu Theologico tom. 1. Tract. de Conscient. disp. 3. sect. 2. Gesualdus tom. 1. tract. 24. cap. 5. Jacobus Raggius Cent. 1. part. 3. dub. 46. Leander de SS. Sacramento par. 5. tract. 1. disp. 4. quæst. 10. Hieronymus Garcias in Summa tract. 1. difficult. 5. dub. 2. num. 5. Aversa Prima Secundæ quæst. 28. sect. 18. Diana tom. 1. tract. 13. resol. 1., ubi pro se citat quindecim Doctores, præter citatos à Sanchez, Pasqualigus decis. 5., ubi citat Authores quadraginta quinque, Marcus Vidal in Arca Theolog. Moral. tit. de Opin. Probabil. Inquis. 5. num. 45. Lanfrancus Opusculo primo cap. 4. num. 16. Bossius part. 1. tit. 1. §. 17., & in Appendice ad tit. 1. Homobonus tract. 12. cap. 4. quæst. 17. resolut. 6. Stephanus Spinola in Opusculo de hoc argumento disp. 3. sect. 4. Petrus Morinus lib. 8. de Pœnit. cap. 4. num. 19. Merolla tom. 1. disp. 3. cap. 4. num. 24., ubi pro se citat viginti quinque Doctores, Guazzinus in Tractat. Moral. lib. 2. cap. 26. num. 14. ubi alios triginta Authores enumerat pro hac sententia, Joseph de Januario resol. 61. num. 5. cum aliis septem ab eo citatis, Martinus Navarrus in Manuali cap. 27. n. 288. Petrus Navarra lib. 3. de Restitut. cap. 1. num. 237. Joannes Medina Cod. de Restit. quæst. 22. Montesinos in Primam Secundæ disp. 29. quæst. 5. §. 3. num. 177. Joannes Sanchez disp. 42. num. 12. Nicolaus Gargias de Beneficiis par. 11. cap. 5. num. 361. Hieronymus de la Rua tom. 2. contr. 6. dub. 6. Ochagavia de Sacram. Baptismi quæst. 11. num. 11. Trullench tom. 2. lib. 8. cap. 1. dub. 6. num. 1. Rocafullus in Praxi par. 3. tract. de Conscientia lib. 3. cap. 6. num. 49. Guttierez lib. 1. Canonic. Quæst. cap. 13. num. 23. Joannes de Solorzano de Jure Indiarum cap. 2. num. 38. Joan-



Joannes Macado de Perfecto Confessario art.3., ubi citat quadraginta quinque Authores, Pesantius Prima Secundæ quæst.19. art.6. disp.2. num.3. Carbo in Summa tom.1. par.1. cap.14. Lælius Zecchius in Summa tom.1. cap.4. num.7. Joannes Vuigers Prima Secundæ quæst.19. art.6. dub.6. Mercerus in Tertiam Partem pagina 382. David à Mauden in Decalog. discursu 2. pag.1031. Sylvius Prima Secundæ ad quæst.19. art.5. quæst.9. concl.3. Gaugericus Hispanus in Addit. ad Summam Cajetani verb. *Opinionis usus*. Richardus Hallus tract. de Conscient. lib.2. cap.9. Suarez in Primam Secundæ disp.12. sect.6. Vasquez Prima Secundæ disp.62. cap.4. num.14. Valentia Prima Secundæ disp.2. quæst.14. punct.4. Granado Prima Secundæ tract.12. disp.4. sect.3. num.23. Lessius lib.2. de Justit. cap.29. num.68. Becanus in Summa par.2. cap.4. quæst.9. num.15. Salas Prima Secundæ tract.8. disp. unica sect.6. Coninck tom.2. de Sacramentis disp.34. num.84. Oviedo in Prima Secundæ tract.3. controvers.3. punct. 2. Arriaga Prima Secundæ disp.24. sect.1. Pallavicinus Prima Secundæ disp.9. quæst.4. art. 4. Henriquez lib.14. cap. 3. num.3. Azorius lib. 2. cap.16. quæst. 3. Valerius Reginaldus in Praxi Fori Pœnitentialis lib.13. cap.10. sect.2. Gordenus lib.1. quæst.9. num.33. Castropalaus part.1. disp.2. punct.2. Baldellus lib.4. disp.12. num.1. Bresserus lib.3. de Conscientia cap.8. Joannes Nider in Consolatorio cap.11. & 12., ubi citat VVillelmum, Altissiodiorensem, Ulricum, Monaldum, Umbertum, Goffridum, & alios, Joseph ab Augustino in Notitia brevi de Conscientia num.9. Antonius de Escobar in Summa cap.3. de Conscientia, Ludovicus Abelly in Medulla Theologica par.2. de Actibus Humanis sect.6. Victorellus in Notis ad Possevinum de Officio Curati cap.7. de Pœnitent. num.52. Jacobus Mancinus in Appendice ad Practicam visitandi Infirmos dub.6., & ibi Cutillus in Addit. dub.2. Hieronymus Frezza in suo Templo Morali Tractatu de Conscientia quæst. 15. Franciscus de Lugo de Sacram. lib.1. cap.1. quæst.4. n.43. Stephanus à S. Gregorio de Confessionis Sacramento cap. 52. num.5. Marchinus in suo aureo Tractatu de Peste, & obli-

obligationibus tempore Pestis par. 2. cap. 5. num. 11. & par. 3. cap. 4. Luisius Turrianus in Selectis par. 1. disp. 30. Megala in Consiliis tom. 1. conf. 7. num. 6. Angelus Possentius in Recollect. Quæst. Moral. verb. *Opinio* num. 3. Naldus in Summa verb. *Opinio*, Joannes Franciscus Suarez in Enchirid. seu potius verò nomine Theophilus Alarius Barnabita in Canon. Conscient. num. 3. tract. de Casibus Conscientiæ, Reverendissimus Caramuel in suo tractatu de Probabilitate, Andræas Mendo in suo Epitome disc. de Opinion. probabil., & in Statera Opinionum Benignarum, Emanuel Sa in Aphorism. verb. *Dubium*, Jacobus Coreglia in Explic. proposit. 27. ab Alexandro VII. damnatæ, Ludovicus de Scildere, saltem in aliqua parte, in suo tractatu de Principiis Conscientiæ, Cabrinus in suo erudito Opere de Casibus Reservatis par. 1. resolut. 15. Tamburinus in Decalogum cap. 3. de Conscientia §. 3. Dominicus Viva in sua doctissima expositione damnatarum Thesium ad propositiones primam, secundam, & tertiam Innocentii XI., et 27. Alexandri VII. Ludovicus Nogueira in suis Quæst. Singular. Theologiæ Moralis disp. 4. quæst. 92. num. 4. Doctissimus Mastrius in Theol. Morali disp. 1. quæst. 4. art. 1. num. 66. Bustembaum lib. 1. tract. 1. cap. 2. de Conscientia num. 1. & sequent. Zuccherius in Appendice de Eucharistia, ubi de Opinion. Probabil. n. 2. Stoz lib. 2. quæst. 4. num. 132. Arsdekin tom. 2. par. 2. tract. 1. cap. 2. §. 4. Gabriel Beatus quæst. 5. de Opinion. probabil. in suis Quæst. Moral. selectioribus, Anacletus Reiffenstuel in sua Theol. Moral. tract. 1. diss. 3. quæst. 4. de Conscientia probabil. Eruditissimus, & amicissimus Joannes Clericatus in Erotemat. cap. 2. num. 5. Zambranus in Decis. Cas. Conscientiæ tempore mortis occurrentium circa Sacramenta cap. 1. dub. 1. num. 3. Tobias Lhoner in Instructione practica de Confess. cap. 3. de Scientia Confessarii, Joseph Rossellus de Scrupulis cap. 41. num. 8. Zambellus in Repertorio Morali verb. *Opinio* num. 1. Amicus disp. 15. sect. 4. quibus addi possunt doctus Joannes Euphrates in sua Cynosura Neoconfessariorum par. 1. punct. 1. n. 12. Serra, Lao, Verricelli, Orellana, Mol-

Molfesius, Bardi, Ferrer., Lalovera, Gobat, Morettus, Julius Clemens Scotus, Pellizzarius, Balthassar Francolinus, & alii plures, quos citant, & sequuntur in suis doctissimis Opusculis è Societate Jesu Stephanus Dechamps, & Honoratus Fabri, ille in Quæstione facti de sententia Probabilitatis, hic in suo Apologetico Doctrinæ Moralis Jesuitarum in Opusculo Anonymi contra Anonymum cap.2. Quis ergo numeroso, & nobili huic Authorum manipulo non cedat? Vel potiùs quis opinionem, quam tot ac tanti Authores defendunt, ut practicè probabilem non admittat, imò ut longè probabiliorem opposita, quam cum Sinnichio, Candido Philaleto, Comitolo, Vincentio Baronio, Octavio à S. Joseph, Simeone à S. Cruce, Arauxo, Merenda, & paucis aliis defendunt Fagnanus in Capite *Ne innitaris*, Pater Jacobus à S. Dominico, apud Joannem de Cardenas Soc. Jesu (qui omnium fusissimè, & doctissimè nostram sententiam defendens integrum Tomum in folio de probabilitate conscripsit) ac novissimè Blasius Majoli in suis Literis Apologeticis, meritò quidem statim à Sacra Indicis Congregatione una voce damnatis, prout in tom.9. art.14. Eruditissimi Diarii Licteratorum Italiæ refertur. Hanc igitur sententiam de licito usu opinionis probabilis, in qua omnes fere casuum decisiones fundantur, utpote ab omnibus ferme Doctoribus traditam, in praxi tutissimam esse negari non potest, quidquid in contrarium frustra probare conentur Probabilioristæ neotherici, quos satis superque refellunt in suis operibus citati Cardenas, Dechamps, Faber, ac Bossius.

XXVI. Quæres octavo, an licitum sit sequi sententiam alienam minus probabilem, contra propriam probabiliorem? Respondeo esse licitum, ita Sanchez lib. 1. Moral. cap.9. num.15. Palaus T.1. tract.1. disp.2. punct.2. Stoz lib.1. par.5. quæst.3. art.3. num.112., & alii communiter: quia sic operans sequitur Judicium practicum dictans alienam Opinionem esse certò probabilem, ac propterea non operatur temerè, nec imprudenter illam sequendo. Poterit etiam ex hac eadem ratione Confessarius,

rius, vel alius quilibet Doctus contra propriam opinionem probabiliorem respondere aliis, & dare consilium juxtà sententiam minùs probabilem; ita cum nuper citatis Bonaccina de Peccatis disp.2. quæst.4. punct.9. n.6. Joannes Sanchez disp.44. num.50. Diana part.2. tract.13. resolut.14., & alii apud istos.

XXVII. Quæres nono, an etiam in administratione Sacramentorum licitum sit sequi Opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori? Respondeo: In duplici differentia sunt Opiniones circa Sacramenta; aliæ enim versantur circa Sacramenti valorem, aliæ circa ipsius administrationem. Ex: gratia: Opinio, quòd valeat Sacramentum Baptismi collatum sub forma *In nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque* versatur circa valorem Sacramenti: Opinio verò, quæ dicit posse sine mortali dispensari Eucharistiam à Sacerdote existente in mortali, est Opinio circa administrationem Sacramenti. His positis dico.

XXVIII. Quando Opinio versatur circa valorem Sacramenti, non licet amplecti opinionem minùs probabilem relicta certa, vel probabiliori: exempli gratia est certum valere Baptismum cum aqua naturali, est tantum probabile valere in aqua rosacea; non est licitum omittere aquam naturalem, & baptizare cum aqua rosacea: quamvis enim probabile sit, Baptismum valere in rosacea, non est probabile posse in illa administrari, si aqua naturalis haberi possit; atque adeò sic administrans mortaliter peccat, & exponit se periculo faciendi invalidum Sacramentum, & subjiciendi sic baptizatum æternæ damnationi: & prudentia exigit, quòd, si Proximo, & Sacramento simul consulere possimus cum materia, & forma certa, vel probabiliori, non consulamus cum incerta, & minùs probabili: ità Doctores communissimè, & opposita sententia meritò fuit damnata ab Innocentio XI. in propositione prima, quæ dicebat: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

XXIX. Excipe casum necessitatis, in quo deficiente

aqua naturali, esset moriturus sine Baptismo puer, nisi baptizaretur in rosacea: tunc enim posset, imò deberet sub conditione aqua rosacea, vel alio probabili humore baptizari, quia melius est periclitanti de æterna Salute succurrere remedio dubio, quàm nullo: Moya de Opinion. Probabil. quæst.9. tract.1. num.13.

XXX. Si verò agatur non de valore Sacramenti, sed de ejus licita, vel illicita administratione, licitum est sequi Opinionem minùs probabilem relicta probabiliori. Ratio à priori est, quia principium universale, quod probat esse licitum sequi opinionem minùs probabilem, idem probat in quacumque materia (exceptis casibus supra positis num.25.) quia opinio certò probabilis semper constituit operantem conformem rectæ Rationi; nam illam sequens format judicium practicum certum, quod hic, & nunc sibi liceat operari: ergo qui Opinioni practicè probabili circa licitam administrationem Sacramentorum adhæret, prudenter, & juxtà Rationem operatur. Unde Cardinalis de Lugo disp.7. de Pœnitentia sect.13. num.273. inquit: regula illa, quòd in operando liceat sequi sententiam probabilem vera est in universum, si sermo sit de ultimo judicio circa licitum, vel illicitum hic, & nunc: neque obstat illa alia regula, quæ dicit circa materiam, & formam Sacramenti Baptismi, & Ordinis saltem Sacerdotalis, non licere sequi sententiam probabilem; nam ibi non est sermo de probabilitate circa licitum, sed circa valorem materiæ, & formæ: & infra subjungit num.275. In quæstione practica, ubi agitur de Obligatione practica hic & nunc, licitum semper est amplecti sententiam probabilem. Sequuntur hanc opinionem, quæ est communissima, Petrus de Ledesma in Summa tom.2. tract.1. de Fide cap.5. post sextam Conclusionem, Velasco tom.2. Resol. Moral. verb. *Opinio* Resol.316. & 320. num.2. Serra 1. 2. tom. 2. quæst. 19. art.6. dub.4. Medina 1. 2. quæst.19. art. 6. quæst.5. §. *Cæterum magna est*, Prado tom.1. Theologiæ Moralis cap.1. quæst.6. n.6. Moya tract.1. de Opin. Probabil. quæst.9. num.3. Stoz lib.1. part.5. quæst.3. art.3. num.118. Sanchez lib.3. de

Ma-

Matrimon. disp.20. num.4. Castro-Palaus tom.1. tract.1. disp.2. punct.5. num.5., & alii apud ipsos.

XXXI. Quæres decimo, an etiam tempore mortis liceat sequi opinionem minùs probabilem? Respondeo licere: ratio est, quia quod fit sine periculo Deum offendendi, licet facere etiam tempore mortis; sed sequi Opinionem minùs probabilem fit sine periculo Deum offendendi, quia fit prudenter, ut supra ostendimus; ergo licet facere etiam tempore mortis. Ita Joannes Sanchez disp.19. num.8. Diana par.2. tract.13. resol.9. Pasqualigus Decis.27. Stoz loco nuper citato num.120., & alii plures. Nec valet dicere tempore mortis esse amplectendam Opinionem tutiorem, quia, ut vidimus supra hoc cap.5. n.8., quando Opiniones sunt certò probabiles, omnes sunt æque tutæ, quia omnes liberant à periculo Deum offendendi.

CAP. VI.

De Regulis dirigendi Conscientiam Dubiam.

I. Dubium est fluctuatio Intellectus hærentis inter utramque partem contradictionis, quia nescit se determinare, cui præstare debeat assensum: si contingat hæc fluctuatio, quia ex neutra parte occurrunt Intellectui rationes, appellatur dubium negativum, si verò occurrant hinc inde rationes, propter quas Intellectus maneat suspensus, dicitur dubium positivum.

II. Rursus, Dubium aliud est Juris, aliud est facti: Dubium Juris est suspensio Intellectus orta ex ignorantia Legis, verbi gratia, an percussio Clerici sit prohibita sub Censura: Dubium facti est suspensio Intellectus orta ex ignorantia Objecti, verbi gratia, an Clericus ex percussione mortuus sit. His præsuppositis

III. Prima regula sit: quòd quis non sit memor se

aliquid fecisse, non est sufficiens causa prudenter dubitandi: Stoz lib.1. par.5. quæst.3. art.4. num.124.

IV. Secunda regula: in dubio melior est conditio possidentis, idest cum oritur dubium circa aliquod, possessio est titulus sufficiens ad practicè judicandum in favorem possidentis: exempli gratia, possideo rem mihi traditam à meis Majoribus, suboritur dubium an mea sit, si factis debitis diligentiis non assecutus sim certitudinem veritatis, possessio facit, ut licitè possim ipsam retinere. Et hoc locum habet non solùm in materia Justitiæ, sed etiam cujuscumque alterius Virtutis, v.g. Religionis, Obedientiæ, Temperantiæ, & similium: Bonaccina de Peccatis disp.2. quæst.4. punct.7. num.13. Suarez de Relig. tom.2. tract.6. lib.4. cap.5. num.7., & tom.5. in tertiam partem disp.40. sect.5. num.15. Sanchez lib.1. de Matrim. disp.9. num.11. & lib.2. disp.41. num.32. Palaus tract.1. disp.3. punct.6. num.1. Coninch de Sacram. disp.34. dub.10. n.86., & alii quamplurimi.

V. Ille porro possidere dicitur, cui non incumbit onus probandi: ille è contra non possidet, qui habet onus probandi: exempli gratia, feria quinta dubitat quis, an advenerit media nox, & inceperit feria sexta; si adhibitis diligentiis adhuc dubitet, potest comedere carnes, quia cum feria quinta sit in possessione comedendi carnes, incumberet, ex modo loquendi, feriæ sextæ onus probandi prohibitionem advenisse. E' contra si die Sabbathi dubitet quis, an transacta sit media nox, non potest comedere carnes, quia dies Sabbathi est in possessione prohibendi carnes, donec dies Dominica probet, se jam incepisse. Quare si priùs sit obligatio præcepti, & dubium adveniat post, possessio stat pro præcepto: si verò priùs sit libertas, & posteriùs dubium adveniat de obligatione præcepti, possessio stat pro libertate; undè qui facit votum, & postea dubitat, an voluerit se obligare, tenetur ad votum, quia possessio stat pro voto, donec non probetur non adfuisse animum se obligandi: si verò quis dubitet, an votum emiserit, non tenetur ad votum, quia possessio stat pro libertate.

Ter-

VI. Tertia regula sit: ut ex orto dubio formetur judicium practicum circa rem, debet deponi dubium assensu determinato in alterutram partem: Bonaccina loco citato num.12. & 13. Id autem debet fieri per motivum aliquod rationabile, non verò per arbitrarium affectum voluntatis, quare adhibenda est diligentia, ut Veritas deprehendatur. Si autem adhibita diligentia non deprehendatur Veritas, stabit pro libertate possessio, & titulo hujus possessionis poterit deponi dubium, & contra ipsum operari.

VII. Regula quarta sit: quando agitur de gravitate oneris impositi, in dubio semper pro leviori præsumendum est: quod habet locum præsertim in oneribus, quæ quis sponte sibi imposuit, ut sunt vota: unusquisque enim præsumitur se voluisse gravare minùs, quàm potuit, ut patet *ex L. quidquid adstringendæ ff. de verborum obligation.*, & favet Regula secunda Juris ibi: *Ea facta, quæ dubium est pro animo fiant, in meliorem partem interpretemur;* quod vel maximè locum habet in pœnis per regulam 15. in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.*

VIII. Regula quinta sit: non licet operari cum dubio practico de honestate, vel pravitate actus: ratio est, quia operans cum tali dubio non curat, an illud, quod agit, sit peccatum, nec ne, atque adeo amat, & vult malitiam peccati, si fortè hæc insit actui: Sanchez lib.2. de Matrim. disp.41., & alii communiter. Porro peccatum in eo casu est illius speciei de qua dubitatur: exempli gratia, si Diaconus cum dubio an sit mortale sacrilegium, nec ne, canere solemniter Evangelium in mortali, illud nihilominus canat, peccat peccato mortali sacrilegii.

IX. Regula sexta sit: qui peccat cum Conscientia dubia, non est obligatus ad hanc circumstantiam in Confessione explicandam: exempli gratia, qui dubitat, an hodie sit dies festus, & non audit Missam, satis est, si se accuset non audisse Missam die, in quo aderat præceptum illam audiendi. Ratio est, quia dubium illud non addit actui novam malitiam diversam ab illa, quam habet per se

ſe objectum: Bonaccina de Pecc. diſp.2. quæſt.4. punct.7. num.3.

X. Regula ſeptima ſit: ea, quæ ſunt facti, in dubio non præſumuntur: ita communiter Juriſperiti *ex L. in Bello*, §. *Facta ff. de captivis*, *& poſtliminio reverſis*. Excipe quando conſtat de facto principali, & dubium eſt de acceſſorio, quod debuit, aut conſuevit fieri; tunc enim præſumitur illud acceſſorium fuiſſe factum: exempli gratia, quando conſtat de voto, & dubitatur, an adfuerit animus ſe obligandi, præſumitur adfuiſſe, quia præſumitur factum, quod de Jure faciendum erat; & nemo operans exiſtimandus eſt omiſiſſe id, quod erat neceſſarium, ut faceret: alloquin præſumeretur delictum, quod nunquam eſt præſumendum, ut cum multis probat Menochius in ſuo doctiſſimo Opere de Præſumptionibus lib.6. præſ.14. num.6., & Maſchardus de Probationibus tom.2. concl. 732. num.10.

XI. Ex dictis deducuntur ſequentes caſus. Primò: qui poſt diligens examen dubitat, an Votum, Juramentum, aliamve promiſſionem fecerit, ad ea obligatus non remanet: voluntas enim non eſt obliganda, niſi conſtet de obligatione, quia poſſeſſio ſtat pro ejus libertate, Sanchez lib.2. diſp.41. num.36. & lib.8. diſp. 20. num.11. Suarez de Religione tom.2. tract.6. lib 4. de Voto cap.5. num.7. & cap.6. num.2. Layman lib.1. tract 1. cap.5. §.4. num.31. facit ad hoc regula illa *nemo ſolvere tenetur, antequam monſtretur eſſe debitor;* & hoc verum eſt, quamvis magis inclinet, ut judicet ſe feciſſe Votum, Juramentum, &c., quia licèt pro Voto, Juramento, &c., fortiores urgeant rationes, ita ut homo poſſidens libertatem, in eam partem magis inclinet; ſi tamen non ſint adeò efficaces, ut illius partis aſſenſum generent, ſed rem adhuc relinquant dubiam, certa alterius poſſeſſio huic inæqualitati præponderat. Et ita, ſe retractans, hanc ſententiam tenet Sanchez tom.1. Summæ lib.1. cap.10. n.36: cui conſentit Diana par.4. Inordinat. tract.3. reſolut.12., & alii apud ipſum.

XII. Secundò, ſi conſtat de Voto, verbi gratia, quia pro-

prolata sunt verba in rigore significantia promissionem factam Deo, & dubium sit an prolata fuerint animo se obligandi, præsumptio stat pro obligatione: alioquin si præsumeretur non habuisse animum se obligandi, præsumeretur delictum, quod non est supponendum: Sanchez lib.1. de Matrim. disp.9. num.13. Covarruvias, Palaus, Sotus, & alii. Similiter si constet de Voto, dubitetur verò, an sit impletum, est obligatio implendi; nam adimpletio est quid facti, quod in dubio non præsumitur: Layman citat. lib.1. tract.1. cap.5. num.31. Sanchez, & Suarez, Lopez, & alii apud ipsum.

XIII. Tertiò: certus de voto, dubius autem an sufficientem deliberationem habuerit, tenetur ad votum, cum in actu non præsumatur defectus, nisi probetur.

XIV. Quartò: dubitans an sobrius, vel ebrius, vigil, vel somnians voverit, non tenetur ad Votum, quia dubium versatur circa existentiam actus, & ideo possessio stat pro libertate: Suarez loc. cit. num.9., & Palaus n.8. apud Stoz lib.1. part.5. quæst.3. art.5. num.139.

XV. Quintò: certus de Voto, & dubius de qualitate graviori, vel minùs gravi, tenetur tantum ad minùs gravem, quia actus præsumitur gestus ita, ut minùs, quàm fieri potest, sit onerosus voventi.

XVI. Propterea qui vovit Religionem, & dubitat, an voverit in communi, vel hanc in particulari, potest ingredi quamlibet laxiorem, itaut si in laxiorem non admittatur, non teneatur ingredi strictionem: Joannes Sanchez disp.43. num.3., cum aliis.

XVII. Similiter: qui vovit, vel juravit non habere copulam cum fœmina, dubitat verò, an intellexerit de copula licita, vel illicita, non tenetur abstinere nisi ab illicita, & sic potest contrahere nuptias: Stoz loco cit. num.140.

XVIII. Item: qui certus est se vovisse Castitatem, & dubius est an temporalem, vel perpetuam, an omnimodam, aut conjugalem, tenetur solum ad temporalem, vel conjugalem: si tamen protulisset verba significantia perpetuam, vel omnimodam, ad eam teneretur, quia pos-

possessio staret pro qualitate expressa per verba.

XIX. Rursus, qui novit se recitaturum Rosarium, & dubitat, an intellexerit de integro, an de tertia parte, tenetur ad solam tertiam partem, quia etiam hæc vulgò dicitur Rosarium.

XX. Denique, qui vovit donare Calicem Ecclesiæ; & dubitat, an majoris pretii, verbi gratia, aureum, vel argenteum, vel minoris pretii, verbi gratia, ex Cupro deaurato, tenetur solum ad minùs pretiosum.

XXI. Eodem modo discurrendum etiam est de Legatis, quandò dubium est de majori, vel minori quantitate. Ita Doctores communiter cum Bonaccina, Thoma Sanchez disp.41. num.10. & 11. Menochio lib.4. de Præsumptionibus præs.106. à num.1. usque ad 17., & aliis.

XXII. Sextò: dubitans an recitaverit Horas Canonicas, certus tamen se ad illas teneri, obligatur eas recitare, de quibus dubitat, quia possessio stat pro præcepto: Tamburinus lib.1. cap.3. verb. *Horæ*, Sanchez, Palaus, & alii. Possessio enim stat pro obligatione, & obligatio certa non eliditur solutione dubia.

XXIII. Septimò: qui certus est se recitasse Horas Canonicas, & dubitat, an cum debita attentione, potest præsumere cum hac illas recitasse, quia delictum non præsumitur.

XXIV. Octavo: qui certus est se vovisse ante septennium, sed dubitat, an tunc haberet perfectum usum Rationis, non tenetur voto, quia possessio stat pro libertate. Si verò est certus se habuisse perfectum Rationis usum, sed dubitat, an explevisset septennium, tenetur ad votum, quia ad valorem voti non attenditur ætas, sed usus Rationis. Excipe tamen votum constitutivum Status Religiosi, ad cujus valorem certa ætas requiritur, ut patet ex Tridentino, quod sess. 25. cap. 15. annum decimum sextum completum exigit.

XXV. Nono: qui certus est se vovisse ante septennium, cum carebat usu Rationis, & dubitat, an votum ratificaverit post septennium, non tenetur voto, quia possidet libertas: Stoz loc. cit. num.142.

De-

XXVI. Decimò: qui certus est, se comedisse, dubitat tamen, an ante, vel post mediam noctem comederit; si post diligens examen probabiliter credat, se ante mediam noctem comedisse, licèt habeat rationes etiam probabiles, se comedisse post mediam noctem, potest sequenti die communicare, cum sequatur judicium probabile, & ex alia parte possessio stet pro libertate. Ita Joannes Sanchez in Selectis disp.41., & alii apud ipsum, quamvis non desint Doctores contrarium probabiliter autumantes.

XXVII. Undecimò: si quis noctu expergefactus bibat, & postea scire non valeat, an ante, vel post mediam noctem biberit, poterit ne communicare? Respondeo non poterit. Ratio est, quia sine prudenti judicio de dispositione necessaria ad Communionem accedere illicitum est: sed iste formare nequit prudens judicium, se esse in tali casu à media nocte jejunum, quod est unum ex requisitis pro licita dispositione ad Communionem recipiendam, extra casum physicæ, aut moralis necessitatis; ergo non potest communicare. Rursus: qui in tali circumstantia dubitat de jejunio ad Communionem prærequisito, jam dubitat de dispositione ad ipsam necessaria; ergo ipsi incumbit onus probandi, se illam habere, & consequenter se esse jejunum post mediam noctem: qualitas enim non præsumitur, nisi probetur, ut docent Menochius consil.1. num.121. & consil.35. num.31. Matthæus Stoz loc. cit. num.144. Thomas Sanchez, Bonaccina, & Palaus locis supra citatis contra Joannem Sanchez, qui disp.42. à num.9. putat posse communicare; cujus sententiam probabilem putant Layman lib.1. tract.1. cap.5. n.36., & Diana Inordinatus part.3. tract.4. resol.29.

XXVIII. Duodecimò: qui rem bona fide possedit, & incipit dubitare, an verè sua sit, si post diligens examen non deprehendat esse alienam, potest illam retinere, quia favet ipsi possessio, imò potest illam alienare, quia præsumitur sua: ità Thomas Sanchez lib.1. Summ. Moral. cap.10. num.76. Bonaccina punct.2. num.6., ubi supra Palaus punct.2. num.12. Diana part. 4. tract. 3. resol.25. Matthæus Stoz loco citato num.145., & alii apud ipsos.

XXIX. Decimotertiò : qui post matrimonium bona fide contractum incipit dubitare de ejus valore, & post diligens examen non potest dubium depellere; potest uti matrimonio, & petere, ac reddere debitum. Ratio est, quia dubium superveniens non debet nocere possessori bonæ fidei, ut docent Suarez tom.2. de Relig. tract. 6. de Voto lib.4. cap. 5. num. 16. Sanchez lib. 2. disp. 41. num.47. Bonaccina de Pecc. disp.2. quæst.4. punct.7. n.20., & alii apud Dianam in Operibus Inordinatis part.3 tr.4. resol.295.

XXX. Decimoquartò : si Depositarius, vel Commodatarius, aut custos rei alienæ dubitet, num apud ipsum res sua culpa perierit, non tenetur ad restitutionem, quia cum delictum non præsumatur, ille est in possessione suæ innocentiæ ex Sanchez loc. citat. num. 18. Palao punct.4. num.4. Stoz num.147., & aliis.

XXXI. Decimoquintò : si dubitetur, num filius sit legitimus, nec ne, censendus est legitimus : Diana part.4. tract.3. resol.6. Malderus in 1. 2. Divi Thomæ quæst.19. art.5. disp.87., & Stoz loc. cit. num.151.

XXXII. Unde sequitur, quòd Expositi, de quorum Parentibus dubium est, habendi sunt pro legitimis, ac propterea, ut Ordines recipiant, non indigent dispensatione ab Irregularitate, quæ contrahitur ex defectu natalium.

XXXIII. Similiter, si dubitetur, an quis sit Naturalis, vel Spurius, censendus est Naturalis, quia hoc est honestius : Sanctarellus tom.1. Var. Resol. quæst.24. n.20., & alii apud ipsum.

XXXIV. Decimosextò : qui dubitat, utrùm commiserit peccatum, nec ne, non obligatur illud confiteri (excipe tamen, quando quis esset in articulo mortis, & non haberet aliam materiam Confessionis, quàm peccata dubia.) Ita ut probabile defendunt Joannes Præpositus, Paulus de Blanchis, Jesualdus à Bononiis, Scipio Paulutius, Franciscus Amicus, Martinus de S. Joseph, Joannes Caramuel, Joannes Angelus Bossius, & Jacobus Granadus apud Stephanum Moyam in Selectis tract.3. de Sacra-

cram. Pœnit. disp.1. quæst.5., & multis rationibus confirmat Layman lib.1. tract.1. cap.5. §.4. num.37., licèt non audeat aliquid determinare. Ratio est, quia sicuti qui post diligens examen remanet dubius, an emiserit Votum, non tenetur ad Votum, & qui dubitat, an contraxerit debitum, non tenetur solvere debitum, quia possessio stat pro libertate; ita etiam in casu præsenti ad præceptum Confessionis minimè tenetur, qui post diligens examen dubius est, an peccaverit, cum etiam hic possessio stet pro libertate, & non pro præcepto confitendi: & ideò præter citatos docent hanc sententiam Coninck de Pœnitent. disp.7. dub.8. Franciscus Verde in Apolog. pro Caramuele quæst.12. Joseph de Januario in Resolut. Moral. tom.1. resol.2. per totam, Petrus Marchantius in Sacro Tribunali tract.4. tit.6. Joannes Sanchez in disputatione de hac quæstione apud Mendo in Statera opinionum benignarum dissert.10. quæst.1. §.1. num.3. Philibertus Marchinus tract.2. par.3. de Sacramento Ordinis cap.1. n.27. Joseph Martinon, Ferrantinus, & alii, quos citat, & in hac parte sequitur Matthæus Stoz in suo Tribunali Sacram. Pœnitent. lib.1. par.5. quæst.3. art.6. à num.154., quibus nunc adde doctissimum Patrem Dominicum Viva Societatis Jesu in Cursu Theologico nuper edito à D. Ignatio Viva ejus Nepote, par.8. de Sacrament. Pœnit. disp.4. quæst.3. art.2., ubi per extensum nostram sententiam confirmans objectionibus partis oppositæ validissimè respondet.

XXXV. Contrariam tamen sententiam docent quàm plurimi Doctores apud Suarez disp.22. sect.9., & Sanchez in Sum. tom.1. lib.1. cap.10. num.66.: unde ut validiùs hæc Doctoris Friderici Giannetti sententia roboretur, illorum rationibus necessariò respondendum censeo, licèt in hac materia, nihil determinare velim: unusquisque enim pro praxi propriam consulat conscientiam, & quod sibi verius videbitur, amplectatur. Primum igitur ipsorum fundamentum est, quia in dubio tutior pars est eligenda. Secundum, quia in tali casu dici potest hominem habere Conscientiam peccati, nàm tale peccatum est in

Conſcientia ſaltem dubium, & tenetur homo de illo conteri, ergo etiam confiteri ut dubium. Tertium, & fortaſſe validius fundamentum eſt, quia Chriſtus Dominus potuit Sacramentum Pœnitentiæ ita inſtituere, ut ad illud non ſolum peccata certa, ſed etiam dubia deferrentur: & ita de facto inſtituiſſe colligi poteſt ex communiſſima, & uſitata praxi Fidelium, qui peccata dubia in Confeſſione aperire ſe obligatos exiſtimant, & de facto ea aperiunt: cujus praxis cum non agnoſcatur initium, credendum eſt ab ipſis Apoſtolis promanaſſe, qui vim, & obligationem incluſam in hujus Sacramenti Inſtitutione meliùs potuerunt intelligere: & ita argumentatur Cardinalis de Lugo tom. de Pœnitent. diſp.16. ſect.2. §.3., & Joannes de Cardeñas in ſua Criſi de Opinionibus dubiæ probabilitatis diſp.74.

XXXVI. Sed ad hæc fundamenta reſponderi facilè poteſt. Et quòd attinet ad primum, dico, quòd quando dubium eſt omninò practicum, tutior pars eſt eligenda, quando verò dubium eſt merè ſpeculativum, & ex illo principio practico, melior eſt conditio poſſidentis, homo formare valet judicium practicum, quo concludit, ſe non teneri ſubire aliquod onus, tunc non habet locum illud axioma: in dubiis tutior pars eſt eligenda: quia, ut advertimus ſupra, in tali caſu una opinio non eſt tutior altera, ſed etiam minùs probabilis eſt omnino tuta: in caſu de quo loquimur, dubium eſt merè ſpeculativum, & ideò ex poſſeſſione, quam habet homo ſuæ libertatis, poteſt practicè judicare, ſe non teneri præcepto Confeſſionis; in quo caſu nulli periculo damnationis ſe exponit, poſito quòd doleat de peccatis ob motivum univerſale, & confiteatur ſolùm peccata mortalia, vel aliqua venialia certa, quia indirectè illi remittentur etiam dubia, quæ ideo non confitetur, quia probabiliter exiſtimat, ſe non eſſe obligatum confiteri, unde tutiſſimus erit in Conſcientia abſque peccatorum dubiorum explicita Confeſſione: & ita docet Ferrantinus in erudito ſuo Opere de Scandalo d. 1. quæſt.77.

XXXVII. Ad ſecundum negatur, quòd ſic dubitans ha-

habeat Conſcientiam peccati mortalis, quia cum Conſcientia ſit judicium practicum, ille, qui non habet hoc, ſed habet judicium merè ſpeculativum, dici nequit habere Conſcientiam peccati: ſicut qui poſt diligens examen dubitat de Voto, aut de Debito, non poteſt dici habere Conſcientiam Voti, aut Debiti.

XXXVIII. Ad illud, quod dicitur, hominem teneri in tali dubio conteri de illo peccato, & conſequenter teneri etiam illud confiteri: Reſpondeo magnum eſſe diſcrimen inter præceptum Contritionis, & inter præceptum Confeſſionis, quia præceptum Contritionis formalis, vel virtualis de peccato mortali, ità obligat ex natura rei ad actum Contritionis extra Sacramentum, ut nullus ſine ipſa conſequi poſſit remiſſionem peccati, & Vitam Æternam: at Confeſſio in re non eſt hoc modo neceſſaria, ſed ſolum eſt neceſſaria ex præcepto poſitivo Divino, quòd obligat confiteri dumtaxat illa peccata, de quibus homo habet Conſcientiam, quam cum dixerimus non habere illum, qui in caſu noſtro dubitat, an peccatum mortale commiſerit, non tenetur ad Confeſſionem, licèt teneatur ad Contritionem: neque hoc novum videbitur callenti vel leviter moralem Theologiam, quia dantur plurimi caſus, in quibus Homo obligatur conteri de peccatis, quæ tamen non tenetur tunc confiteri. Sic ex communi Doctorum ſententia, qui habet peccatum mortale, quod prævidet ſibi, vel alteri grave damnum allaturum, ſi in hac Confeſſione illud explicet, tenetur de eo conteri, non tamen tunc confiteri, & ſimilia.

XXXIX. Nec valet argumentum à Cardenas allatum diſp.74. cap.3. ſuæ Criſis (in qua diſputatione ſe retractat de iis, quæ antea docuerat diſp.46. circa de obligatione confitendi peccata rationabiliter dûbia) ſcilicet totum illud eſſe materiam remotam Sacramenti Pœnitentiæ, ſupra quod ante hujus inſtitutionem debebat cadere actus Contritionis, & conſequenter etiam peccata dubia, cùm de his etiam præceptum eliciendi Contritionem adeſſet: nàm reſpondetur, quòd ſi hoc verum eſſet, deberent etiam Fideles ſe ex præcepto accuſare in Con-

Confeſſione, ſaltem in genere, de omnibus peccatis tranſactæ vitæ à ſe fortaſſe commiſſis, & per oblivionem nunquam fortè confeſſis, cum de his etiam præceptum Contritionis adeſſet ante inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ, quod obligabat ad pœnitendum cùm de peccatis, quæ in memoria fuiſſent, tum etiam de iis fortaſſe commiſſis, & memoria per oblivionem elapſis: cum autem nullatenus verum ſit, Fideles obligari ad ſe in genere accuſandum de peccatis fortè commiſſis, & poſtea oblitis, quamquàm ad dolendum de illis tenerentur ante inſtitutionem Sacramenti, & teneantur etiam nunc ſaltem in articulo mortis; ſequitur non concludere argumentum de obligatione confitendi peccata dubia, ex eo, quòd ante inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ adeſſet obligatio eliciendi de illis actum Contritionis.

XL. Adde, quòd poteſt etiam abſolutè negari, totam illam eſſe materiam neceſſariam Confeſſionis, quæ ante inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ erat materia neceſſaria Contritionis: nam Concilium Tridentinum ſeſſ.14. cap.5. doctrinam tradens de peccatis, quæ tenentur Fideles confiteri, hoc non dicit, ſed ſolùm aſſerit: *Oportere à Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiam ſi occultiſſima illa ſint:* unde cum Concilium Tridentinum hoc onus non ponat, non eſt, cur nos imponere debeamus: quod etiam notavit Caramuel in Theologia fundamentali num.1905., & Cardenas citata diſp.46.

XLI. Ad tertium fundamentum poſitum ſupra n.35. reſpondetur ex Matthæo Stoz lib.1. par.5. quæſt.3. art.6., quòd licèt Chriſtus Dominus potuerit Sacramentum Pœnitentiæ ita inſtituere, ut neceſſe eſſet etiam peccata, de quibus dubitatur, an fuerint commiſſa, confiteri; non eſt certum, an de facto ita inſtituerit, cum non deſint qui non ſolùm de ea inſtitutione dubitent, ſed eamdem etiam abſolutè negent, ut videre eſt apud Joannem de Cardenas citata diſp.46., ubi etiam num.220. oſtendit Authores antiquos de hac Chriſti inſtitutione mentionem non

non facere, quod utique signum est illam non adesse, nam certè relata fuisset à Divo Thoma, S. Antonino, Alenso, Navarro, & aliis Antiquioribus, qui obligationem hanc confitendi peccata dubia adesse statuerunt in suis scriptis, utpote quod melius, & fortasse unicum argumentum, & ad probandam prædictam obligationem convincens fuisset; nec confugissent ad hanc obligationem statuendam ob vitandum periculum damnationis, cui se exponerent, (ut ipsi ajebant) qui non confiterentur peccata dubia: cum autem hoc periculum non adesse ostensum sit supra num.36., sequitur etiam nostram sententiam non esse contrà Authores antiquos, qui illam ob hoc tantum motivum non admittebant, ut videre est apud citatum Cardenas disp.46. cap.4. art.1., ubi eorumdem aliquot antiquorum Doctorum propria verba refert. Unde concluditur fundamentum hoc de institutione Christi nullius roboris esse, cum non solùm non sit certum, hanc institutionem adesse, sed valde probabile, imò fere certum sit, eam non adesse ob rationes supra dictas; & in dubio de Lege onus Legis non est imponendum, quia possessio stat pro libertate.

XLII. Notandum est etiam hìc, supradicta omnia vera esse, non solùm, quando dubium versatur circà substantiam actionis, quando scilicet dubitatur de aliqua actione peccaminosa, an facta fuerit, nec ne; sed etiam quando versatur circà qualitatem, seu, ut loquitur Caramuel loco citato, circa quantitatem actionis, quando scilicet certum est, actionem jam factam de se mortaliter malam fuisse, dubitatur autem de peccato, an fuerit grave, vel leve, verbi gratia, propter inadvertentiam, aut semiplenam deliberationem in illis circumstantiis solùm habitam: cujus rei ratio est clara: quia sicuti quis excusatur in primo casu, quatenus in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem in ordine ad non confitendum tale peccatum dubium, & quia non debet quis condemnari, aut cogi pati sententiam propter delictum, quod non probatur; excusari ità etiam debet in secundo casu propter easdem rationes, quia quamvis in hoc constet, ibi fuisse peccatum, non tamen constat fuisse mortale;

de

de quo solùm quæritur, an in dubio sit obligatio illud ex necessitate confitendi: unde semper recurrit argumentum, quòd in dubio melior sit conditio possidentis; licèt enim in hoc secundo casu non stet possessio pro innocentia à culpa ut sic, stat tamen possessio pro innocentia à culpa gravi, quod sufficit ad eximendum ab obligatione confitendi, saltem ex necessitate: & ideo hanc sententiam sic explicatam meritò ut probabilem defendit è Societate Jesu doctissimus Ferrantinus in supracitato Opere de Scandalo, & Correctione Fraterna disp.1. quæst.77., & Caramuel in Theologia fundam. à num. 1940. Undè incongruenter loqui videntur Coninck disp.7. dub.8. Petrus Marchantius tom.1. tract.4. tit.6. quæst.5. concl.5. Tribunalis Sacramentalis, & alii Doctores, qui admittunt non dari obligationem confitendi peccata dubia, quando dubium versatur circa substantiam actionis; dari autem hanc obligationem, quando versatur circa qualitatem, seu quantitatem actionis, quod etiam rectè notavit contra Coninck Eminentissimus Cardinalis de Lugo tom. de Pœnit. disp.16. sect.2. Caramuel, & Ferrantinus ubi supra.

XLIII. Illud etiam hìc obiter est advertendum, quòd licèt supracitati Doctores difficiliùs concedant, non adesse obligationem confitendi peccata dubia negativè, quàm dubia positivè; attamen revera hoc secundum difficiliùs, faciliùs verò primum concedendum censeo cum Caramuele num.1959. Evidens enim est, minùs teneri ad confitendum, qui negativè dubitat, quàm qui positivè; nàm si non tenetur confiteri secundum citatos Doctores, qui positivè dubitat, hoc est qui habet rationes, ob quas judicare probabiliter potest, & se peccavisse, & se non peccavisse, cur tenebitur confiteri, qui dubitat negativè, hoc est, qui nullas habet judicandi, nec se peccasse, nec se non peccasse, rationes?

XLIV. Imò addo cum eodem Caramuele num.1945. in iis, quæ ex nostra voluntate processerunt, dubium negativum esse impossibile; ratio est, quia dubium negativum ex communi sententia est, quando nulla ratio habetur

tur

tur ad inclinandum potiùs in unam, quàm in alteram partem, ut, verbi gratia, ad judicandum, an ſtellarum numerus ſit par, aut impar: ſed in his, quæ à noſtra voluntate proceſſerunt, non poteſt dari caſus, in quo nulla habeatur ratio aut pro parte affirmativa, aut pro negativa; ergo in his dubium negativum eſt impoſſibile. Minor probatur; nam aut habentur rationes pro aliqua parte, aut non habentur; ſi habentur, jam dubium non eſt ampliùs negativum, ſed poſitivum; ſi non habentur, ipſa carentia rationum eſt ratio fortiſſima pro manutentione in illa parte, pro qua ſtat poſſeſſio; hoc eſt pro non poſitione actus à noſtra voluntate proceſſi; ergo in iis, quæ à noſtra voluntate proceſſerunt, non poteſt dari caſus, in quo nulla habeatur ratio pro alterutra parte. Unde quando quis dubitat, an peccaverit, & non habet rationes judicandi, nec ſe peccaſſe, nec ſe non peccaſſe, ſequitur, quod habeat rationem fortiſſimam judicandi ſe non peccaſſe, quia habet rationem poſſeſſionis in innocentia, qua privari non poteſt, niſi per delictum à ſe certò commiſſum.

XLV. Denique adverto cum Joanne de Cardenas citata diſp.46. num.280. doctrinam hanc de non confitendis ex neceſſitate peccatis dubiis non eſſe omnibus communiter tradendam, imò eadem in praxi non niſi Viros doctos uti poſſe ibidèm cenſet, cum enim hæc materia dubiorum ſit valde obſcura, & metaphyſica, intelligi nequit ab Indoctis hominibus: unde hi tenentur, vel confiteri peccata mortalia dubia, vel ſaltem Doctos conſulere, ut cognoſcant, an adſtringantur ad Confeſſionem, nec ne: ſæpe enim accideret, quòd Indocti (ſi crederent peccata dubia non eſſe ex neceſſitate confitenda) non confiterentur multa peccata certò mortalia: nam, verbi gratia, Indoctus, qui neſcit diſtinguere inter dubium practicum, & ſpeculativum, operatus eſt advertenter cum Conſcientia practicè dubia (in quo caſu certè peccavit mortaliter, ſi materia erat gravis) ſed quia audivit peccata dubia non eſſe neceſſariò confitenda, crederet fortaſſe neque illam actionem regulatam à Conſcientia practicè dubia

esse confitendam: similiter certus de voto, & dubius de impletione omisit illius impletionem (certè peccavit) Indoctus autem, quia dubius fuit de impletione, forte putaret hunc casum esse ex dubiis, qui non sunt confitendi, & sic in similibus; unde propter hanc causam, ut rectè notat Cardenas loco supra citato, hæc sententia non est vulganda coram ignara populi multitudine: quin imò homines indocti instruendi sunt, ut in omnibus dubiis ad Theologos doctos confugiant, & sic omnia inconvenientia, quæ ex usu hujus sententiæ practicè sequi possent, facillimè vitabuntur.

XLVI. Decimoseptimò: Confessarius, qui dubitat, an aliquis casus sit reservatus, exempli gratia, est reservata Blasphemia, & accedit pœnitens, qui dicit se dubitare, an Blasphemiam protulerit, potest, quamvis sit Confessarius simplex, illum absolvere. Ità Suarez de Relig. tom.2. lib.4. cap.5. num.15. Hurtadus de Sacramentis tom.1. difficult.11. de Pœnit. dub.6. Filliucius tom.2. tract.21. cap.4. num.172. Sa Verbo *Casus reservat.* num.5. Homobonus in Consult. Cas. Conscient. volum.2. punct.5. resp.87. & alii. Ratio est, quia cum reservatio sit odiosa, in dubio pro ea non præsumitur: possidet enim libertas Confessarii, qui proinde censendus est habere jurisdictionem non restrictam, ut pluribus contra Sanchez probat Merolla disp.3. cap.3. dub.2. coroll.23. n.370.

XLVII. Decimoctavò: Milites dubitantes de Justitia Belli possunt licitè bellare, si sint Subditi Principis. Ratio est, quia nisi certò constet de Injustitia Belli, semper præsumitur pro Justitia Principis, cum nemo præsumatur malus, nisi probetur. Ita Sanchez in Sum. tom.2. lib.6. cap.3. num.15., & plurimis citatis, Diana part.4. tract.3. resol.7. in Operibus inordinatis hanc doctrinam extendens etiam ad Milites extraneos mercede conductos.

XLVIII. Decimononò: Subditus dubitans de legitima potestate Superioris non tenetur illi obedire. Ita Vasquez in 1. 2. quæst.19. art.6. disp.62. cap.6. in fine, Salas in 1. 2. quæst.21. tract.8. disp. unica sect.9. num.78.

Diana

Diana part.4. tract.3. resol.8., quia possessio stat pro libertate Subditi, donec probetur inesse Superiori legitimam potestatem. Oppositum docent etiam probabiliter alii cum Sanchez in Sum. tom.2. lib.6. cap.3. num.29., quia cum Superior sit in possessione suæ Superioritatis, putant incumbere Subdito onus probandi se non obligari.

XLIX. Sed stando in prima sententia non tenetur Subditus obedire Superiori, quando dubitat, an res præcepta sit licita, & quando timet, quòd obediendo inferret vel sibi, vel Proximo magnum damnum in rebus, honore, fama, vel corpore; verbi gratia, Superior interrogat Subditum de proprio, vel alterius delicto, & Subditus dubitat, an Superior juridicè interroget; tunc illi obedire non tenetur, quia in dubiis favendum est Reo, pro cujus securitate stat possessio: habet enim Reus jus se, & alios conservandi, donec ipsi certò non constet, se juridicè interrogari, & hoc licitum est Subdito, quamvis Superior præciperet sub pœna excommunicationis. Ità Vasquez in 1. 2. disp.66. cap.6. num.51. Arragonius 2. 2. quæst.69. art.2. Medina 1. 2. quæst.19. art.6. Henriquez lib.14. cap.3. num.3. in Glossa Lit. X, quos sequitur Diana loco superiùs citato, resolut.9.

L. Vigesimò. Dubitans an materia voti, quod emisit, sit bona, vel mala, non tenetur implere votum. Ratio est, quia quando non constat votum esse verè votum, scilicet esse de meliori bono, possessio stat pro libertate: Sanchez in Summa tom.1. lib.4. cap.6. num.6. Sotus lib.7. part.1. art.3. Palaus tom.1. tract.1. disp.3. punct.12. n.2. contra Bonaccinam de Voto quæst.2. punct 4. §.2. n.5., & Suarez de Religione tom.2. lib.4. cap.6. num.12. qui putat, saltem teneri consulere Pontificem, ut in eo dubio voti vel dispenset, vel interpretetur.

LI. Vigesimoprimò: Illum, qui post adhibitam diligentiam dubitat, an sit usu recepta Lex imponens Censuram, vel Irregularitatem, non teneri ad eam servandam sub illis pœnis, quia possessio stat pro Subditis suam libertatem possidentibus, docent, Azorius tom.1. lib.2. cap.19. quæst.12. Castropalaus tom.1. disp.3. punct.7. n.4.

Moura opuscul.1. sect.1. cap.5. num.13. Rebellus part.1. lib.1. de Obligationibus Justitiæ quæst.5. num.7., quamvis contrarium communiùs censeant Pater Thomas Sanchez, Filliucius, Bonaccina, & alii cum Viva in Explicatione 28. Propositionis ab Alexandro VII. damnatæ num. 14.

LII. Vigesimosecundò : In dubio utrum Censura sit latæ, vel ferendæ sententiæ, censenda est tantum ferendæ. Ratio est, quia in odiosis possessio semper stat pro minori gravamine, odia enim sunt restringenda : Avila de Censuris cap.2. dub.2. Coninck de Sacram. disp.13. num.22., & Hurtadus tract. de Censuris in communi diff.5. num.22.

LIII. Vigesimotertiò : Si ex diversis horologiis benè regulatis unum sonuerit horam mediæ noctis, & aliud non, potest sequenti die communicare ille, qui comedit, aut bibit antequam sonuerit secundum, quia possessio stat pro libertate, & non pro obligatione præcepti : secundum enim horologium facit veluti opinionem probabilem, quòd nondum advenerit media nox : Sanchez de Matrimonio tom.1. lib.2. disp.41. num.40. Fagundez de Præceptis Ecclesiæ lib.1. cap.10. præcept. 4. Pharaonius tract. de Sacram. Pœnitentiæ in Appendice sess.3. casu 14. Vega in Summa tom.1. cap.14. casu 12. Joannes Sancius in Selectis disp.53. num.3. Villalobos in Summa tom.1. tract.1. difficult.21. num.7. Unde non est audiendus Merolla, qui tom.1. disp. 3. cap. 3. corollario 11. num. 139. hanc sententiam falsitatis insimulat, levissimo nixus fundamento, videlicet, quòd præceptum est in possessione per sonum primi horologii, id enim supponit, sed non probat hic Author.

LIV. Vigesimoquartò : Quidam non obligatus jejunare vovit jejunare in quatuor Anni temporibus; dubitat nunc, an intentionem habuerit abstinendi etiam à lacticiniis; non tenetur ab ipsis abstinere, quia possessio stat pro libertate. Ità Bonaccina in Decal. quæst.2. punct. 4. num.24. Angles part.1. de Jejunio quæst.9. de Abstinentia à cibo part.1. art.1. dub.2. Salas in 1. 2. tom.2. tract.8. disp.

disp. unica sect.25. num.50., quos citatos sequitur Diana ubi supra, resolut. 20. contra Turrianum in Opusculis tom.1. disp.1. opuscul.10. dub.2.

LV. Vigesimoquintò; Dubitans an habeat ætatem requisitam ad Sacros Ordines suscipiendos, aut ad Beneficia, non potest Ordines suscipere, aut Beneficia obtinere, quia possessio stat pro præcepto; & ideo hoc servandum est, donèc de legitima ætate non constet. Qui verò dubitat, an vigesimum primum annum expleverit, non tenetur jejunare, quia possessio stat pro libertate: Diana part.4. tract.3. resol.21. Layman lib.1. tract.1. cap.25. §.4. num.33. Sanchez de Matrimon. tom.1. lib.2. disp.41. n.38., & alii.

LVI. Vigesimosextò: Qui dubius est, an res, quam possidet, sit aliena, & propendet magis esse alienam, non tenetur illam restituere, aut dividere, quia melior est conditio possidentis; & possessio præponderat omnibus rationibus non convincentibus, ut docent Diana part. 4. tract.3. resolut.26. §.3. num.21. Filliucius tom.2. tract.21. cap.4. num.158. Palaus tom.1. disp.3. punct.2. num.11., aliique plurimi contra Coninck, Valentiam, & alios.

LVII. Vigesimoseptimò: Qui consilium præbuit ad furandum, vel occidendum, & dubitat, an consilium suum efficaciter influxerit, non tenetur ad restitutionem, quia in dubio de influxu possessio stat pro libertate. Ita Petrus Navarrus lib.3. de Restitutione, Henriquez lib.14. cap.3. num.4. Sayrus in Clavi Regia lib.10. tract.2. cap.8. num.1. Rebellus par.1. lib.2. quæst.14. sect.2. num.5. & 7. Joannes Medina Codice de Restitut. quæst.7. Sylvester verbo *Restitutio* num.3. quæst.6. *dicto secundo*, Villalobos in Summa tom.1. tract.1. difficultate 20. num.9. Henricus Streusdorff. in Divum Thomam de Justitia, & Jure quæst.62. art.8. disp.2., & alii. Ex his Henriquez, & Sayrus censent esse motivum sufficiens ad credendum consilium nihil influxisse, si ipse homicida, vel fur asserat se tali consilio non fuisse motum. Hoc tamen non sufficere putant Palaus tom.1. disp.3. punct.4. num.3., & Sanchez in Summa tom.1. lib.1. cap.10. num.44. Oppositam sen-

ſententiam, videlicet quòd prædictus conſulens teneatur ad reſtitutionem, defendunt Leſſius lib.2. cap.27. dub.3. in fine. Sanchez in Selectis diſp.42. num.14. Molina, Salas, & Merolla.

LVIII. Vigeſimoctavò: Poſſeſſor bonæ fidei, qui dubitans rem eſſe alienam, neglexit inveſtigare verum Dominum, undè effectus eſt impotens ad illum ſciendum, non tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia quamvis peccaverit negligendo inquirere veritatem, nihilominùs incæpit bona fide poſſidere; ſed melior eſt conditio poſſidentis; ergo reſtituere non tenetur. Rurſus non conſtat, an alteri damnum intulerit, non inquirendo veritatem; ſed quando quis dubitat, an ſua actione damnum intulerit, non tenetur reſtituere, ergo &c.: & ita ſentiunt Bonaccina diſp.1. quæſt.2. punct.2. num.8. de Contractibus, Diana part.4. tract.3. reſolut.29., & probabile id cenſet Caſtropalaus tom.1. diſp.3. punct.2. num.9. Quamvis oppoſitum doceant Sanchez in Summa tom.1. lib.2. cap.23. num.183. Molina tom.1. diſp.36. concl.1. Alphonſus de Leone, Salas, & alii.

LIX. Vigeſimononò: Commodatarius, & Depoſitarius, qui dubitant, an res ſua culpa perierit, ad reſtitutionem non tenentur; quia cum delictum non præſumatur, ambo ſunt in poſſeſſione ſuæ innocentiæ. Ita Sanchez de Matrim. tom.1. lib.2. diſp.41. num.18. Leſſius lib.2. cap.27. dub.3. in fine, Palaus tom.1. diſp.3. punct.4. num.4. Henriquez lib.14. cap.15. in fine, Villalobos in Summa tom.1. tract 1. difficult.20. num.10. Diana loco citato reſolut.30., ubi notat, quòd eſt probabilis opinio eorum, qui exiſtimant generaliter in contractibus, neminem teneri ad reſtitutionem, niſi de dolo, & culpà lata. Latam autem culpam appellant illam Theologi, quæ eſt culpa mortalis, undè inferunt, quòd etiamſi non adhibeatur diligentia communis, quæ faceret latam culpam juridicam, tamen ſi hoc proveniat ex naturali oblivione, & inadvertentia, ità ut omittens diligentiam illam excuſetur à mortali, illa lata culpa juridica non obligat in foro interiori ad reſtitutionem; & citari ſolent

lent pro hac sententia Sotus lib.4. de Justitia quæst.7. art.2. Martinus de Ledesma part.4. quæst.8. art.6. Emanuel Sa verbo *Culpa* num.2., & Henriquez lib.14. cap.3. num.1. in fine.

LX. Trigesimò: Si tam Creditor, quàm Debitor dubii sint de debito, an sit satisfactum, putat Merolla Debitorem obligatum esse ad solutionem, quia certum est debitum fuisse contractum, & per consequens possessio stat pro Creditore: Tannerus tamen in 1. 2. Divi Thomæ disp.2. quæst.6. dub.4 num.49. Layman lib.1. tract.1. cap.5. §.4. num.42. Diana part.4. tract. 3. resolut.32. probabiliter censent, teneri tunc Debitorem non ad integram solutionem, sed ad partem, secundùm dubii proportionem, quia æquitas non patitur, ut Debitor sine culpa subjiciatur incommodo bis solvendi integrè debitum, Creditor verò pariter dubius nulli periculo sit expositus.

LXI. Trigesimoprimò: Qui dubitans rem esse furtivam, illam emit pretio justo cum animo restituendi eam vero Domino, si comparuerit, non peccat recipiendo ab ipso pretium, quod solvit, potestque licitè exigere dictum pretium, si alioquin Dominus non erat rem recuperaturus, saltem sinè expensis. Ratio est, quia cum utiliter gesserit negotium Domini, æquum non est, ut pretium suum amittat: Sanchez de Matrim. tom.1. lib.2. disp.41. num.29. Palaus tom.1. disp.3. punct.3. num.4. Bannez in 22. quæst.62. art.6. dub.5. concl.2. Salonius ibidèm controv.4. concl. 2. Salas in 1. 2. tract.8. disp. unica sect.23. num.237., & alii.

LXII. Trigesimosecundò: In dubio sivè Facti, sivè Juris, utrum quis excommunicationem contraxerit, censendus est non contraxisse. Ratio est, quia unusquisque possidet jus communicandi cum Fidelibus; ergo per dubium hac possessione privari non debet, cum in dubio melior sit conditio possidentis: Sanchez in Sum. tom.1. lib.1. cap.10. num.55. Diana citata part. 4. resolut. 35. Tractatus tertii.

LXIII. Trigesimotertiò: Qui certus est, se vovisse Ca-

Castitatem, dubitat verò, an perpetuam, vel temporalem, tenetur tantùm ad temporalem, qualis est conjugalis. Vovit similiter Religionem, & dubitat, an promiserit ingredi tantùm, vel profiteri; non tenetur ad profitendum, quia in dubio præsumendum est, se voluisse gravare minùs, quàm potest. Ita docet Sanchez in Sum. tom.1. lib.4. cap.16. num.86., & Diana par.4. tract.3. resol.36., quidquid in contrarium doceant Azorius tom.1. lib.1. cap.15. quæst.9. Navarrus, & alii apud eumdem Dianam.

LXIV. Trigesimoquartò: Scit aliquis, se votum emisisse personale, & dubitat, an emiserit ante, vel post pubertatem: similiter scit, se emisisse votum reale, & dubitat, an ante, vel post vigesimum quintum annum; potest ejus Pater talia vota irritare. Ita Joannes Sanchez in Selectis disp.43. num.9. Suarez de Religion. tom.2. cap.6. num.1., & Thomas Sanchez in Summa tom.1. lib.4. cap.32. num.2. Quorum Ratio est, quia licèt possessio non stet pro Vovente, & sic respectu ejus stet obligatio, Pater tamen est in possessione suæ potestatis dominativæ, quam habet ad irritanda vota, donèc sibi non constet, ea vota emissa fuisse vel post pubertatem, vel post annum vigesimum quintum: quamvis contrarium doceat Joannes Salas in 1. 2. quæst.21. tract.8. disp. unica sect.25. num.261. & 262.

LXV. Trigesimoquintò: In dubio an causa dispensandi sit justa, potest Superior dispensare, quia in tali dubio inclinandum est in partem benigniorem: hoc enim, bonum, & suave regimen exigit; esset namque multis scrupulis exposita Superiorum potestas, si solùm ad causas certas extenderetur, vix enim auderent Superiores dispensare. Ita docent Sanchez in Sum. tom.1. lib.4. cap.44. num.10. Sylvester verbo *Dispensatio* quæst.14. Jacobus Granado in 1. 2. Divi Thomæ controv.7. tract.2. disp.6. sect.1. num.2. & alii.

LXVI. Trigesimosextò: Qui dispensationem obtinuit, & incipit dubitare, an valida sit, licitè præsumit fuisse validam: Ratio est, quia in dubio possessio stat pro va-

valore actus, ut patet ex cap. Abbate *de verbor. significatione*, *& ex L. Quoties ff. de rebus dubiis*: & ità tenent Riminaldus lib.3. consil.275. num.17., & lib.5. consil.572. num.26. Sanctarellus Var. Resol. tom.1. quæst.59. num.1. quos citatos sequitur Diana resolut.45. part.4. tract.3.

LXVII. Trigesimoseptimò: Confessarius dubitans, an puer, qui confitetur, habeat usum rationis, si omnibus consideratis dubius maneat de pueri capacitate, potest illum absolvere sub conditione, saltem mente retenta; imò in articulo mortis debet necessariò eum absolvere. Ratio est, quia in dubiis favendum est Pœnitenti, qui habet jus ratione Confessionis ad Sacramentum, & in dubio inclinandum est in favorem animæ. Ita Layman in Theolog. Moral. lib.5. tract.6. cap.5. num.7. Zambranus de Casibus tempore mortis cap.4. dub.3. num.4. & 9. Villalobos in Sum. tom.1. tract.9. difficult.28. num.3. & alii.

LXVIII. Trigesimooctavò: In dubio de obligatione præcepti per consuetudinem inducti præsumendum est, potiùs consuetudinem esse ex devotione, aut honestate, quàm ex præcepto, quia generalis regula est, quòd in dubio nemo præsumitur velle obligari sub præcepto: neque expedit multiplicare præcepta, ubi moraliter certa non sunt: & ità ex Suarez lib.7. de Legibus cap.15. docet è Societate Jesu Ludovicus Mæratius in Summam Divi Thomæ tom.1. tract. de Legibus disp.15. sect.2. num.3.

LXIX. Trigesimononò: In dubio, an Infans sit baptizatus, sepeliendus est in loco sacro, quia in dubio, quando non agitur de præjudicio Tertii, id, quod est benignius, est amplectendum: ità Homobonus in Consult. Cas. Consc. volum.2. part.7. respons.67.

LXX. Quadragesimò: Quando dubium est, an aliquod Beneficium sit Simplex, aut Curatum, Simplex est reputandum, quia tot sunt qualitates ad Beneficium Curatum requisitæ, ut meritò præsumi non debeant, nisi probentur. Ita Horeda de Incompatibilit. Benefic. par.1.

quæst.13. num.2. Guttierez allegat. 8. num.5. & alii.

LXXI. Quadragesimoprimò: Qui dubitat, an alius, cum quo lusit, fuisset lucraturus, si à se fraudes non fuissent adhibitæ, non tenetur aliud restituere, quàm id, quod per fraudem adhibitam verè accepit, non autem ad dandum aliquid de proprio, quod fortasse alter non adhibitis fraudibus lucraturus fuisset: ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis, unde cum non sit certum, quod etiam non adhibitis fraudibus alter lucraturus fuisset, ad aliquid ei solvendum non tenetur. Ita Salas in Tract. de Ludo dub. 7. num.5. Lessius lib.2. cap.26. dub.2. de Justitia, & Filliucius tom.2. tract.37. cap.7. num.103., ubi tamen advertit, quòd si aliquis ludens dubius sit, an ipse ob fraudem acquisierit aliquod lucrum, tenebitur ex dubio perseverante ad restitutionem ejus, quia in dubio non potest acquirere, & melior est conditio alterius possidentis.

LXXII. Quadragesimosecundò: Episcopus dubitans, an res indigeat Apostolica dispensatione, potest ipse licitè dispensare. Ratio est, quia in tali casu præsumptio stat pro libertate, & casus dubius non est censendus Pontifici reservatus; ut rectè notat Viva in Explic. Propositionis 12. ab Alexandro VII. damnatæ num.1. quidquid in contrarium dixerit Cabrinus. Adde etiam, quòd potestas dispensandi latè est interpretanda. Ità doctissimus Castropalaus tom.1. tract.3. disp.6. punct.5. num.10. Layman lib.1. tract.4. cap.22. num.4. Emmanuel Sa verb. *Dispensatio* num.1. Barbosa de Potestate Episcopi part.2. allegat.35., & alii communiter.

LXXIII. Quadragesimotertiò: In dubio, an pueri usum Rationis habeant, præsumendi sunt habere, si septennium expleverint; si verò non expleverint, præsumendi sunt non habere. Ratio est, quia præsumptio stat pro communiter contingentibus, sed communiter contingit, ut pueri completo septennio habeant usum Rationis, & non antea; ergo ità præsumendum: Diana loco citato resol.52., ubi notat, quòd si detur casus, quòd aliquis puer ante septennium habeat usum Rationis,

nullo

nullo præcepto positivo obligatur, cum Leges Juris Positivi non intendant obligare ante illam ætatem, in qua communiter solitum est oriri lumen Rationis: excipe casum Confessionis, in quo dubitatur, an puer sit capax absolutionis; quia in hoc casu pro ejus capacitate standum est, ut dictum est supra num.67.

LXXIV. Quadragesimoquartò: In dubio, an peccator sit publicus, vel occultus, danda est ipsi Eucharistia, si publicè petat: possessio enim stat pro ejus libertate accedendi ad Eucharistiam. Ità Ocagavia tract.2. de Eucharistia quæst.10. num.4., & cum ipso, Diana citata part.4. tract.3. resol.54.

LXXV. Quadragesimoquintò: Quidam tulit suffragium pro concludenda re injusta, peccavit profectò: sed si dubius sit, an votum suum efficaciter influxerit, non tenetur ad restitutionem damnorum: cum enim possessio stet pro ipsius libertate, & non pro influxu efficaci, exemptus est ab onere restitutionis: ità Gordonus in Theol. Moral. tom.1. lib.5. quæst.6. cap.2. §.4. num.13. apud Dianam loco nuper citato resol.63., & alii apud ipsum.

LXXVI. Quadragesimosextò: Habens tenue Beneficium dubitat, an teneatur recitare Officium, non obligatur recitare: similiter qui dubius est, se esse excommunicatum, non tenetur abstinere ab iis, à quibus abstinere debent excommunicati; quia possessio stat pro libertate. Ità Cornejo in 1. 2. Divi Thomæ tract.4. quæst. 19. disp.4. dub.2., & Diana eodem loco resol.66.

LXXVII. Idem dicendum est de illo, qui dubitat, an percussor Clerici sit notorius; non tenetur enim illum vitare, propter eamdem Rationem, quam nuper dixi. Ita Hurtadus de Excommunicatione disp.11. difficult.3. num.8.

LXXVIII. Quadragesimoseptimò: Qui certò scit, se mortaliter peccasse, & habet rationes probabiles, se jam esse confessum, sed alias etiam fortassè probabiliores, se non esse confessum, non tenetur confiteri, quia sequendo judicium probabile prudenter operatur: & ideo meritò

hanc sententiam docent Coninck de Pœnit. disp.7. dub.8. num.68. Matthæus Stoz lib.1. part.5. quæst.3. art.4. n.156. sui Tribunalis, & alii apud ipsos: secùs si nullas habeat rationes judicandi, se esse confessum, & multum temporis non sit elapsum, juxta ea, quæ tradit Tamburinus in Methodo Confessionis.

LXXIX. Quadragesimooctavò: Mulier, quæ dubitat, an primus Maritus vivat, si facta diligentia, veritatem non reperiat, potest debitum reddere, & petere à secundo, dummodo tamen Matrimonium bona fide contraxerit. Ita è Societate Jesu Joannes de Allozza in suis Floribus Summarum verbo *Dubium* sect.3. num.5.

LXXX. Quadragesimononò: Qui dubitat, an laboret impedimento ad Matrimonium, vel Ordines suscipiendos, potest uxorem ducere, vel ordinari; quia post adhibitam diligentiam possessio stat pro libertate: Sanchez lib.8. de Matrim. disp.6. num.18. apud Mendo in Epitome verbo *Dubium*, num.5., & alii.

LXXXI. Quinquagesimò: Si quis in Testamento legavit Petro centum, & dubitatur, an sint centum, quæ illi debebat, judicandum est esse diversa. Andræas Mendo in citato Epitome Opinionum Moralium verbo *Conscientia* num.19.: quia constat de Legato, non constat autem, an per hoc Legatum velit debito satisfacere.

LXXXII. Quinquagesimoprimò: Si ob factum, quod quis patravit, dubitet, an in Jure sit lata Irregularitas, non manet irregularis; nam cum in Jure non sit expressum contrahi Irregularitatem, in dubio Juris illa non contrahitur. Ita ex cap. *Is qui* de sent. Excom. in 6. docet idem Mendo num.22. in Epitome cit. verbo *Conscientia*.

LXXXIII. Quinquagesimosecundò: Si quis dubitet, an commiserit crimen, propter quod privetur Beneficio, aut fructibus, potest utrumque retinere, quia possidet ejus libertas: Mendo ibidem num.25.

LXXXIV. Quinquagesimotertiò: Si Vidua nubat immediatè post mortem Mariti, & post novem menses pariat, & facta diligentia dubium sit, si filius sit primi, vel secundi Mariti, censendus est secundi; quia actualis pos-

fessio Matrimonii, in qua est hic secundus, prævalet: ita Salas tract.8. disp. unica, sect.24. num.245., & Mendo ubi supra num.33.

LXXXV. Quinquagesimoquartò: In dubio, an factum aliquod sit contra Immunitatem Ecclesiæ, pro hac est judicandum, quia hæc possidet, & in dubio favendum est Ecclesiæ. Ut ex cap. finali de sent., & re judicat: docet Caspensis tract. de Conscient. d. 4. num.16., & Mendo ubi supra num.34.

LXXXVI. Quinquagesimoquintò: Habuit quis noctu pollutionem, & dubitat, an in ea plenum habuerit Rationis usum: præsumitur non habuisse, & non peccasse lethaliter ob defectum libertatis: ita è Societate Jesu doctissimus Castropalaus tom.1. disp.3. punct.11. num.7.

LXXXVII. Quinquagesimosextò, & ultimò: Qui dubitat, an actio Proximi sit prava, aut bona, non tenetur judicare positivè esse bonam, sic verò negativè non judicando esse malam: ad hoc enim secundum jus habet Proximus ex possessione suæ famæ, non verò ad primum, ut colligitur ex Divo Thoma 2. 2. quæst.60. art.4. ad 3.

LXXXVIII. Advertendum etiam hìc obiter; quòd dubitatio, aut suspicio regulariter loquendo, non sunt peccatum lethale, quia non sunt graves injuriæ Proximi, ut cum aliis docet Filliucius tract.40. cap.1. uum.12. ob cognitionis, & determinationis imperfectionem circa actionem Proximi. Nec est illicitum prudentem habere timorem, quo quis, ut sibi, suisque consulat, interpretatur res dubias in pejorem partem; suppositivè tamen, & non definitivè, ut rectè notavit D. Thomas 2. 2. quæst. 60. art.4. ad tertium; non autem ideo est licita aversatio ab eo, à quo timetur. Imò cum ex parte objecti datur opinio de ejus pravitate, non est illicitum dubitare positivè Proximum amplectentem id objectum esse pravum, esto sit perfectior Charitatis actus facere oppositum, at illud primum cum non sit contra Prudentiam, nec etiam est contra Charitatem: quæ omnia docet supracitatus Andræas Mendo Societat. Jesu in suo doctissimo Epitome num.30. verbo *Conscientia*.

CAP.

C A P. VII.

De Regulis dirigendi Conſcientiam Scrupuloſam.

I. PRænotandum eſt, ſcrupulos ex variis cauſis oriri: primò ex vitio temperamenti, in quo ſuperat frigus, ut in fœminis, & melancholicis: cum enim frigus conſtringat, & conſtrictio cordis vergat ad timorem, diſponitur imaginatio ad magnam propenſionem metus mali futuri; ex quo fit, ut qui nimiùm timidi, & apprehenſivi ſunt, facilè ſibi malum imminere timeant, ubi non imminet. Horum Scrupuloſorum Morbus lenitur pharmacis, & purgationibus, ſed nunquam perfectè ſanatur: & non raró Scrupuloſos hujuſmodi in ſtultitiam, & deſperationem incidere experientia conſtat.

II. Secundò: ex immoderata vigilia, nimia abſtinentiã, & indiſcretis macerationibus corporis: cum enim per hæc cerebrum exiccetur, mens quoque per confuſionem ſpecierum turbatur, & impeditur in ſuis operationibus: & ideò hæc mala corporis gubernatio improbatur in Capite *Non mediocriter* de Conſecratione diſtinct. 5.

III. Tertiò: ex occulta quadam ſuperbia, quæ facit, ut homo judicio ſuo pertinaciter adhæreat, nolitque ſe aliorum judicio ſubmittere.

IV. Quartò: ex Dœmonis ſuggeſtione, qui conatur per nimium timorem Divinæ Juſtitiæ laqueos, & anguſtias in animum inducere, ut homines in Divina Miſericordia minùs, quàm par eſt, confidentes, in deſperationis baratrum præcipites agat.

V. Quintò: ex nimia ſollicitudine, & indiſcreto zelo vitandi omne malum: ſicut enim qui ambulat per anguſtam ſemitam, dum nimis attentè cavet, ne labatur, generat ſibi metipſi majorem timorem labendi; ità qui purita-

ritatem Conſcientiæ adeò zelant, ut vel minimi defectus umbras perhorreſcant, ad plus timendum, quàm decet, deducuntur.

VI. Sextò: ex Divina Providentia permittente, ut ſcrupuli excitentur in aliquibus vel in pœnam tepiditatis, vel delicti præteriti, præſertim impuritatis, vel ad animam perfectiùs purgandam, vel ad exercendam, & augendam humilitatem, & patientiam, vel denique ad tollendam peccati conſuetudinem.

VII. Indicia Conſcientiæ ſcrupuloſæ ſolent eſſe primò pertinacia Judicii, vi cujus Doctorum conſilio quis non acquieſcit, & multos fatigat, & nemini niſi ſibimetipſi credit.

VIII. Secundò: mutatio frequens judicii ex levi fundamento, unde oritur inconſtantia in agendo: exempli gratia in recitandis precibus, vel Horis Canonicis ſæpiùs mutare judicium de his, vel illis verbis non prolatis, & deciès repetere.

IX. Tertiò: reflexio impertinens innumerabilium circumſtantiarum.

X. Quartò: timere ferè in omnibus peccatum, & eſſe inquietum contra Sapientum judicium.

XI. Quintò denique: nimium angi, & turbari inter agendum.

XII. Porrò Scrupuloſitas alia eſt adæquata, nempè in omni materia, alia inadæquata, nempe in uno tantùm genere: undè quidam ſunt Scrupuloſi in aliqua ſpeciali materia, & in aliis gravia peccata committunt.

XIII. Prima ergo Regula ſit: Scrupuloſus credat Confeſſario, vel alteri Viro docto aſſerenti ipſum eſſe Scrupuloſum, & ad inſtar pueri ſe totum committat Confeſſario, vel Viro docto, cujus Conſilio unicè regatur, & ejus unius dicta, & conſilia contra ſuam ſcrupuloſam Conſcientiam habeat tanquam Oracula. Dixi unius, quia ſi pluribus rem proponat, & quærat aliquem, qui tandem ſibi dicat, quod cupit, ſe ipſum magis illaqueabit, & confundet, ſuumque morbum fovebit, & nutriet.

XIV. Secunda regula ſit: Scrupuloſus non ſolùm licitè

citè potest, sed aliquando tenetur agere contra scrupulos, quando scilicet ex illorum anxietate pateretur grave damnum Salutis, aut inhabilitaretur ad proprium officium præstandum, aut à Communione, Confessione, vel ab alia actione sub præcepto obligante præstanda retraheretur. Ita Thomas Sanchez in Decalogum lib.1. cap.10. num.83. Sayrus in Clavi regia lib.1. cap.14. Montesinos in 1. 2. disp.29. quæst.6. num.255., quos, aliosque citatos sequitur Castropalaus tom.1. tract.1. disp.4. punct.1. num.2.

XV. Et quia scrupulus non tollit judicium certum, vel probabile de honestate actus, saltem per principia extrinseca, idest ex authoritate aliorum, licèt judicium suffocet aliquo modo, & densis tenebris obnubilet, non est necessarium deponere scrupulum, ut recta sit operatio, sed etiam cum scrupulo licitum est operari: Rossellus de Scrupulis, cap.33. num.2.

XVI. Tertia Regula sit: licitum est scrupulum rejicere, & absque ulla alia ratione pro arbitrio deponere, & ideo Scrupulosus cum suis scrupulis non disputet, sed liberè contrarium faciat: præsertim si accedat exemplum hominum doctorum, & probatorum, idest illorum, qui præsumuntur habere affectum, & judicium rectum, aut authoritas Viri docti, cujus directioni se tradidit. Nec refert, quòd ipse nequeat solvere argumenta in contrarium. Satis enim est, si credat Doctori gravi, & dictis illius, qui eum dirigit.

XVII. Quarta Regula: Scrupulosus putare non debet sibi esse applicandas regulas communes, quæ tradi solent pro aliis: verbi gratia, in dubiis tutiorem partem esse eligendam, & similes; sed potiùs credat, se posse uti quibusdam regulis generalibus, & benignioribus, verbi gratia, sibi non esse abstinendum ab iis, quæ Viri docti, & prudentes faciunt, vel docent: ipsum non obligari votis, vel præceptis, de quibus habet dubium: non peccare observando Legem juxta usum, & sensum Bonorum, licèt talis sensus videatur laxior: Leges Civiles, vel nunquam, vel rarò admodùm obligare ad mortale: in audienda Missa ex præcepto, vel in recitandis precibus

ex

ex obligatione voti, vel præcepti, satis esse attentionem externam devotam, & ideò quemlibet posse sine peccato gravi admittere distractiones voluntarias internas: ad satisfaciendum alicui obligationi non requiri formalem, & expressam intentionem satisfaciendi, sed satis esse, si fiat opus injunctum: imò esse certò probabile illum satisfacere, qui, verbi gratia, audiendo Missam die festo, aut recitando Horas Canonicas, habet intentionem non satisfaciendi, &c.

XVIII. Quinta regula: Scrupulosus attendat, quæ sit probabiliter origo scrupuli; an verbi gratia, nimius timor, & illum statim opprimat, sentiendo de Deo in bonitate, & simplicitate cordis, credendo ipsum esse Legislatorem, non tam rigidum, nec nimis durum exactorem pœnarum, qui adscribat peccata, & pœnas decernat hominibus, qui bonam voluntatem ostendunt, cum potiùs onus ejus leve sit, & jugum suave. Credat pariter, neque Deum, neque Ecclesiam velle, ut suis præceptis homo ad insaniam redigatur, quod Scrupuloso facilè accidit. Si origo scrupuli fuerit superbia, non multùm confidat suæ Prudentiæ: submittat sine discursu suum judicium alieno, amet instrui ab alio, & ejus consilium libens acceptet: ac sequendo Confessarii, vel docti Directoris consilium pro certo habeat, se benè operaturum, licèt ipse contrarium existimet. Si Scrupulosus talis sit ex humorum vitio, medicamenta sumat ad bilem, & vitiosos humores expellendos: quærat occupationem assiduam, honestas diversiones, & conversationem cum claris, & apertis hominibus habeat, consortium Scrupulosorum vitet, libros de terribilibus tractantes non legat, & immoderatas vigilias, corporisque macerationes respuat.

XIX. Sexta regula sit: quando scrupuli recurrunt, non debet Scrupulosus subitò ad Confessarium, vel Virum doctum advolare consilii causa (sic enim & se, & illum nimis fatigaret) sed operetur per se juxtà regulas sibi semel traditas, vel quas scit sibi dandas, si ad illum accederet, quòd si secus fecerit, augebuntur scrupuli.

XX. Septima regula: quandò excitantur scrupuli, ad

 eos

eos depellendos non se defendat gestu, vel verbis, verbi gratia, dicendo non facio, non assentior, &c., nec intorquendo os, oculos, aut caput (hæc enim risum in aliis movent, nec ullum scrupulis remedium afferunt:) sed potiùs scrupulos contemnat.

XXI. Octava regula: Scrupulosus non tenetur in agendo adhibere illam diligentiam, & examen, quod adhibent alii: Stoz lib.1. part.5. quæst.3. art.7. §.3. n.199.

XXII. Nona regula: Scrupulosus nihil debet illicitum, aut mortale judicare, nisi statim primo intuitu certò, & sine formidine cognoscat esse tale: nec debet in longo examine illius rei immorari, sed tanquàm certum sibi persuadeat, & securè credat, illud non esse illicitum, nec mortale: cum enim soleant Scrupulosi etiam in rebus clarissimis, in quibus umbra peccati non est, apprehendere gravem malitiam, esset intolerabile, quòd pro peccato haberent illud, quod ut tale vanè apprehendunt. Ita Sanchez lib.1. Sum. Moral. cap.10. num.82. Bonaccina de Peccatis disp.2. quæst.4. punct. 8. § *Quintum remedium*, Layman lib. 1. tract.1. cap.6. num.2. Vasquez disp.67. cap.2. Azorius, & alii.

XXIII. Decima regula: dum scrupulus angit animum, nec consilium suppetit, potest Scrupulosus liberè agere, quod vult, dummodo certum, & evidens sibi non sit, esse peccatum: Stoz loc. cit. num.201.

XXIV. Undecima regula: si scrupulus occurrat de aliqua re præterita, verbi gratia, an consenserit turpi cogitationi, blasphemiæ, odio, &c. Scrupulosus (nisi sibi certò constet, & absque examine, & investigatione) judicet se non consensisse, neque peccasse mortalitèr, ut docent Sanchez loc. cit. num.82. Palaus, & alii. Confessiones præteritas non repetat, generales Confessiones non instituat; sed ubi semel judicaverit se integrè, & benè fuisse confessum, quiescat (quod etiam debet facere non Scrupulosus) & ad hoc obligatur, alioquin infamaret Sacrum Pœnitentiæ Tribunal, illudque vehementer odiosum redderet, ut cum Joanne Sanchez disp.41. num.20. docet Stoz loco citato num.207., imò impiè, & indignè de

de Deo ſentiret, dum apprehenderet eum, etiam ſuppoſita Pœnitentia, peccata non remiſſe, quod directè repugnat tum Veritati, tum Fidelitati Divinæ. Similiter dum anxius eſt de recitatis Horis, de adminiſtratis Sacramentis, de prolatis verbis formæ Sacramentorum, de formata intentione, &c. credat ſe benè egiſſe, & pergat in opere incæpto: Filliucius tract.21. num.182.

XXV. Duodecima regula: Confeſſarius, vel alius doctus Director Scrupuloſi gerat ſe authoritativè, & reſolutè reſpondendo ſine ulla hæſitatione: ſi enim timidè loquetur, ſcrupulos non ſedabit, ſed augebit: ſimiliter nullam ſuæ reſponſionis rationem adducat; imò ut plurimùm tam intrà, quàm extrà Confeſſionem non admittat Scrupuloſum ad aperiendos ſcrupulos, quos aperire vellet, etiam cauſa capiendi conſilii, alioquin ſcrupulis finem nunquam faciet: Stoz ubi ſupra num.214. & 215.

XXVI. Decimatertia regula ſit: Director Scrupuloſi non permittat illi Confeſſiones generales, ſed ei perſuadeat, ut à præteritorum peccatorum memoria, tanquàm à turpiſſimis cogitationibus abhorreat: & promittat illi, ut quieſcat, ſe ad Dei Tribunal pro eo reſponſurum, ſi obediat.

XXVII. Decimaquarta regula ſit: inter Scrupuloſos reperiuntur quidam, qui ſunt Conſcientiæ nimis laxæ in aliquibus; hujuſcemodi Scrupuloſi angi ſolent ſcrupulis circa præterita, cum interea nullo metu angantur circa agenda, & non rarò graviter peccent: Hos Confeſſarius ad frequentiam Confeſſionis, & Communionis inducat, cum ipſis non tam ſeverè tractet, ac cum aliis; ſed patiens ſit, benevolus, & prudens, alioquin facilè Scrupuloſus hujuſmodi, tum propter auſteritatem Confeſſarii, tum propter moleſtiam ſcrupulorum, & propter laxam Conſcientiam, omnem Confeſſarii curationem reſpuet, & sìc peribit, quod eſt maximè cavendum, ut rectè notat ſupracitatus Stoz num.222.

XXVIII. Ultima regula ſit: jubeat Confeſſarius Scrupuloſo, ut faciat, quod fieri à bonis, & doctis Viris videbit: Buſſembaum lib.1. tract.1. cap.3. reſponſ.4. n.3.

S. Antoninus in Summa reg.7. doc.4. Sylvester quæst.4. Corradus, & alii.

XXIX. Ad id, quod solent objicere Scrupulosi de illo dicto Sancti Gregorii ad Augustinum Anglorum Episcopum, quod refertur cap. 4. ad 5.: *Bonarum Mentium est ibi etiam culpas agnoscere, ubi culpa non est*, respondet primò ex Gersone Navarrus cap.21. num.284., esse quidem hoc signum animi ad bonitatem propensi, per se tamen bonum non esse, sed Scientiæ, atque Judicii defectum. Respondetur secundò ex verbis ejusdem Sancti, ab ipso ibidèm non intelligi de culpa rigorosè sumpta, sed de magis latè accepta, pro quovis defectu, quem in se ipso homo potest agnoscere, ac deplorare: cum enim proposita illi fuisset quæstio, utrùm mulier, dum menstrua patitur, ad Ecclesiam, & Sanctæ Communionis Mysterium accedere possit? Respondit S. Doctor: *Si ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est, sed si percipiat non judicanda: Bonarum quippe mentium est ibi etiam aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est, quia sæpe sinè culpa agitur, quod venit ex culpa: unde etiam cum esurimus, sinè culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est, ut esuriremus.* Huc usque S. Gregorius: unde patet, ipsum non loqui de culpa, seu peccato rigoroso, cum non dicat: *Si ex timore peccandi percipere non præsumit Eucharistiam*, sed: *si ex veneratione non præsumit, laudanda est*: quod utique laude dignum esse nemo inficiatur, utpotè perfectius: hoc autem nihil suffragatur Scrupulosis, qui non ex veneratione (hoc est ex consilio, & ex majori perfectione) sed ex præcepto ad aliquid faciendum, vel omittendum ex nullo, aut levi fundamento se obligatos existimant, quod certè nec laudabile, aut utile, quinimò perniciosum, ac malum esse omnibus patet.

XXX. Denique quod Scrupulosos maximè angit, illud est: si nunc morti proximus essem, non auderem cum hoc scrupulo excedere: ergo malum est cum hoc scrupulo etiam vivere. Ad hoc tamen rectè respondet Sylvester quæst.3., & Sanchez loco citato num.81. Ille, dicendo:

In

In illo articulo multa faceret homo, quæ tamen necesse non est, nec expedit facere in vita, quia homo tandem desperaret, vel fatuus fieret. Hic, asserendo etiam in illo articulo consultiùs Scrupuloso fore, ut scrupulos contemnat, cum enim scrupuli non sint peccata, de illis confiteri, aut dolere, nec in vita, nec in mortis articulo Scrupulosum non teneri omnes docent.

Et hæc satis dicta sint de Conscientia scrupulosa: qui plura autem circa illam videre desiderat, adeat Joannem Angelum Bossium Barnabitam, & Josephum Rossellum Carthusianum, qui integros libros de hac materia doctè quidem, & eruditè scripserunt.

CAP. VIII.

De Examine Conscientiæ in ordine ad Confessionem, ubi etiam de Circumstantiis in genere.

I. Divisione Conscientiæ tradita, & modo regulandi quamlibet Conscientiam assignato, videndum jam occurrit, quomodò in ordine ad Confessionem Conscientia examinanda sit. Præcepit Dominus sub mortali, ut fiat integra de mortalibus, quæ menti occurrunt, Sacramentalis Confessio: quoniam verò qui præcipit finem, eodem præcepto præcipit etiam media ad ipsum, & medium ad rectam omnium peccatorum Confessionem faciendam sit examen, obligamur utique sub mortali hoc Confessioni præmittere: ità ut voluntaria ejus omissio, vel notabilis in eo habita negligentia sit mortaliter peccaminosa, & reddat Sacramentum Pœnitentiæ vel infructuosum, ut cum Thomistis docet Henriquez lib. 5. cap. 11. num. 1., vel invalidum, ut cum aliis docent Coninck de Pœnitentia disp. 4. dub. 11. num. 71. Layman lib. 5.

lib.5. tract.6. cap.9. num.2., & Suarez disp.20. sect.5. Cum enim formalis integritas sit de essentia Sacramenti, & deficiente aliquo essentiali, deficiat essentia; Sacramentum nullum est, atque adeò talis Confessio in istorum sententia est repetenda.

II. Est hoc examen investigatio diligens eorum, quæ à Pœnitente, ut reo, & accusatore sunt ad Sacrum Pœnitentiæ Tribunal deferenda, & à Sacerdote, ut Judice cognoscenda, & judicanda.

III. Ex triplici capite fieri nihilominùs potest aliquando, ut quis benè confiteatur etiam sinè prævio examine. Primò, si necessariò confitendum sit, & temporis angustiæ non permittant se examinare, ut in repentino mortis articulo; verbi gratia, dum imminet naufragium, dum committitur prælium, dum quis in proximo mortis articulo conjicitur ex improviso vulnere: tunc enim sufficit dicere, quod statim menti occurrit.

IV. Secundò, si quis sit valdè rudis, ut sunt aliqui agrestes, pueri, & similes, aut si laboret scrupulis, metuatque, quòd quo magis se examinaverit, tanto plùs angustiabitur: in his enim sufficit, si habeant propositum fideliter respondendi Confessario, quem sciunt de more interrogaturum: Stoz lib.1. part.1. quæst.1. art.1. num.5. ubi citat Bonaccinam, & Suarez.

V. Tertiò, quando quis rationabiliter præsumit, se nullum peccatum lethale admisisse, unde qui piè vivunt, & sæpe confitentur, possunt statim sine prævio examine confiteri; quidquid in contrarium, certè sine sufficienti fundamento, afferat Jacobus Coreglia in sua praxi Confessionarii nuper edita. Ratio est, quia si quid grave haberent, facillimè, & sine examine recordarentur, atque adeò cessante tunc fine examinis, cessat etiam ejus obligatio: & ideo hanc sententiam loco superiùs citato meritò docet cum aliis Matthæus Stoz.

VI. Diligentia in se examinando non debet esse summa: cum enim tanta esse non possit, ut nequeat esse major, & accuratior, si deberet esse summa, nunquam obtineretur Conscientiæ quies, quod tanquam durissimum om-

omnes Theologi respuunt, ut videri potest apud Reginaldum lib.4. cap.2. num.8.

VII. Sufficit ergo, quòd sit mediocris, idest talis, qualem in re seria, & magni momenti adhibere solent homines prudentes: Ita Layman lib.5. tract.6. cap.8. n.5. Coninck disp.7. dub.9. num.71. cum Suarez, & aliis. Hæc autem mediocris diligentia tunc adhibetur, quando homo juxtà conditionem sui status considerat, & reflectit de die in diem, de hora in horam quid solitus fuerit cogitare, dicere, & operari contra præcepta Dei, & Ecclesiæ: perlustrato enim sic hoc tempore, potest acquiescere, & credere se satisfecisse, nec ad aliud examen tenetur, licet putaret, se reperturum alia, si diligentiùs investigaret, hæc enim esset summa diligentia, ad quam non teneri jam diximus: Stoz loc. citato num.11. Quicumque igitur ità se examinaverit percurrendo tempus, & reflectendo ad locum, ad personas, & ad negocia, in quibus versatus est, adhibuit media opportuna ad menti revocanda præterita, ergo examini satisfecit.

VIII. Ad sedandos scrupulos, & nimium timorem depellendum scire oportet, quòd qui bona fide, seu voluntate accessit ad examen, desiderans sufficientem diligentiam adhibere, non debet timere se defectu examinis non esse rectè, & fructuosè confessum: nam peccata mortalia sunt per se tam obvia, & patentia, ut, nisi examinis negligentia sit crassa, & notabilis, non possint latere hominem timoratæ Conscientiæ. Unusquisque igitur tantùm temporis in discutienda sua Conscientia impendat, quantum pro ratione suæ Personæ, & conditionis judicaverit satis esse ad recolenda peccata, quæ ab ultima Confessione ritè facta commisit.

IX. Insuper videndum est, ne multum laboret Pœnitens in pervestigandis tentationibus, quibus consensum non præbuit, hoc enim necesse non est ad Tribunal Pœnitentiæ deferre, alioquin Forum hoc Sacramentale nimis grave, & odiosum tam longa, & inutili narratione redderetur: quare si has velit Confessario aperire, id faciat breviter, ne tempus inutiliter insumat: tentationes verò, quas

quas non repulit, necesse est omninò aperire. Vide Joannem Sanchez in suis Selectis Disputationibus à disputatione prima ad quintam.

X. In examine indaganda sunt numerus, species, & circumstantiæ peccatorum: sicut enim hæc tria exprimenda sunt, ut Confessio integra fiat, ità etiam sunt in examine pervestiganda.

XI. In materia necessaria, idest mortali, non sufficit dicere numerum in confuso: verbi gratia, se aliquoties pejerasse, aliquoties furatum esse, &c. Colligitur hoc ex Tridentino sess.14. cap.5. & can.7., ubi definit confitenda esse omnia, & singula peccata mortalia, eorumque circumstantias, quæ speciem mutant. Qui ergo scit præcisum numerum peccatorum, verbi gratia, se deciès furatum esse, tenetur illum exprimere, nec plus, minusve dicere: Navarrus in Manual. cap.6. num.14. ad principium capitis *Consideret de pœnit.* dist.5. num.40. Dicastillus disp.9. dub.3. num.210. Victoria de Sacramentis num.178. Stoz lib.1. part.1. quæst.1. art.8. num.93. & 94. Debet igitur Pœnitens in examine recogitare numerum præcisum mortalium, & profectò si certò sciret, se blasphemasse septies, & præ verecundia, vel alia simili causa confiteretur se septies plùs, minùsve blasphemasse, peccaret mortaliter, quia peccata sunt confitenda, prout sunt in conscientia. Ità Sylvester Dominicanus in Summa verb. *Confessio* 1. quæst. 11. circa finem, Suarez disp.22. sect.5. num.37., & alii communiter.

XII. Quod si Pœnitens post moralem diligentiam in examine adhibitam, non possit certum, & præcisum numerum deprehendere, videat, an saltem sibi occurrat, qui videatur verisimilior, & hunc exprimat cum particula circiter, plùs, minùsve. Ita Stoz loco citato cum communi Doctorum. Et ita satisfacit etiam si postea deprehendat, se aliquoties plùs, vel aliquoties minùs dixisse, dummodò id, in quo erravit, non sit notabiliter minuens verum numerum: exempli gratia, si quis se accusavit pejerasse decies, & postea recordetur, se pejerasse duodeciès, non est necesse, quòd se accuset postea

de

de illis duabus vicibus, quia particula circiter comprehendit etiam hunc parvum numerum: similiter si se accusavit, se fornicatum esse viciès plùs, minùsve, & postea certò recordetur, se fornicatum esse viciesquatèr, non est necesse, ut de illis quatuor vicibus se denuò accuset: ità Vasquez, Suarez, Coninck, Sa, & alii apud Eminentissimum Cardinalem de Lugo disp.16. de Pœnitentia sect.2. §.4. num.78.: at si numerus omissus esset tam notabilis, ut ex communi modo loquendi hominum non comprehenderetur sub illa particula circitèr, exempli gratia, si dixisset viciès, & deprehenderet, fuisse quadragiès, vel etiam triciès, tunc teneretur de tanto numero se accusare, sicuti deberet se accusare de peccatis inculpabiliter oblitis: ità communiter Doctores, quidquid in contrarium dicat Verricelli, qui tract.1. Quæst. Moral. quæst.5. asserit illud plùs, minùsve, importare dimidium supra quantitatem expressam: certè sine sufficienti fundamento hoc asserit; ex hoc enim sequeretur, quòd qui dicit se, verbi gratia, pejerasse centiès, plùs minùsve, intelligendus esset, quinquagiès, aut centiès quinquagiès pejerasse, quòd tamen in communi hominum loquendi modo nunquam intelligitur. Si verò excessus etiam notabilis fuit in fatendo numerum majorem, qui postea valdè minorem fuisse deprehendatur, verbi gratia, se accusavit quis de centum blasphemiis, & postea deprehendit solùm fuisse decem, non tenetur ad aliud: ità de Lugo disp.18. num.359. Ratio est, quia in numero majori includitur etiam minor, & solùm obligamur fateri id, quod nos fecimus, non quod non fecimus: unde hæc secunda esset excusatio, non accusatio; obligatio autem est ad se accusandum, non ad excusandum. Ità Tamburinus in Method. Confessionis cap.1. lib.2. § 4.

XIII. Illud etiam hìc obitèr adverto, non esse probabilem opinionem Martini Vivaldi, qui in Candelabro aureo de Confessione tit.7. §. *Sed dixi*, num.3. dicit, quòd si quis adhibuit debitam diligentiam in examine, & fateatur peccata, de quibus recordatur, licèt postea reperiat valdè majorem eorum numerum fuisse, non te-

 netur

netur iterum confiteri hunc numerum quantumcumque magnum, si in prima Confessione jam dixerit se accusare etiam de omnibus aliis, quæ Deus scit ab eo fuisse commissa; hoc autem, utpotè sine sufficienti ratione, & contra omnes Doctores assertum admitti non potest, quod etiam notavit idem Tamburinus ubi supra.

XIV. Sed inquires: si facto diligenti examine non possit numerus certus, aut verisimilis deprehendi, quomodo se gerere debet Pœnitens? Respondeo; tunc disquirendum erit, quantùm fieri poterit, qua frequentia peccatum ab eo commissum fuerit per diem, hebdomadam, & mensem, & sic investigabitur numerus verisimilior. Si verò nec etiam hoc modo numerus verisimilis inveniri queat, ut contingit in meretricibus, & in habituatis peccatoribus, exprimendum est tempus, & consuetudo peccandi, & ut docet Suarez disp.5. num.39. hujusmodi Pœnitentes non sunt nimis urgendi ad proferendum certum aliquem numerum peccatorum, cum hoc, ut plurimùm, sit moraliter impossibile. Valdè proderit ad Confessionis integritatem ab hujusmodi peccatoribus extorquendam, si patiens, & benignus Confessarius suppleat in ipsis defectum examinis, interrogando eos de singulis præceptis Decalogi, de præceptis Ecclesiæ, de peccatis capitalibus, de malo usu quinque Sensuum, & de culpis, quas circà exercitium proprii status committere potuerunt.

XV. Præter numerum, & speciem peccatorum exponendæ sunt etiam circumstantiæ eorumdem. Dicitur circumstantia illud prædicatum, quod actui humano in certa specie morali constituto accedit, & veluti circumstat substantiam actus: exempli gratia, si quis rem invito Domino subripiat, talis subreptio est furtum in sua specie morali perfectum: si tali furto addatur ipsum fuisse patratum in Ecclesia, cujus custodiæ fortè res illa tradita fuerat, talis circumstantia loci Sacri ponit furtum in specie sacrilegii. Similiter occisio hominis est peccatum completum in specie morali Homicidii; si vero ipsi addatur, quòd Occisus, verbi gratia, fuerit Pater Occidentis; talis

lis circumſtantia ponit occiſionem in ſpecie morali Parricidii, & ſic de aliis.

XVI. Ex circumſtantiis, aliæ ſunt, quæ ſpeciem mutant, aliæ, quæ peccatum in infinitum aggravant, aliæ, quæ in infinitum minuunt, & aliæ, quæ purè aggravant. Speciem mutantes ſunt, quæ duplici Virtuti opponuntur: verbi gratia, occiſio Clerici opponitur Juſtitiæ, & Religioni: adulterium opponitur Juſtitiæ conjugali, & Caſtitati. Item quæ opponuntur uni etiam Virtuti, quæ tamen ſub diverſa ratione formali præcipitur: ut cum quis unica actione violat Juramentum, & Votum, verbi gratia, non ſervando Jejunium, ad quod ſe obligaverat & Juramento, & Voto.

XVII. Aggravantes in infinitum ſunt, quæ materiam venialis transferunt ad materiam peccati mortalis; verbi gratia, ſi quis leviter mentiatur, ut fornicetur.

XVIII. Minuentes in infinitum dicuntur, quæ materiam peccati mortalis transferunt in materiam venialis: exempli gratia, ſi quis abſque plena advertentia proferat blaſphemiam, &c.

XIX. Purè aggravantes ſunt, quæ aggravant malitiam intra eamdem ſpeciem, exempli gratia, furtum viginti aureorum eſt gravius furto decem aureorum. Delectatio venerea per horam gravior eſt illa, quæ durat per quadrantem horæ, &c.

XX. Priores tres circumſtantias comprehendit Concilium Tridentinum ſeſſ.14. cap.5. & can.7. ſub nomine mutantium ſpeciem, quatenus declarat debere in Confeſſione explicari circumſtantias, quæ ſpeciem mutant; ideo in examine debet Pœnitens in his diligenter Conſcientiam ſuam examinare: ità communiter omnes Doctores.

XXI. Controverſia, & quidem celebris apud Doctores eſt, an circumſtantiæ purè aggravantes ſint in Confeſſione aperiendæ. Eſſe enim neceſſariò confitendas docent non pauci; ut Suarez diſp.22. ſect.3. Henriquez de Pœnit. lib.2. cap.7. num.6. Fagundez lib.4. de Præcept. Eccleſiæ præcept.2. num.10. Thomas Sanchez lib.2. in

Summa cap.32. num.39., & lib.4. cap.11. num.24., aliique plures apud Efcobar tom.1. lib.3. fect.2. cap.10. problemate 49. , & Eminentiffimum Cardinalem de Lugo tom. de Pœnit. difp.16. fect.3.

XXII. Communiffima tamen, ac verior fententia tenet hujufmodi circumftantias in Confeffione neceffariò non effe aperiendas. Hanc docet Divus Thomas in quartum Sententiarum dift.16. quæft. 3. art.2. quæftiuncula 5. ubi ait: *Dicendum, quòd omnes circumftantias fateri eft impoffibile, quafdam eft neceffitatis, fed in hoc eft differentia opinionis; quidam enim dicunt, quòd omnes circumftantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri neceffitatis eft, fi memoriæ occurrunt; alii verò dicunt, quòd non fint de neceffitate confitendæ, nifi circumftantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt: & hoc probabilius eft, fed addendum eft, quæ ad aliam fpeciem mortalis trahunt, cujus ratio eft, quòd venialia non funt de neceffitate Confeffionis, fed folùm mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodò habent; & quia circumftantiæ aggravantes, quæ aliam fpeciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidèm, fed non mortalis peccati, non funt de neceffitate Confeffionis, tamen eafdem confiteri perfectionis eft, ficut & de venialibus dictum fuit.*

Idem docet D. Bonaventura in Quartum dift. 17. part.3. quæft.3. art.2. circa finem his verbis: *Unde dicendum, quòd Confeffio circumftantiarum in aliud genus trahentium fpectat ad Confeffionem quantùm ad neceffitatem: Confeffio verò aggravantium, quantùm ad congruitatem, & hoc eft probabilius.* Hoc ipfum docet Scotus, qui (ut refert Angles in floribus de Sacram. Confeffionis) dicit has circumftantias effe utile confiteri, non neceffe. Hanc fententiam tuentur etiam D. Antoninus, Durandus, Paludanus, Valentia, Sylvefter, Turrecremata, Viguerius, Armilla, Tabiena, Zanardus, Medina, Gabriel, Almainus, Adrianus, Navarrus, Reginaldus, Tamburinus Anacletus, aliique communiter apud Dicaftillum difp.9. dub.3. num.180. Palaum tract.23. tom.4. difp. unica punct.9. Vafquez quæft.91. art.1. dub.2. Joannem Sanchez difp.11.

num.6.

num.6. Dianam part.5. tract.14. resol.56. Leandrum à SS. Sacramento tom.1. tract.5. disp.8. quæst.4. Escobar, & de Lugo citatos.

XXIII. Et ratio est clarissima; quia non est imponendum onus tam grave, nisi constet de Lege illud imponente; at Lex non imponit, nisi specierum, & numeri peccatorum Confessionem, ut patet ex Concilio Tridentino sess. 14. cap.5., ergo non est cur hanc obligationem confitendi circumstantias, quæ speciem peccati non mutant, sed solùm aggravant, imponere debeamus.

XXIV. Neque dicas Catechismum Romanum 2. part. de Pœnit. cap.5. num.48. contrarium asserere, cum dicat; *Non solùm peccata gravia narrando explicare oportet, verùm etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valdè augent, vel minuunt:* nam respondetur, Catechismum ibidem nomine circumstantiarum valdè augentium, vel minuentium intelligere illas, quæ speciem mutant, quod patet ex ipsius verbis, quæ immediatè post supradicta subjungit, & cum particula *enim* iisdem connectit, scilicèt: *quædam enim circumstantiæ adeò graves sunt, ut ex illis tantùm constet peccati mortiferi ratio, quare hæc omnia confiteri semper oportet: si quis enim hominem interemit, explicandum est, utrum ille Sacris initiatus fuerit, vel prophanus. Itemque si cum muliere concubuit, Matrimonii ne lege libera, aut alterius uxore, aut propinqua, aut alicujus voti sponsione Deo consecrata aperiat, necesse est:* unde patet Catechismum, nomine circumstantiarum notabiliter aggravantium hic intelligere eas, quæ speciem peccati mutant, dum se explicando pro exemplo has adducit, non verò solùm notabiliter aggravantes, aut minuentes.

XXV. Varii itidèm textus, ut cap. *Consideret* dist.5. de Pœnit. & caput 21. Innocentii III., &c., qui adduci solent pro contraria sententia, intelligendi sunt loqui de congruentia, non verò de necessitate, quod certè patet ex verbis ipsorum; nam ibi inter circumstantias, quas confitendas dicunt, multas enumerant, quas certum est non esse, etiam per Sectatores contrariæ sententiæ, necessa-

cessariò in Confessione explicandas, ut, verbi gratia, si peccatum factum sit in die festo, in tempore, aut Orationi, aut Jejunio constituto, &c., quas omnes circumstantias luce meridiana clarius est, non esse necessariò confitendas; unde cum citati textus dicant has etiam debere confiteri, debere dicunt ex consilio, non ex præcepto, ut patet.

XXVI. Ad id denique, quod ex Concilio Tridentino objici potest, nempe quod talis requiratur Confessio, quæ sufficiat, ut Sacerdos de gravitate criminis possit rectè judicare, quod ab eo fieri non potest, nisi confiteantur etiam circumstantiæ aggravantes, aut minuentes, quippè quod istarum Confessio valdè mutet judicium Confessarii: Respondetur ex de Lugo citato, quòd Concilium Tridentinum requirit talem Confessionem, qua Sacerdos possit rectè judicare quoad substantialia, hoc est quoad speciem, & numerum peccatorum, non verò quoad accidentalia, scilicèt quoad ea, quæ substantialiter non mutant judicium Confessarii, sed solùm peccatum valdè aggravant, aut minuunt.

XXVII. Et profectò si verum esset, quòd fateri necessariò teneremur ea omnia, quæ judicium Confessarii mutant circà accidentalia, esset obligatio confitendi etiam circumstantias parùm aggravantes, cum istæ quoque aliquo modo mutent judicium Confessarii circà peccatum à Pœnitente commissum: cum autem hoc secundum nemo asserat, nec etiam primum dicendum est.

Et hæc satis de circumstantiis in genere. Cum autem valdè controversum sit inter Doctores de pluribus circumstantiis in particulari, an tantùm sint aggravantes, an verò mutantes speciem, propterea distinctis capitulis de singulis agemus in particulari, præsertim verò de illis, quæ in celebri illo carmine continentur: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cùr, quomodò, quandò.*

CAP.

C A P. IX.

De Circumſtantia Quis.

I. HÆC Circumſtantia denotat qualitatem, ſeu conditionem perſonæ, non qualis eſt, quandò confitetur, ſed qualis fuerit, quandò peccatum commiſit: hoc enim ſolùm attenditur in omnibus circumſtantiis, in ordine ad Confeſſionem, in qua non ſunt hæc explicandæ ſecundùm præſentem ſtatum Confitentis, ſed ſecundum ſtatum, quem habebat Pœnitens, quando peccavit.

II. Conſiderandum igitur eſt, an Perſona, quæ peccavit, fuerit Deo ſacrata, aut profana, Matrimonii, aut Voti lege devincta, vel ſoluta, conſanguinea, aut affinis cum iis, cum quibus fortè carnaliter peccavit, conſtituta in regimine, vel Officio, aut ſpeciali obligatione adſtricta, vi cujus ad aliquod agendum, impediendum, vel evitandum teneatur; ac denique an aliquid aliud adſit, propter quod ad aperiendum ſtatum propriæ Perſonæ obligetur.

Ex quibus ſequentes caſus reſolvuntur.

III. Qui Voto, & Juramento ad jejunandum ſe obligavit, ſi non jejunet, peccatum cum duplici malitia committit, altera ſcilicet contra Fidem Deo datam, altera contra obligationem non adducendi Deum in teſtem falſitatis. Ità Sanchez lib.7. de Matrim. diſp.27. num.*26*. Tamburinus in Method. Confeſſ. lib.2 cap.3. §.2. num.20. Cardinalis de Lugo diſp.*16*. num.*169*. Dicaſtillo diſp.*9*. d.8. num356., & alii.

IV. Frigidus, & Eunuchus carnaliter cognoſcentes Fœminam, debent hanc circumſtantiam explicare, quia, cum eorum copula finem a Natura intentum non habeat, eſt peccatum contra Naturam, ut docent Sanchez lib.7. diſp.5. num.14. de Matrim. Diana part.3. tract.4. reſol.*139*.

& part.

& part.6. tract.6. resol.35. Lessius lib.4. cap.3. dub.6. num.45. Lugo loco cit. num.175. Dicastillo disp.9. dub.8. num.374., & alii communissimè; unde immeritò dixit Filliucius tom. tract.10. part.2. cap.1. num.23., rem hanc esse valdè dubiam.

V. Peccans contra votum sæpiùs repetitum non debet talem voti repetitionem explicare, quia non addit ullam specificam differentiam: Sanchez ubi supra disp.27. num.27. Cardinalis de Lugo disp.16. sect.4. num.146. Tamburinus lib.2. cap.1. §.8. num.52. Dicastillus de Pœnit. disp.2. num.277. & disp.8. num.305. & 315.

VI. Quæres primò, utrùm obstrictus voto Castitatis debeat votum suum explicare, si suo consilio fuit causa, ut duo non habentes tale votum Castitatis peccarent inter se contra Castitatem? Respondeo, consulentem contra votum Castitatis non peccare, atque adeò non obligari in Confessione suum votum aperire. Ratio est, quia votum nequit obligare ultrà intentionem voventis; sed vovens Castitatem intendit se obligare tantùm ad abstinendum ab omni delectatione venerea, & operatione, quæ suæ Castitati opponitur; ergo dum est causa, quòd alius peccet contra Castitatem, non violat proprium votum Castitatis; non enim promisit Deo alienam, sed suam Castitatem. Ità Caramuel in Regula S. Benedicto disp.66. num.986.

VII. Notandum tamen pro majori hujus responsionis intelligentia, quòd Virtus Castitatis ad plura se extendit, quàm votum: nam votum respicit solam Castitatem ipsius Voventis, virtus verò Castitatis respicit etiam Castitatem alienam, quia obligat quemlibet, ne quidpiam agat, quod ipsi Virtuti opponatur: cum itaque habens votum Castitatis facit suo consilio, præcepto, vel malo exemplo, ut alter Castitatem violet, peccat quidem contra Virtutem Castitatis, sed non contra votum. Ità è Societate Jesu doctissimus Thomas Sanchez in Summa lib.5. cap.6. num.11. Cardinalis de Lugo disp.16. sect.4. num.156. Oviedo 1. 2. tract.6. de Peccatis controv. 2. punct.6. num.100., & Castropalaus tom.3. tract.16. disp.3.

punct.1.

punct.1., quos ſequitur Caramuel loco citato cum aliis plurimis, quamvis oppoſitum cenſeat probabilius Joannes de Cardenas diſp.38. cap.3. ſuæ Criſis: qui tamen ibidem num.30., tanquam probabilem admittit noſtram ſententiam, quam præter citatos docent etiam Arriaga, & Pellizzarius ab eo citati.

VIII. Quæres ſecundò, an violans votum ſolemne Caſtitatis, & alii carnaliter peccantes cum perſona habente tale votum, debeant in Confeſſione voti ſolemnitatem explicare. Reſpondeo non debere: ratio eſt, quia votum ſolemne Caſtitatis non diſtinguitur ſpecie à voto ſimplici, ut cum Scoto, & aliis tradit Sanchez lib.7. de Matrim. diſp.25. num.6., dicens ejuſdem ſententiæ eſſe omnes, qui aſſerunt votum ſolemne Caſtitatis ſolo jure Eccleſiaſtico dirimere Matrimonium, quos ad quinquaginta ibidèm refert diſp. 26. num.2., quorum multi teſtantur Summos Pontifices variis vicibus in eo diſpenſaſſe: ergo hæc circumſtantia ſimplicis, aut ſolemnis ſpeciem non mutat: ergo ſufficit ſe accuſare de peccato contrà votum in hac, vel illa ſpecie luxuriæ commiſſo, non dicendo, an votum fuerit ſolemne, vel ſimplex.

IX. Quæres tertiò: an inducens pravo ſuo exemplo, conſilio, vel præcepto habentem votum Caſtitatis ad peccandum contra Caſtitatem, debeat in Confeſſione explicare votum peccantis, cui ſcandalum dedit, ideſt illius, quem ad peccandum induxit? Reſpondeo: circà malum exemplum, quidam ſic diſtinguunt; ſi quis faciat actionem, quam prævidet futuram Proximo occaſionem peccandi contra votum Caſtitatis, hic nec tenetur explicare votum alterius, nec ſpeciem peccati, ad quam illo malo exemplo inducit: ratio eſt, quia Caſtitas obligat quidem unumquemque, ut poſitivè non inducat alterum ad luxuriam, non tamen obligat quemquam, ut poſitivè procuret alios eſſe caſtos. Similiter votum Caſtitatis obligans alium directè ex Virtute Religionis ad ſervandam Caſtitatem, obligat quidem indirectè quemlibet, ne poſitivè removeat illum ab obſervantia voti, non tamen obligat, ut procuret eum obſervare votum: ergo dum

K ſolo

ſolo malo exemplo meo ſum cauſa, ut alter violet votum Caſtitatis, facio quidem contra Charitatem, quia non impedio, ut poſſem, Proximum, ne violet votum, non tamen poſitivè facio, ut ille tranſgrediatur votum: ergo ſicuti omittens correctionem fraternam, non tenetur explicare ſpeciem peccati, quod in Proximo non impedivit, ità qui prævidet Proximum ex ſuo malo exemplo accepturum occaſionem violandi votum Caſtitatis, & id non impedit, non tenetur explicare ſpeciem peccati, ad quod sic induxit, ſed ſatisfaciet ſe accuſando de ſcandalo gravi, quod Proximo præbuit. Ita de Lugo diſp.16. ſect.4. num.157. Navarrus in Sum. cap.6. num.19. Suarez diſp.10. de Charitate ſect.2. num.9. Salas in 1. 2. tom.2. tract.13. diſp.5. ſect.15. num.128. & 134.

X. Verior nihilominus ſententia eſt, tam eum, qui pravo exemplo, quàm eum, qui præcepto, vel conſilio inducit habentem votum Caſtitatis ad peccandum contrà votum, teneri explicare votum peccantis. Ratio eſt, quia quælibet Virtus ſicut mihi prohibet, ne ad ejus violationem alterum conſilio inducam, ità etiam, ne ſim cauſa talis violationis, præcipit: ſed qui malo ſuo exemplo prævidet, ſe inducturum alios ad violandum votum Caſtitatis, verè eſt cauſa moralis, ideſt moraliter influens in violationem voti Caſtitatis, cum non ſit minùs movere facto, quam verbo ad peccandum; ergo verè delinquit contra Virtutem, & Caſtitatis, & Religionis; ergo tenetur talem circumſtantiam in Confeſſione explicare, ut docent D. Thomas 2. 2. quæſt.43. art.3. Sanchez lib.7. de Matrim. diſp.27. Vaſquez loco citato num.20. in fine, Diana part.3. tract.4. reſolut.114. Hurtadus de Mendoza 1. 2. diſp.173. ſect.8. num.61., & alii apud Moyam tract.3. de Pœnit. diſp.3. quæſt.2. cap.3. num.15.

XI. Unum hìc adverto, quòd quando pravum exemplum datur iis, qui ſunt tàm perditis moribus, ut ſua ipſi potiùs pravitate, quàm aliena actione inducantur ad peccatum, non peccat peccato ſcandali ille, qui malum exemplum præbet, quia illi non cenſentur ab eo moraliter inducti ad peccandum: ita Thomas Sanchez in Sum.

lib.1.

lib.1. cap.6. num.6. Cardinalis de Lugo num.166. loco citato, Tamburinus in Method. lib.2. cap.1. §.17. n.103. Diana part.5. tract.7. resol.3. Joannes Sanchez disp.46. num.11., & alii.

XII. Inquires obiter, an unico actu scandalizans plures obligetur in Confessione exprimere, quantum potest, numerum Personarum, quas scandalo affecit? Respondeo, utique obligari, nec sufficere explicare pluralitatem personarum in confuso, quia moraliter sunt tot numero peccata, quot sunt personæ scandalizatæ. Ita Diana part.3. tract.4. resol.114., & Moya loco citato cap.3. in fine. Oppositum tamen probabiliter etiam docet Cardinalis de Lugo apud Tamburinum in sua Methodo verè aurea de Confess. lib.2. cap.1. num.64. cum aliis.

XIII. Quæres quartò, an Confessarius, qui Pœnitentem carnaliter cognovit, teneatur hanc circumstantiam in Confessione aperire? Respondeo, non teneri. Ratio est, quia ex Decreto Bonifacii VIII., in cap. final. de Cognotion. in 6. ex nullo alio Sacramento præter Baptismum, & Confirmationem oritur cognatio spiritualis; ergo peccatum cum filia spirituali non est incestus, atque adeò non addit circumstantiam mutantem speciem, unde nec ex necessitate confitendam. Ita communiter Doctores Basilius de Leone de Matrimonio lib.7. cap.38. Joannes Sanchez in Selectis disp.11. num.5. Sa in Summa correcta num.26. Oviedo 1. 2. tract.6. controv.5. punct.3. §.12. num.84. Texeda tom.1. Theolog. Moralis lib.2. tract.3. controv.10. dub.4. num.53. Dicastillus disp.9. de Pœnit. dub.8. num.603. Villalobos in Sum. tract.9. de Sacram. Pœnit. difficult.36. Gabriel à S. Vincentio de Pœnit. disp.8. quæst.6. difficult.5. Marcus Vidal in Arca Salutari tract. de Sacram. Pœnit. inquisit.13. num.31. Cardinalis de Lugo disp.16. sect.6. num.359.; aliique plurimi contra Thomam Sanchez lib. 7. de Matrim. disp.55. Coninck disp.32. num.23. Viguerium, Sotum, Armillam, & nonnullos alios.

XIV. Inquires, an possit Pœnitens confiteri suum peccatum eidem Confessario, cum quo illud commisit?

Respondeo: si talis Confessio non sit occasio permanendi in proximo periculo peccandi, nec probabiliter timeatur aliquod periculum novi consensus, aut sollicitationis ex parte Confessarii, potest licitè confiteri, quia his seclusis Pœnitens est rectè dispositus, & nullibi prohibitum est Confessario illum absolvere, atque adeò tum validè, tum licitè absolvit. Si verò aliquod ex prædictis periculis inesset, nec validè, nec licitè absolveret.

XV. Et in hoc sensu accipienda est prohibitio, quæ in aliquibus Diœcesibus extat, absolvendi Complicem sub pœna Suspensionis, cum enim pœna supponat culpam, & seclusis præfatis periculis, nulla sit culpa absolvere Complicem, prædicta prohibitio, utpotè pœnalis, nequit intelligi nisi de casu, in quo talia pericula adsint, in quibus est peccatum & confiteri, & absolvere: ut tradunt D. Thomas in addit. ad 3. partem quæst.20. art.2. Joannes Medina Cod. de Confessione cap. de circumstantiis mutantibus speciem, Jacobus Grassius in Decis. Aureis part.1. lib.1. cap.20. num. 30. Joannes Sanchez in Selectis disp.11. num.16. Marcus Vidal loco superiùs citato num.12. Antoninus Diana part.5. tract.14. resolut.22. Basilius Pontius de Leone de Matrimonio lib.7. cap.38. Eminentissimus Cardinalis de Lugo disp.16. sect.6. n.362. Moya tract.3. de Pœnit. disp.3. quæst.2. c.4., cum Thoma Hurtado, Soto, Sylvestro, Ledesma, Victoria, & aliis.

XVI. Advertendum est hìc, quòd licet hæc Doctrina vera esse posset pro nostra etiam Diœcesi Florentina, quando sub pœna suspensionis prohibita erat absolutio Complicis in re venerea, ea tamen ampliùs locum non habet; cum Illustrissimus, ac Reverendissimus D. THOMAS BONAVENTURA EX COMITIBUS DE GHERARDESCA, Archiepiscopus noster vigilantissimus in sua Synodo Anni MDCCX. tit.2. cap.6. n.18. absolutionem Complicis in re venerea nullam declaret his verbis: *Nulla sit absolutio Complicis in re venerea, cujus materia absolutè, & in se actio indifferens non judicatur, sed per se in actum carnalem, sive completum, sive incompletum prodit.*

CAP.

CAP. X.

De Circumſtantia Quid.

I. AD tria Capita reduci poteſt hæc Circumſtantia, nempe ad rem in peccato volitam, aut deſideratam, ad perſonam, ad quam terminatur peccatum, & ad effectum, qui ex peccato ſubſequitur.

II. Quod attinet ad rem, ſi hæc ſit ſacra, addit ſpeciem ſacrilegii. Intelliguntur autem nomine rei ſacræ, Sacramenta, Vaſa Sacra, ut Calices, & Veſtes Sacræ, Sacramentalia, Imagines Sacræ, Verba Divinæ Scripturæ, & ſimilia: & ideò ſacrilegium committit, qui rem ſacram, verbi gratia, Calicem, aut rem traditam cuſtodiæ loci ſacri furatur, ut docet Bonaccina tom.1. diſp.3. de primo præcepto Decalogi quæſt.6. punct. unic. n.4. & 7., ſimiliter qui verbis Sacræ Scripturæ, vel ſacris Imaginibus ad ſuperſtitiones, vel ad ridicula, jocos, vel hæreſes confirmandas utitur.

III. Quoad perſonam verò, conſiderandum eſt, an ſit Deo ſacrata per votum, aut Matrimonio ligata, aut affinitate conjuncta, &c. Eſt enim talis perſona, ad quam terminatur peccatum, veluti pars materiæ illius peccati, & ideò meritò ſub hac circumſtantia continetur. Explicandus autem eſt in Confeſſione ſtatus talis perſonæ, ut tota peccati materia confiteatur; cum ad aliam ſpeciem in illis circumſtantiis peccatum tranſeat.

IV. Denique quod ſpectat ad effectum, qui ex peccato ſubſequitur, non ſemper ille eſt in Confeſſione aperiendus, ſed tunc ſolùm, quando facit unum cum peccato: verbi gratia, vulneraſti aliquem, qui ſtatim ex illo vulnere occubuit; non ſufficit in Confeſſione dicere vulneravi quemdam vulnere lethali, ſed debes dicere occidi Hominem; alioquin peccatum, quod feciſti, non confite-

re-

reris. Si verò aliquem, verbi gratia, vulneraſti, qui poſt multos dies ex illo vulnere occubuit, ſufficit, ſi te accuſes, vulneraſſe aliquem lethaliter non explicando mortem ſecuutam, dummodo tamen non adſit reſervatio homicidii, & Pœnitens circa reſtitutionis obligationem ſit probè inſtructus; quia in hoc caſu mors eſt effectus peccati moraliter ab ipſa peccati materia diſtinctus: in primo vero caſu mors non ſolùm eſt effectus, ſed veluti materia ipſa peccati.

V. Quæres primò, utrum in peccato furti debeat expreſsè declarari quantitas furti? Reſpondeo: antequam hæc quæſtio reſolvatur, placet advertere, quòd furtum poteſt dupliciter conſiderari. Primò ex proprio objecto, ſecundò ex damno, quod infert Proximo. Ex proprio objecto opponitur Juſtitiæ legali, cujus munus eſt velle, & procurare Bonum Reipublicæ, cujus cum quilibet Civis ſit pars, tenetur ad Bonum partis, propter Bonum totius: quare cum ſit contra Bonum commune, & contra rectam Reipublicæ gubernationem, quòd homines ſine juſto titulo diteſcant ex alieno, alioquin daretur occaſio latrociniis, & homines pauperes labori incumbere nollent, modicaſque quantitates ſingulis ſurripientes vivere ex alieno gauderent, quod quidem Bono publico, & rectæ rationi maximè adverſatur; ſit, ut furtum, etiam ſecluſo gravi damno Proximi, ſit aliquando peccatum mortale: ſic mortale eſt à Rege furari mille aureos, licèt tale furtum Regem graviter non damnificet: ſimiliter mortale eſt, ſi quis à pluribus furando quid modicum, verbi gratia, unum julium, deveniat ad materiam centum ducatorum, quamvis ſingulis leve damnum inferat; quia furtum per quamcumque notabilem quantitatem furto ſublatam graviter opponitur Juſtitiæ publicæ, ſeu legali. Ex damno verò, quod infert Proximo, habet furtum aliam ſpecie malitiam, quia opponitur Juſtitiæ commutativæ. Ita doctiſſimus Joannes à Cruce Dominicanus in ſuo Directorio part.1. præcept.7. quæſt.2. de Furto concl.3. dub.2. Oviedo 1. 2. tract.6. de Peccatis controverſia 3. punct.6. num.97. Stoz lib.1. part.1. quæſt.1. num.55.

Ste-

Stephanus Moya quæſt.3. cap.1. num.3. qui ibidem §.2. in fine num.12. notat, quòd in communi Doctorum ſententia nulla certa quantitas reſpectu omnium determinari poteſt pro materia notabili furti, quatenus eſt damnificativum Privatorum, ſed diverſa requiritur reſpectu Pauperis, & reſpectu Divitis; quia quantitas, quæ reſpectu Pauperis eſt grave damnum, verbi gratia, furtum unius aſſis à mendico, qui non habet aliud, quo illo die vivat; eſt grave damnum, & conſequenter peccatum mortale, reſpectu Divitis eſt leve damnum, unde etiam, & ſolum veniale peccatum: quare inquit D. Thomas in Opuſculo de Eruditione Principis lib.7. cap.8. in amiſſione unius Gallinæ plùs Pauper gravatur, quàm unus multum dives gravaretur in amiſſione mille aureorum: unde judicandum videtur unum aureum eſſe materiam gravis culpæ, reſpectu cujuſcumque ditiſſimi etiam Regis; quatuor julios reſpectu hominum communiter divitum, qui non vivunt proprio labore; & duos julios reſpectu eorum, qui ex diurna mercede ſuſtentatur; reſpectu verò hominis pauperis unus julius erit materia gravis culpæ, ut cum Navarra, Reginaldo, & Bonaccina probabile judicat Cardenas in Explic. Propoſitionis 38. Innoc. XI. art. 4. His prænotatis.

VI. Reſpondeo: Pœnitens tenetur in Confeſſione quantitatem ſublatam explicare, ita ut Confeſſarius percipiat, an ſoli Juſtitiæ commutativæ, aut etiam legali graviter opponatur, aliòquin aliqua ſpecies malitiæ gravis inexplicata maneret: imò debet propter eamdem rationem explicare aliquando qualitatem perſonæ: ubi verò id ſufficienter explicaverit, non tenetur ulterius explicare præciſam quantitatem; exempli gratia, ſi confeſſus eſt, ſe ſurripuiſſe materiam per ſe ipſam gravem, ſatis declaravit quantitatem oppoſitam tum Juſtitiæ legali, tum commutativæ, & ſic non eſt neceſſe fateri fuiſſe decem, vel centum aureos; quia cum illud plus in materia gravi ſit circumſtantia purè aggravans, non eſt neceſſariò in Confeſſione aperiendum. Ita D. Thomas in 4. diſt.16. quæſt.3. art.2. ad 3., & diſt.22. quæſt.1. art.4. ad 2.

Mar-

Marcus Serra 1. 2. quæſt.73. art.7. Zanardus in Directorio 1. part. de Sacram. Pœnit. cap.18. §. *Notandum tamen*. Diana part.1. tract.7. reſol.14. Leander de SS. Sacramento diſp.8. tom.1. §.3. quæſt.2. Tamburinus in Methodo Confeſſ. lib.2. cap.8., & Cardinalis de Lugo diſp.16. ſect.3.

VII. Ex his omnibus conciliari poteſt opinio eorum, qui dicunt non eſſe explicandam quantitatem in furto cum opinione eorum, qui affirmant eſſe explicandam: nam ſi negantes intelligantur in ſenſu nuper explicato, & affirmantes intelligantur in eodem ſenſu, quo & nos affirmamus, utique concordant, & ſic intelligendi ſunt Nugnus in Addit. ad 3. partem tom. 2. quæſt.9. art.2. dub.3. Henriquez lib.5. cap.7. num.4. Coninck de Sacramentis diſp.7. dub.3. num.13. concl.1. Toletus lib.3. cap.7. & Petrus Fay in addit. ad 3. partem quæſt.9. art.2. diſp.5. concl.1.

VIII. Quæres ſecundò, utrum in inceſtu explicandus ſit gradus, an vero ſufficiat confiteri, ſe commiſiſſe inceſtum? Reſpondeo: neceſſe non eſt explicare gradum, neque an fuerit cum Perſona conſanguinea, vel cum affine: neque an in linea recta, vel tranſverſa. Ratio eſt, quia talis circumſtantia non mutat ſpeciem, ſed ſolùm aggravat plùs, vel minùs, quatenùs in gradu, qui eſt vicinior ſtipiti culpa eſt gravior, quàm in remotiori. Ita Diana part.5. tract.14. reſol.56., & part.11. tract.7. reſol. 34. §. *Tandem nota*, & tract.8. reſol.63., ubi plurimos citat, quibus adde D. Thomam 2. 2. quæſt.154. art.9., & Cajetanum ibidem, Stoz lib.1. part.1. quæſt.1. art.6. §.3. num.51. Corradum part.1. Summæ quæſt.49. Bartholomæum à S. Fauſto de Sacram. Pœnit. t.1. lib.4 quæſt.96. Martinum à S. Joſeph in Monitis Confeſſariorum tom.1. lib.1. tract.20. de Pœnit. Thomam Tamburinum in Methodo Confeſſionis lib.2. cap.7. §.7. num. 48., & alios contra Granadum, Suarez, Vaſquez, Filliucium, Dicaſtillum, & nonnullos alios, quos citat, & ſequitur Caſtropalaus tract.23. diſp. unica punct.9. num.8., putantes eſſe diverſitatem ſpecificam inter affinitatem, & conſangui-

gui-

guinitatem, ficuti inter inceftus primi gradus lineæ rectæ, & inceftum in aliis gradibus.

IX. Quæres tertiò: an peccata contra Naturam cum Confanguineis, vel Affinibus habeant malitiam inceftus? Refpondeo habere, ac propterea effe neceffarium in Confeffione circumftantiam confanguinitatis, vel affinitatis in his peccatis explicare. Ratio eft, quia per concubitum contra Naturam licèt affinitas non contrahatur, & confequenter nec inceftus rigorosè committatur; peccatur tamen contra pietatem, ac reverentiam Confanguineis, & Affinibus debitam, unde & malitia inceftus, neceffariò in Confeffione explicanda, contrahitur: ficuti qui venereè tantùm tangit alterius Uxorem, licèt adulterium rigorosè non committat, violat tamen jus alterius Conjugis, unde illi tactus malitiam Adulterii neceffariò in Confeffione explicandam continent. Ita Azorius, Graffius, & alii apud Dianam part.3. tract.4. refol.101.

X. Quæres quartò, an defloratio Virginis fpontè confentientis fit circumftantia mutans fpeciem, ac propterea neceffariò in Confeffione explicanda? Refpondeo, talem copulam non effe ftuprum, nec differre à fimplici fornicatione, five Virgo fit fub cura Parentum, five non, unde non eft circumftantia neceffariò in Confeffione explicanda. Ratio eft, quia dum Virgo fpontè confentit, non fit ipfi injuftitia, neque fit injuria Naturæ ordinanti clauftrum Virginale, ut illa fit aptior Matrimonio: nam fœmina eft domina ufus fui corporis, ficuti eft domina ufus brachii, oculi, &c. Ex eo autem, quòd Natura non concedat ufum corporis extra Matrimonium, infertur tantùm, talem ufum effe contra Temperantiam, non verò contra Juftitiam, ficuti eft folùm contra Temperantiam in Vidua. Neque per fe loquendo fit injuria Parentibus, quia ipfa Virgo fpontè confentiens dat ufum fui corporis, cujus eft domina; ergo non peccat contra Juftitiam, unde etiam nec peccat contra Juftitiam Vir, qui de ipfius confenfu talem ufum acceptat. Rursùs non minùs eft fub cura Parentum Puella jam corrupta, quàm Virgo; fed qui cognofcit corruptam fpontè confentientem, non facit

injuriam Parentibus; ergo neque qui cognoscit Virginem spontè consentientem. Ita Petrus Navarra lib. 2. de Restitut. cap.3. punct.4. de *Lædente in corporis Bonis* dub.1. Diana part.1. tract.7. resol.11. Mazzucchellus de Casibus Reservatis disp.21. cap.4. difficult.5. num.28. Franciscus Verde in Opusculo pro Caramuele quæst.4. §.64. Leander de SS. Sacramento tom.1. de Pœnit. tract.5. disp.8. quæst.17. §.2. Delgadillus de Pœnit. cap.17. dub.69. Gaspar Hurtadus disp.9 de Pœnit. difficult.4. Tamburinus in Methodo Confessionis lib.2. cap.7. §.8. Cardinalis de Lugo de Pœnit. disp.16. sect.4. num.218. Thomas Sanchez lib.7. de impedimentis Matrimon. disp.14. num.5. Suarez, Vasquez, Lessius, Coninck, & alii plurimi contra Cajetanum in Summa, verbo *Stuprum*. Henriquez, Toletum, & nonnullos alios putantes, præfatam copulam esse stuprum.

XI. Rectè tamen advertit Lessius lib.2. de Justitia cap.10. dub.1. num.5. fieri per accidens posse, ut in fornicatione Virginis, vel etiam Filiæ familias corruptæ interveniat quædam malitia alterius speciei: nam si non fiat occultè, sed publicè, vel in talibus circumstantiis, in quibus probabiliter publicanda timeatur, & exinde prævideatur superventurum magnum dedecus Parentibus, & ingentem mœrorem ob familiam dedecoratam; continebit ea fornicatio specialem malitiam contra pietatem Parentibus debitam, & omninò in Confessione explicandam. Insuper peccabit uterque contra Justitiam, lædendo scilicet injustè honorem alienum, & tenebitur, quantum fieri poterit, ad eum illis restituendum, ut benè tradit Bannez 2. 2. quæst.62. art.2. dub.7. Non tamen obligabitur ad compensandum pæcunia honorem ablatum, quia, ut ait Vasquez in Opusc. de Restitut. cap.3. §.2. dub.4. num.13., injuria circa honorem non postulat pecuniæ restitutionem.

XII. Quæres quintò: utrùm in delectatione morosa de re turpi debeat explicari status personæ, an scilicet sit nupta, vel innupta, an consanguinea, vel voto Castitatis obstricta, &c. Respondeo: affirmant Cajetanus

2. 2.

1. 2. quæſt.154. art.4. Lorca, Sanchez, Villalobos, Homobonus, & alii: oppoſitum nihilominùs eſt probabilius: ratio eſt, quia delectari morosè non tendit ad tribuendam exiſtentiam objecto, ſed ſiſtit in objecto, quatenùs delectabili, præſcindendo ab ejus qualitatibus, nempè conjugati, conſanguinei, &c.; ergo omnis delectatio moroſa habet idem objectum, ſcilicèt delectabile venereum, ac proindè nulla delectatio moroſa in re venerea eſt diverſæ ſpeciei, & ita docent Vaſquez 1. 2. diſp.112. Palaus tom.1. tract.2. diſp.2. punct.10. §.4. Diana 1. parte tract.7. reſolut.48. & part.2. tract.3. reſolut.34. & par.3. tract.4. reſolut.67. Oviedo 1. 2. tract.6. controv.4. punct.7. num.57. Tamburinus in Methodo Confeſſionis lib.2. cap.7. §.1., & alii.

XIII. Porrò delectatio illa dicitur venerea, quæ in ipſa carne ſentitur cum commotione ſpirituum ſubſervientium generationi circa partes libidinoſas. Ita Cajetanus, Armilla, Tabiena, & alii, quos citat, & ſequitur doctiſſimus Thomas Sanchez lib.9. de Matrim. diſp.46. Delectatio verò, quæ moroſa dicitur, in re venerea eſt quidam ſimplex affectus, quo quis cum advertentia Rationis ſibi complacet in delectatione venerea, quæ ex cogitatione objecti turpis ſentitur in carnis titillatione, & in potentia appetitiva: ut rectè notavit Moya tract.3. de Pœnit. diſp.3. quæſt.3. cap.7. num.74.

XIV. Inquires, an peccet mortaliter Vidua, quæ delectatur de copula conjugali præterita, & Sponſa, quæ delectatur de copula conjugali futura? Reſpondeo, utramque peccare mortaliter: ratio eſt, quia delectatio operis, ut re ipſa præſentis, & delectatio ejuſdem operis in imaginatione ſunt ejuſdem rationis, eodem enim ferè modo corpus immutant, & ſenſum afficiunt; ſed delectatio operis venerei, ut re ipſa præſentis in Vidua, & Sponſa de futuro, eſt peccatum mortale; ergo etiam delectatio ejuſdem in imaginatione erit mortalis: Bonaccina de Matrim. quæſt.4. punct.8. num.13. Palaus tom.1. tract.2. diſp.2. punct. 10. §. 2. num. 7. Malderus in 1. 2. tom.2. quæſt.74. art.4. num.103. Martinez part.2. tom.2. quæſt.74.

 art.8.

art.8. Villalobos in Summa tract.40. dub.17. num.3. noster Philiarcus in suo erudito opere de Officio Sacerdotis tom.1. part.2. lib.4. cap.18. Filliucius tom. 1. tract. 10. cap.9. num.359. part.1. Layman. lib.1. tract.3. cap.6. n.13. Tannerus in 1.2. disp.4. quæst.8. num.13. Basilius Pontius lib.10. de Matrimonio cap.16. §.2. Lessius lib.4. cap.3. dub.15. num.120., qui cum communi sententia rectè notat, quòd licèt prædictæ personæ præsentem capere delectationem sensibilem licitè non possint, nihilominùs licitum est illis approbare, seu gaudere de præterita, vel futura copula conjugali: hoc enim nihil aliud est, quàm approbare actum licitum, dummodò tamen non adsit præsens de illis delectatio venerea.

XV. Ex dictis infertur, quòd non peccat Conjux, qui in absentia alterius sui Conjugis delectatur sensibiliter de copula imaginaria, dummodò absit periculum pollutionis: quia conjugatus est in eo statu, in quo ipsi licita est copula re ipsa præterita, ac proindè est etiam ipsi licita copula in imaginatione, ut tradit Lessius loco citato num.121. cum Cajetano, Fumo, & aliis ab ipso citatis: licèt non desint, qui oppositum etiam probabiliter doceant.

XVI. Advertendum tamen, quòd cum delectatio morosa speciem desumat ab objecto, si objecta sint specie diversa, verbi gratia, Masculus, Bestia, &c., delectatio morosa de copula cum his differt specie à delectatione cum fœmina, & ideò talis differentia est in Confessione explicanda, ut rectè notat Moya de Pænit. tract.3. disp.3. quæst.3. cap.7. §.1. num.82.

XVII. Quæres sextò: utrùm habens rem cum Infideli, teneatur explicare in Confessione circumstantiam Infidelitatis? Respondeo, talem circumstantiam non esse necessariò explicandam, quia speciem non mutat. Ita Azorius part.3. lib.3. cap.29. quæst.3. Fagundez in Decalogum tom.2. lib.6. cap.1. num.14. Diana part.7. tract.7. resolut.72. & part.9. tract.9. resolut.3. Tamburinus lib.2. cap.7. §.4. num.20. de Confessione Velascus tom.1. Resol. Moral. Verbo *Copula* resolut.227. Leander à Murcia tom.2.

tom.2. Disquisit. Moral. lib.4. disp.10. resolut. 7. num.9. in fine Sylvius 2. 2. quæst.157. art.2. Alcozer in Summa cap.23., & alii contra Thomam Sanchez lib.7. de Impediment. disp.5. num.12. Cardinalem de Lugo disp.16. de Pœnit. num.336., & alios putantes, hanc esse circumstantiam mutantem speciem.

XVIII. Quæres septimò, an copula non consummata differat specie à simplicibus tactibus? Respondeo differre, quia cùm copula perfecta, & copula imperfecta sint ejusdem speciei, ut rectè notat P. Dominicus Viva in Explicatione 25. Propositionis ab Alexandro VII. damnatæ num.8., & ex alia parte certum sit inter Doctores, tactus impudicos differre à copula perfecta; sequitur etiam, quòd iidem specie differant à copula imperfecta, & consequenter non sufficere in Confessione explicare tactus impudicos, quando quis habuit copulam imperfectam; sed necessariò dicendum esse, se habuisse copulam non consummatam, quidquid in contrarium doceant Moya loco citato num.96., & Diana part.10. tract.14. res.55.

XIX. Quæres octavò, an inducens fœminam ad peccandum teneatur hanc circumstantiam inductionis ad peccatum, idest scandali, in Confessione explicare? Respondeo: quòd si fœmina erat de se parata, & quasi exposita ad peccandum, tunc circumstantia inductionis, seu scandali non est necessariò in Confessione explicanda, quia petere à parata non est scandalum activum, nec moralis inductio ad peccatum. Ita eximius Doctor Franciscus Suarez disp.22. sect.4. num.18. Ledesma, Azorius, Coninck, & alii. Si verò non erat parata, censent meritò iidem, quòd debeat explicari.

XX. Quæres nonò, an inducere Mediatricem aliàs non paratam, ut sollicitet fœminam ad peccandum, sit circumstantia necessariò in Confessione explicanda? Respondeo esse. Ratio est, quia talis inductio est causa peccati Mediatricis, ac proindè distinguitur saltèm numero à peccato, quod committitur cum persona sollicitata: ergo est necessariò explicanda. Ita cum communi sententia Suarez de Pœnit. disp.22. sect.5. num.27. Fagundez

in

in ſecundo Eccleſiæ Præcepto lib.4. cap.5., & Moya loco citato cap.12. num.113.

XXI. Quæres decimò, utrùm in deſiderio mali, Proximo deſiderati, ſit explicanda qualitas mali optati, verbi gratia, an fuerit in divitiis, honore, vel vita? Reſpondeo: ſi quis deſideret varia mala Proximo, quatenùs mala ei ſunt, non ſunt neceſſariò in Confeſſione explicandæ ſpecies malorum. Ratio eſt, quia mala, quæcumque ſint, cum attingantur omnia ſub una, & eadem ratione mali, non conſtituunt diverſam ſpecie malitiam: nam in ordine ad tale deſiderium materialiter ſe habent differentiæ ſpecificæ mali voliti. Ita Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo diſp.16. ſect.5. num.260. Leander diſp.8. §.3. quæſt.8. Tamburinus in Method. Confeſſ. lib.2. cap.6. §.3. num.9. Lorca de Charitate quæſt.34. art.3. Torres ibidèm diſp.9. dub.1. in fine, Diana par.1. tract.7. reſol.30. Si verò quis deſideret mala diverſæ ſpeciei, quatenùs in tali ſpecie ſunt, debet ſpecies malorum deſideratorum explicare: Ratio eſt, quia damna Proximo illata in divitiis, in fama, & in vita, ſunt diverſæ ſpeciei contra Juſtitiam, quia diverſimodè eamdem reſpiciunt; ergo voluntas efficax lædendi Proximum in divitiis continet diverſam ſpecie malitiam à voluntate efficaci lædendi eumdem in fama, vel in vita; ergo etiam eſt neceſſariò in Confeſſione explicanda. Ita Suarez de Charitate diſp.6. ſect.2. Moya loco citato num.117. Sylvius, & alii.

XXII. Quæres undecimò: an explicanda ſit in Confeſſione qualitas contumeliæ, verbi gratia, utrùm aliquem appellaveris furem, vel hæreticum? Reſpondeo: affirmarunt Navarrus, Megala, Yribarne, & alii apud Dianam par.1. tract.7. reſolut.28. Communis tamen, & vera ſententia eſt, non eſſe explicandam. Ratio eſt, quia omnes contumeliæ eò tendunt, ut lædant honorem, ſicuti omnia furta tendunt ad lædendas res alienas: ergo ſicuti diverſus modus furandi non conſtituit furta diverſæ ſpeciei, ita nec diverſus modus lædendi honorem conſtituit contumeliam ſpecie diverſam: ut docent Azorius. tom.3. lib.13. cap.5. dub.1. Fagundez lib.3. c.5. n.3. in ſecundo

Præ-

Præcepto Ecclesiæ, Diana part.1. tract.7. resolut.28., & Eminentissimus de Lugo loco citato sect.5. num.265.

XXIII. Propter eamdem rationem idem dicendum est de judicio temerario, & de detractionibus; sufficit enim se accusare totiès temere judicasse de Proximo in re gravi, totiès illi detraxisse. Hoc idem dicendum est de blasphemiis, non esse scilicet explicandum, an fuerint in Deum, in Beatam Virginem, vel in Sanctos, quia omnes sunt ejusdem speciei: ut docet Cajetanus in Summa verbo *Blasphemia*, Lazarius in tractatu de Blasphemia quæst.3. num.52. Valentia tom.3. disp.1. quæst.13. punct.1. & Azorius tom.1. lib.9. cap.28. quæst.10., quamvis de Lugo de Pœnit. disp.16. sect.5. num.268. contrariam sententiam veriorem existimet.

XXIV. Excipiendus est tamen casus, in quo blasphemiæ continerent odium formale Dei, vel formalem contemptum, aut hæresim, ut rectè in terminis notat Gyptius de Casibus Reservatis cap.9. num.37. Homobonus de Casibus Reservatis punct.2. cap.1., & Cajetanus 2. 2. quæst.13. art.1.

XXV. Hìc obiter advertendum, quòd quando quis unico impetu pluries profert verba Blasphemiæ, dicendo, verbi gratia, *Dio ingiusto*, *Dio ingiusto* non committit duplex peccatum, sed unum tantùm, nam sìc prolata moraliter censentur unicus actus. Ita è Sacro Ordine Prædicatorum doctus Zanardus in Directorio Conscientiæ part.2. præcept.1. cap.10.

XXVI. Imò contra Sanctarellum probabile est, quòd si quis in Deum diversas proferat blasphemias, eum appellando, verbi gratia, Injustum, & non Omnipotentem, non esse in Confessione exprimenda quænam verba contumeliosa fuerint, quia omnes contumeliæ in Deum, & in Sanctos sunt ejusdem speciei secundùm probabiliorem opinionem: cum unica sit ratio formalis earum, scilicèt auferre Deo debitum honorem. Ita Reginaldus tom.2. lib.24. cap.5. num.102.

XXVII. Quæres duodecimò, utrùm copula cum aliena Sponsa de futuro contineat circumstantiam necessariò in

in Confeſſione explicandam? Reſpondeo non continere, ſed eſſe ſimplicem fornicationem, ſi tamen Sponſa liberè conſentiat: ratio eſt, quia talis copula non eſt adulterium, cum non ſit cum muliere conjugata, ſed cum ea, quæ licèt promiſerit Sponſo tradere ipſi matrimonialiter ſuum corpus, nondum tamen tradidit. Sponſus verò ex ſponſalibus non eſt factus Dominus uſus corporis Sponſæ, ſed tantùm acquiſivit jus, ne injuſtè impediatur illam ducere in Uxorem, quod jus non impedit illum, qui eam carnaliter cognoſcit: nam ſi Sponſus hoc ſciat, poteſt illam reſpuere, vel cum tali defectu, ſi velit, eam ducere. Si autem fornicatio ſit omninò occulta, talis defectus non debet manifeſtari Sponſo: neque per hoc Injuſtitia, aut Inæqualitas in contractu committitur: nàm adhuc datur corpus pro corpore ſecundùm ſubſtantiam, in quo conſiſtit Æqualitas, & Juſtitia Matrimonii. Ita Pontius de Matrim. lib.12. cap.6. num.8. Covarruvias in Quartum Decretal. part.1. cap.1. num.11. Vivaldus in ſuo Candelabro Aureo part.1. de Sponſalibus num.10. Henriquez lib.11. de Matrim. cap.13. num.4., & Megala part.1. lib.5. cap.11. quæſt.5. num.9. contra Homobonum, Naldum Sylvium, Molfeſum, Stoz, & alios.

XXVIII. Quæres decimotertiò: utrùm jactantia pecpeccati unius ſpeciei ſit diſtinctum ſpecie peccatum à jactantia peccati alterius ſpeciei? Reſpondeo: ſi adſit complacentia, & efficax approbatio illius peccati, proculdubiò eſt circumſtantia diverſæ ſpeciei, & neceſſariò in Confeſſione aperienda. Ratio eſt, quia ſicut opus unius ſpeciei continet diverſam ſpecie malitiam ab opere alterius ſpeciei, ita complacentia, & approbatio operis: atque adeò ſicuti qui duo opera diverſæ ſpeciei fecit, obligatur utramque diſtinctè confiteri; ita obligabitur qui duas habuit complacentias, & approbationes efficaces eorumdem operum: ſi verò non adſit complacentia, & efficax approbatio, non eſt neceſſariò explicanda ſpecies peccatorum, de quibus ſe jactavit. Ratio eſt, quia omnis jactantia de peccato mortali eſt ejuſdem ſpeciei, & illa diverſitas peccatorum ſe habet purè materialiter, qua-

quatenùs omnia aſſumuntur in inſtrumenta ad captandam illam turpem gloriam: unde qui ſe jactavit occidiſſe, fornicatum eſſe, blaſphemaſſe, &c. ſatis eſt, ſi ſe accuſet, ſe de mortali jactaſſe. Ita Diana part.3. tract.4. reſolut. 161. cum Navarro, & aliis contra Sanchez tom.1. Summæ lib.1. cap.33. num.13.

XXIX. Quæres decimoquartò: an debeat in Confeſſione aperiri circumſtantia peccati contra Naturam, an fuerit ſcilicet cum Mare, an cum Fœmina; an quis fuerit agens, vel patiens? Reſpondeo: explicandum eſſe in Sodomia, an fuerit cum Mare, vel cum Fœmina probabiliùs affirmant Tannerus in 2. 2. tract.3. diſp.3. quæſt.3. punct.6. num.149., & Zanardus in Directorio part.1. præcept.6. cap.9. Negativam quoque ſententiam probabilem putant Cajetanus quæſt.3. de Confeſſ. Diana par.3. tract.7. reſol.2., & alii. Quia licèt Sodomia cum Mare differat materialiter, & in genere entis à commiſſa cum Fœmina, nihilominùs non differt in genere moris, cum utraque ſit copula carnalis hominis cum homine in vaſe non debito. Excipe tamen ubi talis caſus adeſſet reſervatis.

XXX. Probabiliſſimum pariter eſt, non eſſe neceſſarium explicare, an quis fuerit agens, vel patiens, quia ſunt peccata ejuſdem ſpeciei. Ita Doctiſſimus Alfonſus de Leone in ſuo tractatu de Officio, & Poteſtate Confeſſarii part.1. reſol.9. num.216. & 218., quod etiam approbat Diana par.3. tract.4. reſolut.159. & par.5. tract.14. reſolut.56. §. *Quæro ſecundo*: explicari tamen debet, an interceſſerit pollutio, quia poteſt dari caſus, quòd patiens, licèt Sodomiam exerceat, non polluatur.

XXXI. Quæres decimoquintò: an Apoſtata, qui totaliter receſſit à Fide, teneatur in Confeſſione explicare circumſtantiam Apoſtaſiæ? Reſpondeo non teneri, ſed ſufficere ſi dicat, lapſus ſum in Hæreſim. Ratio eſt, quia Hæreſis eſt diſceſſio à parte Fidei, Apoſtaſia verò à tota Fide; ergo differunt tantùm ſecundum plùs, & minùs: ſed plùs, & minùs non variant ſpeciem, ergo Apoſtaſia, & Hæreſis non differunt ſpecie, atque adeò non datur obligatio Apoſtaſiæ circumſtantiam in Confeſſione expli-

M can-

candi, & ita docet doctissimus Bannes in 2. 2. quæst.12. art.1. Azorius tom.1. lib.8. cap.21. quæst.3. Cajetanus in 2. 2. quæst.10. art.1., & quæst.11. art.1. Zanardus in Directorio Conscientiæ part.2. præcept.1. cap.8. Pegna in Directorio part.2. quæst.49. commentar.74., & alii communiter contra nonnullos, quos citat, & sequitur Suarez de Fide disp.16. sect.5. in fine.

CAP. XI.

De Circumstantia Ubi.

I. HÆc circumstantia denotat locum secundum quamdam suam qualitatem aliquid conferentem ad malitiam actus, ut, verbi gratia, locus sacer, vel profanus, publicus, aut privatus, &c.

II. Peccata vetita loci sacri sunt tantùm quatuor, scilicet furtum, homicidium, seu gravis effusio sanguinis, effusio voluntaria humani seminis, & violatio Ecclesiasticæ Immunitatis. Ita Doctores communiter.

III. Nomine loci sacri in ordine ad præsentem materiam venit Ecclesia, sive consecrata, sive benedicta, & locus ad Divina Officia, vel ad Fidelium sepulturam publicè deputatus. Ita Henriquez lib.9. cap.27. & lib.5. de Pœnit. cap.6. num.5. in Glossa litera N. Sanchez lib.9. de Matrim. disp.15. num.23. Fagundez 2. præcept. Ecclesiæ lib.4. cap.4. num.32., & alii: unde patet nomine loci sacri venire etiam cœmeterium benedictum ad sepulturam Fidelium, ut docent communiter Theologi contra Sotum in 4. dist.32. quæst. unica art.3. concl.3. imò & Ecclesiam nondum perfectè constructam, quia ab eo instanti, in quo authoritate Episcopi cæpit construi, & in quo jactus fuit, & benedictus primus lapis, jam cæpit esse Ecclesia; & locus Divinis obsequiis dicatus; undè & consequenter Immunitate Ecclesiastica gaudere debet.

Ita

Ita Castropalaus tom.2. tract.11. punct.6. num.4., ubi citat Abbatem Ancharanum, Farinaccium, & alios contra Marium Italam, qui lib.7. cap.4. §.3. num.15. de Immunitate Ecclesiastica improbabiliter docet, quòd si Ecclesia destitit construi, ampliùs locus sacer non sit.

IV. Ex his deducitur non contrahi malitiam sacrilegii per copulam, vel sanguinis, aut seminis effusionem in cubiculis Ecclesiæ adhærentibus habitam, aut in Sacristia, vel in Turri campanarum, imò neque in Confessionariis, quæ à parte exteriori Ecclesiæ sunt intra concavum parietis. Ita Doctores citati, & videndus Diana in tractatu de Immunit. Ecclesiastica in Operibus ordinatis.

V. Circa furtum, est communissima Doctorum sententia, quòd furari rem sacram, etiam in loco non sacro continet malitiam sacrilegii ratione specialis prohibitionis factæ ab Ecclesia ex motivo Religionis. Ita decisum videtur à Summo Pontifice Joanne VIII. in cap. *Quisquis inventus* 17. quæst.4., & docent Henriquez de Pœnit. lib.2. cap.6. num.5. in Glossa littera N. Fagundez 2. præcept. Ecclesiæ lib.4. cap.4. num.9., qui Turrecrematam, Tabienam, Angelum Sylvestrum, & alios citat: quare audiendi non sunt Lopez, & Lublinus, qui dicunt, quòd quandò res sacra, verbi gratia, Calix non est alicujus Ecclesiæ, non est furtum sacrilegum, licèt eorum opinionem probabilem putet Leander de SS. Sacramento tom.1. disp.8. §.4. quæst.21.

VI. Quoniam verò in prædicto capite *Quisquis* Pontifex decidit committi sacrilegium etiam auferendo non sacrum de sacro, dubitatur, an ablatio cujuscumque rei non sacræ ex loco sacro sit sacrilegium? Esse sacrilegium absolutè, & sinè ulla distinctione furari quamlibet rem non sacram in loco sacro, censent Suarez tom.1. de Religione lib.3. cap.4. num.7. Layman lib.4. tract.10. cap.7. num.18. Raphael de la Torre in 2. 2. tom.2. quæst.99. art.1. disp.7. Rebellus part.1. lib.3. quæst.15. num. 25. Reginaldus tom.2. lib.23. cap.1. num.12. Petrus de Ledesma in Summa tract. de Pœnit. cap. 19., & alii.

VII. Cæterùm probabilius eſt, tunc ſolùm furari rem non ſacram in loco ſacro eſſe ſacrilegium, quando ea res eſt dicata, vel commodata, vel tradita ſpeciali cuſtodiæ Eccleſiæ. Ratio eſt, quia, cum verſemur in pœnalibus, illa verba Pontificis *non ſacrum de ſacro* ſunt reſtringenda, itaut minùs extendantur, quàm fieri poteſt: ergo cum ſatis verificentur, ſi intelligantur de non ſacro commodato, vel dicato, aut ſpeciali cuſtodiæ Eccleſiæ tradito, non debent intelligi de non ſacro in aliis terminis. Ita Sotus in Quartum Sententiarum diſt.18. quæſt.2. art.4. Henriquez de Pœnit. lib.2. cap.6. num.5. Lugo diſp.16. ſect.10. num.470. Leander de SS. Sacramento diſp.8. §.4. quæſt.18. Stephanus Moya tract.3. de Pœnit. diſp.3. quæſt.4. cap.1. num.3. Leſſius lib.2. cap.45. dub.3. num.14. Zerola in Praxi Sacram. Pœnit. cap.12. quæſt.17., quos citat, ſequiturque Diana part.1. tract.7. reſol.27. de Circumſtantiis aggravantibus.

VIII. Quæres, an qui rem ſacram de loco ſacro furatur, debeat in Confeſſione utramque circumſtantiam explicare, rei ſcilicèt, & loci? Reſpondeo debere utramque explicare. Ratio eſt, quia, quando qualitas delicti ſe habet ex parte utriuſque Delinquentis, debet explicari utraque qualitas: ſic ſi votum Caſtitatis ſit in utroque Deliquente, neceſſariò explicandum eſt utriuſque votum: ſi uterque Adulter ſit conjugatus, debet explicari utriuſque conjugium, quia in morali prudentum exiſtimatione in his caſibus duplex numero malitia reperitur: ergo etiam in furto rei ſacræ de loco ſacro idem eſt dicendum. Ita cum Alcozer tenet de Lugo loco citato n.471. Oviedo 1. 2. tract.6. controv. 5. punct.3. num.32. Moya loco citato quæſt.4. cap.1. num.5. contra Fagundez lib.4. de Præceptis Eccleſiæ cap.5. num.21., cujus ſententiam ſecutus eſt Diana.

IX. Quod autem attinet ad effuſionem ſeminis in loco ſacro, & idem dicitur de effuſione ſanguinis, ſtatutum eſt in Capite unico de Conſecratione diſt.1. cap. final. de Conſecrat. Eccleſiæ, cap. *Significaſti* de Adulteriis, Eccleſiam violari per humani ſeminis, & ſangui-

nis

nis effusionem, ac proindè non posse in ea celebrari Divina Officia donec reconcilietur. Hinc docent communissimè Theologi, & Canonistæ, prædictam effusionem esse sacrilegam, utpotè quæ Sanctitati loci opponitur, & ab Ecclesia prohibetur ex motivo Religionis, ac per ipsam locus sacer violatur.

X. Ut autem hæc violatio, seu pollutio loci sacri inducatur, necesse est, ut effusio sanguinis, vel seminis sit voluntaria, & notoria, ut cum communi docent Sanchez lib.9. de Matrim. disp.15. num.10. Cardinalis de Lugo disp.16. sect.10. num.462. Joannes de la Crux 2. part. Direct. de Sacrificio Missæ quæst.3. num.3. Fagundez 2. præcept. Ecclesiæ lib.4. cap.4. num.24., undè non sufficit, quòd sit occulta, imò nec polluitur, licèt à duobus, vel tribus sciatur; quod tanquam certum firmant Paludanus in Quartum, quæst.8. art.4., & Sotus dist.13. art.3., quos sequitur Velascus tom.2. Verbo Ecclesia resolut.77. num.6.

XI. Imò probabile est non sufficere, quòd delictum sit notorium, sed requiri, quòd per sententiam Judicis declaretur Ecclesiam esse pollutam, ut inducatur obligatio abstinendi in ea à celebratione Missæ, & Divinorum Officiorum, & à sepeliendis ibi Fidelibus. Ita Diana part.6. tract.6. resol.27. Martinus à S. Joseph in Monitis Confessariorum tom.1. lib.1. tract.15. de Eucharistia n.7., & alii ab ipsis citati.

XII. Difficultas jam est, an, quando Ecclesia non est polluta, quia sanguinis, vel seminis effusio est occulta, delictum hujusmodi contineat malitiam sacrilegii in Confessione explicandam? Affirmant esse sacrilegium Suarez de Religione tom.1. lib.3. cap.7. num.4. Sanchez de Matrimonio lib.9. disp.15. num.11. Bonaccina quæst.4. de Matrim. punct. ultimo num.6., & alii: oppositam quoque sententiam probabilem existimo. Ratio est, quia tota sacrilegii deformitas petenda est ex pollutione loci sacri, (saltem ea, quæ mutat speciem) sed, quandò humani sanguinis, vel seminis effusio est occulta, non polluitur Ecclesia, ergo nec sacrilegium inducitur: & ita docent

Vas-

Vasquez in par.2. tom.1. quæst.72. art.7. disp.98. cap.3. num.6. Coninck quæst.83. art.3. dub.1. Zanardus in Direct. cap.41. de Sacram. Matrim. Rodriquez tom.1. cap. 243. num.19. Basilius Pontius de Leone de Matrim. lib.10. cap.10. num.15. Naldus verbo *Sacrilegium* num.12. Delgadillus de Pœnit. cap.17. dub.77. Franciscus Picon in tract. de Matrim. disp.7. sect.5. num.150. Hurtadus de Matrim. tract.10. difficult. 4. Tamburinus in Methodo expeditæ Confessionis lib.2. cap.7. §.5. num.35. Franciscus Verde in Opusculo pro Caramuele quæst.4. §.89., aliique plures, quos citat, licèt non sequatur, Andræas Mendo in Statera opinionum benignarum disp.5. quæst.6. undè immeritò hanc sententiam appellavit falsam Raphael de la Torre.

XIII. Sed quid sentiendum de concubitu conjugali? Respondeo: docent multi, quos citatos sequitur Thomas Sanchez lib.9. de Matrim. disp.15. num.7., concubitum conjugalem extra casum necessitatis habitum in Ecclesia, nisi exerceatur occultè, polluere Ecclesiam, ac proindè esse sacrilegium.

XIV. Oppositum nihilominùs verum censeo. Ratio est, quia in tantùm aliqui actus polluunt Ecclesiam, in quantum jure Ecclesiastico ita statutum est, sed jus Ecclesiasticum nullibi statuit maritali copula Ecclesiam pollui: nam in cap. *Significasti* de Adulteriis sermo est de copula illicita, in cap. *Ecclesiis* dist.68., & de Consecrat. dist.1. desumpt. ex Concilio Niceno, solùm dicitur pollui Ecclesiam, si cujuscumque pollutione maculetur, quo verbo maculetur non significatur actus maritalis, sed effusio seminis per se illicita; ergo non est dicendum pollui Ecclesiam per concubitum conjugalem. Ita Basilius de Leone lib.10. de Matrim. cap.10. num.13. Et ante ipsum Glossa, Hugo, Gandulphus, Archidiaconus, Rosella, Gerson, Henricus, & Sotus in Quartum dist.13. quæst.2. art.3., qui aliam etiam rationem subjungit, videlicet; quia cum versemur in pœnalibus, & odiosis, verba Canonum accipienda sunt in strictiori significatione; ac propterea dicendum, quòd loquantur de effusione seminis per

per se illicita: ita docet Martinus à S. Joseph in Monitis Confessariorum tom.1. lib.1. de Matrim. tract.50. n.2. Mascaregnas tom.1. de Sacramentis tract.5. num.199. Hurtadus de Sacrificio Missæ difficult.7. disp.4. Franciscus Picon de Matrim. disp.7. sect.5. num.147., & Verde citatus quæst.4. §.86., cum aliis multis.

XV. Quæres, an in casu necessitatis possint licitè, etiam stando in prima sententia, Conjuges publicè in eodem thoro accubare? Respondeo: negant aliqui apud Sanchez loco citato num.9., affirmant tamen plurimi Doctores apud eumdem num.12., quia credibile non est, Ecclesiam, quæ est pia Mater, voluisse Conjuges ad se continendum obligare in tam manifesto incontinentiæ periculo, quòd attenta humana fragilitate est eis moraliter inevitabile, ut rectè notavit Ledesma quæst.64. art.7. concl.1.

XVI. Tempus autem longum ad constituendam hanc necessitatem alii cum Thoma Sanchez putant esse unum mensem, alii, quos suppresso nomine citat Moya, decem, aut quindecim dies, alii denique cum Fagundez 2. Præcept. Ecclesiæ lib.4. cap.4. num.4., quatuor, aut quinque dies.

XVII. Quæres iterùm: quando nam effusio seminis dicatur notoria, ut per ipsam polluatur Ecclesia? Respondeo, quòd multi multa dicunt: Emanuel Sa verbo *Manifestum* dicit debere sciri à sex personis, Mascardus, & Martinus Antonius requirunt septem, Adrianus vult decem: Diana cum Navarro, Soto, & Avila approbat, non esse aliquid notorium in magna Civitate, etiamsi illud sciant duodecim, benè verò in Oppido parvo: Fagundez denique lib.4. de Præcept. Ecclesiæ, præcept.2. cap.4. num.24., requirit ad notorietatem, quòd sciatur à majori parte Viciniæ, vel Parochiæ, & hoc est probabilius, & singulis casibus magis aptum.

XVIII. Quæres denique, an tactus impudici, & turpes, facti in Ecclesia habeant malitiam sacrilegii, necessariò in Confessione explicandam? Respondeo: si facti sint occultè, non habent malitiam sacrilegii. Ratio est, quia

quia textus in Cap. *Finali* de Consecrat., & textus in Cap. *Ecclesiis* dest.68., dicunt Ecclesiam pollui humani sanguinis, aut seminis effusione, ergo non polluitur tactibus impudicis; sed quando res, aut locus, aut persona sacra non polluuntur, non committitur sacrilegium; ergo tactibus impudicis, sicut nec cogitationibus, nec locutionibus turpibus habitis occultè in loco sacro non committitur sacrilegium. Ita è Sacro Ordine Prædicatorum doctissimus Vincentius Candidus tom.2. disp.24. art.23. dub.41., & Cajetanus in Opusculis tom.1. tract.17. Velascus tom.2. Resolut. Moral. verbo *Luxuria* resol.208. num.2. Navarrus apud Fagundez in Decalogum lib.3. cap.3. num.13., Bonaccina, & Homobonus, quos citatos sequitur Diana part.1. tract.7. resol.25. Leander de SS. Sacram. tom.1. tract.5. de Pœnit. disp.8. §.4. quæst.13. Gesualdus 1. part. Summæ tract.19. cap.4. quæst.14. n.23. Zanardus part.1. Directorii cap.41. de Matrim. Serra 1. 2. quæst.72. art.6. dub.1. Villalobos in Summa tom.2. tr.4. difficult.4. Oviedus 1. 2. tract.6. controv.5. part.3. n.65. Leander à Murcia tom.2. Disquisf. Moral. lib.4. disp.10. resolut.7. num.14. Delgadillus tom. de Pœnit. cap.17. dub.77., ubi cum Francisco Picon, & aliis affirmat, neque ipsam pollutionem in Ecclesia habitam, si occulta sit, esse sacrilegium, cum Ecclesiam non polluat, quandò est occulta.

XIX. Dixi *si occultè facti sint hujuscemodi tactus*: nam si publicè fierent, censent multi, quos citatos sequitur Moya tract.3. de Pœnit. disp.3. quæst.4. cap.3. n.22., esse sacrilegos, quia sunt indecentissimi, & Juri Divino prohibenti profanationem loci sacri contrariantur.

XX. Hæc tamen ratio non probat, eos inducere in eo casu malitiam sacrilegii, ac proindè de illis publicè factis idem dicendum est, ac de factis occultè, scilicèt eos non habere circumstatiam sacrilegii, sed posse solùm habere circumstantiam scandali, & ratione hujus esse necessariò explicandam illorum publicitatem; ut benè notant ex Dominicana Familia Zanardus in Direct. part.1. cap.41. Caramuel, Trullenck, Caspensis, & alii apud Di-

Dicastillum disp. 9. dub. 8. de Pœnitentia.

XXI. Sacrilegium denique ratione loci committitur per violationem Ecclesiasticæ Immunitatis quoad loca sacra. Hæc autem violatur per extractionem violentam confugientium ad Ecclesias, nisi tamen ii delicta patraverint, ob quæ Immunitate Ecclesiastica loci sacri non gaudeant. Delicta autem, ob quæ privatur quis Ecclesiastica Immunitate loci sacri ex Bulla Gregorii XIV., quæ habetur tom. 2. Bullarii Romani constitut. 7. dicti Pontificis, sunt tantum septem, ut ex verbis ipsius Bullæ colligunt communiter Doctores: Summus enim Pontifex ibidem §. 3. sic loquitur. *Ut Laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus* [1] *si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur*, [2] *aut depopulatores agrorum*, [3] *quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cæmeteriis committere non verentur*, [4] *aut qui proditoriè Proximum suum occiderint*, [5] *aut Assassinii*, [6] *vel Hæresis*, [7] *aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis, Rei, Immunitas Ecclesiastica non suffragetur*.

XXII. Ubi notandum cum P. Anacleto Reiffenstuel in Theolog. Moral. tract. 12. dist. 2. num. 35., quòd spectata hac Bulla (quidquid ante ipsam fuerit) non liceat unquam ex quocumque alio delicto, etiam ex paritate, identitate, aut majoritate rationis atrociori, confugientes ad Ecclesias, & loca sacra extrahere sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, ut rectè notat etiam Bonaccina tom. 2. disp. 3. quæst. 7. punct. 8. num. 3.

XXIII. Violatur similiter hæc Immunitas locorum sacrorum (undè etiam, & sacrilegium committitur) per Nundinationes, Mercatus, & alia profana clamorosa in ipsis habita, quæ de se cultum Divinum impediant; ac denique per processum, seu tumultum Judiciorum sæcularium, ut ex cap. *Decet* de Immunit. Ecclesiarum in 6. colligit Stoz lib. 1. part. 1. quæst. 1. n. 58., & Reginaldus in Praxi Fori Pœnitentialis lib. 14. cap. 6.

CAP. XII.

De Circumstantia Quibus Auxiliis.

I. NOmine hujus circumstantiæ intelliguntur instrumenta, seu media ad peccandum adhibita, quæ tunc necessariò in Confessione sunt aperienda, quando in eorum usu adfuit specialis aliqua malitia contra aliquam specialem Virtutem, ut, verbi gratia, si quis Eucharistia utatur ad maleficium, tunc in Confessione talis circumstantia est explicanda: ita communiter Doctores.

II. Quæres, an furans cum sociis teneatur hanc circumstantiam in Confessione aperire? Respondeo, distinguendum esse; nam vel furans induxit socios ad furandum, vel non: si non induxit, necesse non est, quòd exprimat, an solus, vel cum socio furatus sit, quia ex illa societate nihil novæ malitiæ accedit; si verò induxit, explicanda utique est non modo circumstantia scandali, sed etiam aliquandò qualitas personæ: sic, exempli gratia, si Filium induxisti ad aliquid furandum à Parente, sine quo Parens vivere nequit; debes explicare tum inductionem, tum qualitatem Filii, quia tunc actio præter malitiam scandali continet etiam malitiam contra Pietatem. Ita Stoz lib.1. part.1. quæst.1. art.6. §.3. num.64.

III. Similiter, si inducas obstrictum voto Castitatis ad te polluendum suis manibus voluntariè, obligaris istam personæ sacræ circumstantiam explicare: quidquid in contrarium afferat Hieronymus Llamas apud Caramuel in Theol. Fundamentali num.1409., cujus opinio meritò damnata fuit à Sacro Fidei Tribunali Hispanico, in Indice expurgatorio anni 1632. & 1640., ut refert Cardenas, tract.5. de Castitate disp.40. cap.7.

Dixi *si voluntariè*, nam si ille dormiat, vel non sit Rationis compos, non teneris illam circumstantiam personæ spe-

ſpecialiter explicare, quia tunc, cum non peccet ille, qui habet Votum, Virtus Religionis non violatur.

IV. Item non tenetur quis exprimere in divinationibus, an factæ ſint per ſomnia, aut per aves, aut per quodvis aliud, per quod factæ ſunt, cum omnes ſint ejuſdem ſpeciei, Bonaccina diſp.5. quæſt.5. ſect.2 punct.2. §.3. difficult.1. num.5. Reginaldus lib.6. cap.4. n. 114. Stoz loco citato num.65. Diana par.1. tract.7. reſol.46., & 66., aliique communiter.

V. Advertendum tamen, quòd divinationes non fiunt niſi intercedente aliquo pacto vel implicito, vel explicito cum Dæmone; & ideò videndum eſt, quòd ſi quis divinavit per pactum explicitum, quod eſt illud, in quo intervenit commercium cum Dæmone, & fit ei promiſſio obediendi ipſi, cum hæc contineat errorem contra Fidem, continet proinde malitiam ſpecie diſtinctam, & neceſſariò in Confeſſione explicandam. Si verò fiant per pactum tantùm implicitum, & quis operetur per ſimplicitatem, & ignorantiam non craſſam, aut affectatam; vel ſi non adhibeatur certa fides, ſed concipiatur dumtaxat quædam ſuſpicio, aut timor futuri eventus, tunc excuſatur à mortali: Layman lib.4. tract.10. cap.3. num.4. Sanchez lib.2. cap.38. Summæ num.19. & 21. Suarez tom.1. de Religione lib.2. de Superſtitionibus cap. 18. num.6., ex quibus rectè notat Sanchez num.20 & 48., quòd, qui Aſtrologos, vel Egyptios, ſeu Zingaros de ſua, vel aliorum fortuna conſulunt, ſi id faciant curioſitatis, vel joci gratia, ſolùm venialiter peccant, licèt hoc peccatum ſit per ſe, & ex genere ſuo mortale.

VI. Peccans in confidentiam Jubilæi, qui alioquin non peccaret, non tenetur hanc circumſtantiam aperire, quia ſpeciem peccati non mutat, ſed ſolùm illud aggravat: Fagundez in 2. præcept. Eccleſiæ lib.3. cap.5. n.8. Diana part.1. tract.7. reſol.33.

VII. Exponens ſe proximo periculo peccandi, verbi gratia, fornicandi, ſi poſtea non fornicetur, tenetur illud periculum, cui ſe expoſuit, confiteri, quia de ſe eſt mortale: ſi verò peccet, nec longa mora interceſſerit in-

ter periculum, & peccatum, tunc ſatis erit fateri peccatum: quia quando hoc cum illo moraliter continuatur, unum peccatum conſtituit, ut docet Sanchez in Summa tom.1. lib.1. cap.8. num.4., & Diana part.1. tract.7. reſolut.44.

VIII. Denique qui in unica actione pluribus perſonis uſus eſt ad peccandum, non eſt neceſſe illarum numerum determinatum explicet, dummodo tamen id, quod omninò neceſſarium eſt, aperiatur; ſcilicèt an una tantùm perſona, vel plures fuerint, ut in ſimili de ſcandalo docet de Lugo apud Stoz citato lib.1. part.3. quæſt.3. n.502. Ratio eſt illa, quam ingeniosè affert Tamburinus in Methodo Confeſſionis lib.2. cap.1. §.9. ſcilicèt ex Tridentino ſolùm adeſt præceptum confitendi ſingulas ſpecies, & ſingula numero peccata, non autem ſingulas numero malitias, quæ fortè ſint in ſingulis peccatis: confitendo igitur numerum peccatorum, eorumque malitias ſpecie diſtinctas, ſatisfit obligationi, abſque eo quod malitiarum numerus in unico actu comprehenſus explicetur: ſic, verbi gratia, ſi quis inhoneſto aliquo ſermone pluribus ſcandalum præbuit, ſufficit, quòd dicat, ſe pluribus fuiſſe occaſionem peccandi, abſque eo quòd numerum perſonarum explicet. Excipe tamen quandò inter illas perſonas adeſſent, verbi gratia, aliquæ, quæ eſſent cauſa mutationis ſpeciei peccati ſcandali; ut ſi, verbi gratia, adeſſent Filii illius, qui ſcandalum præbuit; tunc enim, cum ex alio capite teneatur Parens non ſolùm Filiis ſcandalum non præbere, ſed etiam eoſdem bonis moribus imbuere, hæc qualitas Filiorum explicanda eſſet.

CAP.

CAP. XIII.

De Circumstantia Cur.

I. Finis tribuit actui malo malitiam vel numero, vel specie diversam, prout objectum actus specie, vel numero differt à fine. Si itaque in fine reperiatur specialis malitia contra aliam distinctam Virtutem, exempli gratia, si fureris ad fornicandum, tale furtum duplicem specie malitiam continet, alteram intrinsecam ex proprio objecto, alteram extrinsecam ex pravo fine: Suarez disp. 22. sect.4. num.8. Si verò media sint ejusdem specificæ malitiæ cum fine, & necessariò cum eodem convincta, unum numero peccatum cum ipso fine constituunt, ut docet idem Suarez num.22.

II. Undè oscula, & tactus impudici, qui copulam præcedunt, unum peccatum cum ipsa constituunt, atque adeò sufficit in Confessione ipsam tantùm copulam exprimere: Diana part.4. tract.4. resol.205., qui rectè ibidem notat, quòd etiam tactus, & oscula, quæ post copulam immediatè continuantur, & ad aliam non ordinantur, non sunt necessariò in Confessione explicanda, quia unum moraliter cum illa peccatum constituunt, cum sint ejusdem copulæ, veluti pars, & complementum.

III. Si verò Meretricem quis adiret animo duntaxat tactibus, & osculis fruendi, & postea mutato animo fornicaretur, tunc ejusmodi tactus, & oscula præcedentia essent in Confessione explicanda, quia ex intentione peccantis essent peccatum à copula distinctum, ut rectè notavit è Societate Jesu Gaspar Hurtadus disp.9. de Sacram. Pœnit. difficult.6., cui subscribit Diana loco citato.

IV. Quæritur hic, an fornicans ut furetur, possit hoc confiteri, veluti duo distincta peccata, dicendo fornicatus sum, & postea furatus sum; vel debeat explicare or-

ordinem fornicandi ad furandum, dicendo fornicatus sum, ut furarer? Respondeo, probabilius est posse illa duo explicare, tanquam duo distincta peccata, non explicato scilicèt unius ordine ad aliud. Ratio est, quia confitendo fornicationem, & furtum, aperit totam malitiam sui peccati: ordo etenim unius ad aliud non addit plùs malitiæ utrique peccato: qui autem totam malitiam confitetur, omninò satisfacit. Ita Bonaccina disp.5. quæst.5. de Sacramentis sect.2. punct.2. difficult.3. num.25. Fagundez in 2. præcept. lib.4. cap.5. num.10. Suarez in Tertiam Partem Divi Thomæ tom.4. disp 22. sect.4. Henriquez lib.2. cap.6. num.3. Reginaldus tom.1. lib.6. cap.4. num.127. Diana part.1. tract.7. resolut.23., aliique communiter, contra Sylvestrum verbo *Confessio* 1. quæst.10. Joannem à Cruce in Directorio Conscientiæ part.1. de Sacramento Pœnit. quæst.3. dub.6. concl.1. Megalam, Nugnum, & alios.

V. Notandum est etiam cum Pitigiano in Quartum Sententiarum tom.2. dist.17. quæst.1. art.5., quòd si finis sit tantummodò venialis, ut si fureris ad inanem aliquam pompam ostendendam; aut si sit indifferens, ut si Sacrum omittas die festo propter studium, non teneris eum finem explicare, quia talis circumstantia mortalem malitiam non continet: Ita Salas part.2. tract.13. disp.2. sect.7. Vasquez 1. 2. disp.93. cap.3., & alii contra Zumel in part.2. quæst.7. art.5. disp.4.

CAP.

CAP. XIV.

De Circumſtantia Quomodo.

I. HÆc circumſtantia, quæ modum operis non ſubſtantialem, ſed accidentalem ſignificat, ut, verbi gratia, an peccatum ſit ex conſuetudine, occultum, aut publicum, &c., tunc ſolùm eſt in Confeſſione explicanda, quandò in ſe continet aliam ſpecie malitiam, & difformitatem: exempli gratia, ſi quis ad explendam libidinem incipiat copulam in vaſe non debito, & poſtea compleat per actum fornicarium, non ſatis eſt, ſi ſe accuſet de fornicatione, ſed debet etiam modum contra Naturam explicare, quia diſtinctam ſpecie malitiam addit. Si verò hæc circumſtantia novam ſpecie malitiam mortalem non addat, modum confiteri neceſſe non erit: verbi gratia, quòd fornicatio habita fuerit ſtando, ſedendo, &c.

II. Inquires, an qui in actu venereo geſtavit ad collum Agnum cereum benedictum, vel Reliquias alicujus Sancti, debeat hanc circumſtantiam in Confeſſione explicare? Reſpondeo, neceſſarium non eſſe, quòd eam explicet. Ratio eſt, quia licèt ſit aliqua circumſtantia peccatum aggravans, non eſt tamen ſacrilegium, ſicuti nec eſt ſacrilegium ſi mulieri, cum qua fornicatus eſt, eadem donentur: dummodò ipſi non tradantur, ut pretium fornicationis, quia tunc eſſet ſacrilegium. Ita Filliucius tom.2. tract.30. cap.7. num.29., & cum ipſo, Diana part.1. tract.7. reſol.18.

III. Quæres ulteriùs, an Pœnitens obligetur in Confeſſione explicare conſuetudinem peccandi? Reſpondeo, affirmant abſolutè Fagundez, Henriquez, Tabiena, Roſella, Sotus, aliique apud Joannem Sanchez diſp.9. n.3. Negant è contra Suarez, Reginaldus, Zerola, aliique apud Bonaccinam diſp.5. de Sacram. quæſt.5. ſect.2. punct.

punct.2. §.3. difficult.3. num.22., quibus consentit ex parte Vasquez in Tertiam Partem tom.4. quæst.91. art.1. dub.3. Imò citatus Sanchez disp.9. in Selectis num.6. censet, neque teneri Pœnitentem aperire consuetudinem peccandi, quando à Confessario interrogatur, quæ tamen opinio in praxi non est ampliùs probabilis, cum jam à Summo Pontifice Innocentio XI. in suo Decreto diei secundæ Martii 1679. damnata fuerit in Propositione quinquagesimaoctava.

IV. Conciliari possunt primæ duæ opiniones dicendo, quòd, per se loquendo, non obligatur Pœnitens confiteri consuetudinem peccandi, per accidens verò, puta, si hoc necesse sit ad aperiendam occasionem proximam, aut si à Confessario interrogetur, obligatur consuetudinem confiteri. Ratio prioris partis est, quia, per se loquendo, neque ex præcepto Divino, neque humano tenetur Pœnitens bis confiteri, ergo qui semel est ritè confessus, non tenetur, si iterùm peccet, se de reincidentia accusare: ita cum præcitatis Doctoribus Diana part.1. tract.7. resol.15. & 55. Ratio secundæ partis est, quia ut Confessarius licitè, & validè absolvat, oportet, ut ei constet Pœnitentem accedere benè dispositum; ergo si ad hunc effectum interroget ipsum de consuetudine, debet Pœnitens illam aperire. Ita cum communissima Doctorum sententia firmat Dicastillus disp.9. de Pœnit. dub.3. n.195., & Moya tract.3. de Sacram. Pœnit. disp.3. quæst.5. cap.1. §.2. num.13., ubi rectè notat, quòd si Pœnitens sit Vir doctus, & Confessario notus, ita ut sua authoritate possit dubitationem Confessarii excutere, & benè noscat Confessarium ad munus suum benè exercendum non indigere tali notitia, licitè poterit consuetudinem celare, & modestè Confessario de consuetudine interroganti dicere talem notitiam non esse tunc necessariam: Confessarius autem Pœnitenti docto poterit credere, & illum absolvere, non extorta majori expressione, & cum his limitationibus id etiam admittere non veretur Cardenas in explicatione damnatarum Thesium Innocentii XI. Proposit. 58. n.38., quia in hoc casu non conceditur Pœnitenti, quantumvis docto

docto, quòd possit absolutè Confessario interroganti de consuetudine illam negare, aut celare, sed solùm, quòd possit certiorem facere Confessarium, non oportere, quòd in illis circumstantiis peccandi consuetudinem aperiat.

V. Rogabis, quomodò accusare se debeat, qui habet consuetudinem peccandi? Respondeo: certum est ex Tridentino sess.14. cap.5. & cap.7., omnia peccata esse singillatim confitenda, idest quantum fieri potest, explicandus est numerus peccatorum, plùs, minùsve, quando certus ignoratur; ut rectè notat de Lugo disp.16. sect.14. num.535., undè probabilis non est Opinio quorumdam Canonistarum, qui cum Archidiacono putant sufficere ad rectam Confessionem confusè dicere numerum peccatorum, exempli gratia, sæpiùs peccavi in furto, sæpiùs in fornicatione, &c., licèt Angelus in Summa verbo *Confessio* num.1. eam probabilem crediderit, & Sylvester verbo *Confessio* num.11. dixerit rem esse incertam. Nihilominùs quia in aliquibus Consuetudinariis peccata fuerunt nimis frequentia, ut in Meretricibus, & determinatum, ac præcisum illorum numerum explicare est moraliter impossibile, ne Sacramentum hoc valdè onerosum reddatur, & ne cogatur Pœnitens ad exactissimum examen, quod suprà reprobavimus, docent propterea communissimè Doctores Peccatorem consuetudinarium satisfacere confitendo tempus, seu durationem peccati, verbi gratia, Meretrix dicat per mensem, aut per annum, &c. fuisse expositam omnibus accedentibus: si Concubinarius dicat se per annum usum fuisse Concubina, tamquam uxore, &c. Ita Navarrus in Manuali cap.6. num.15. Henriquez lib.2. de Pœnit. cap.5. num.9. Fagundez in 2. præcept. Ecclesiæ lib.3. cap.5. num.11. Toletus lib.3. cap.7. num.2., quos citatos sequitur Diana part.3. tr.4. resol.89., & Eminentissimus Cardinalis de Lugo Disp.16. sect.14. num.575.

VI. Rectè tamen advertit Vasquez de Pœnit. quæst.91. art.1. dub.5. num.3., quòd in tali casu Consuetudinarius debet explicare, si possit, species peccatorum, exempli gratia, si cum Conjugatis, cum Consanguineis, aut cum

voto Castitatis adstrictis peccavit, singulis, verbi gratia, diebus, hebdomadis, aut mensibus, &c. Toletus tamen, & Navarrus citati docent, sufficere, si Meretrix dicat se fuisse omnibus expositam, quæ opinio est probabilis, maximè si aliàs redderetur Pœnitenti nimis onerosa Confessio.

VII. Hinc infert Diana loco citato cum Fagundez, & Henriquez lib.2. de Pœnit. cap.3. num.10., quòd rustici homines, qui agresti, & inculto modo confitentur sine numero, & sine examine, cogendi non sunt repetere Confessiones factas cum indoctis Parochis, quia cum bona fide confessi fuerint, & habeant uniformem vitæ rationem, ac vivendi modum, facilè poterit prudens Confessarius statim ex Confessione unius anni conjicere quantùm in reliquis annis peccaverint, & quot circiter peccata commiserint; quod est valde notandum, ne, scrupulosè compellendo ut repetant hujusmodi præteritas Confessiones, nimiis præmantur angustiis, & reddatur eis hoc Sacramentum nimis onerosum.

VIII. Ad circumstantiam *quomodo* spectant etiam, & sunt necessariò confitenda primò violentia, quæ alicui fit in furando ab eo vidente, & repugnante; hæc enim constituit rapinam: Tamburinus lib.2. cap.13. §.1. num.3. Item vis, quæ infertur Virgini, ipsam invitam opprimendo, nam constituit stuprum: Lessius lib.2. cap.10. dub.1. de Justitia. Item formalis contemptus in transgressione præcepti, etiam secundum se levis: nam talis contemptus supra inobedientiam, irreverentiam addit contra Superiorem: Layman lib.1. tract.3. cap.7. num.4. Suarez de Legibus lib.3. cap.28. num. 24. Castropalaus tom. 1. tract.2. disp.2. punct.9. §.2. num.6. Denique si quis hominem à se occisum in frusta discerpat, jecur, aut cor illi extrahat, imò si etiam hominem vivum simili atrocitate tractet, has circumstantias explicare debet; hæ enim specialem malitiam feritatis continent, ut docent de Lugo disp.16. sect.12. num.497. Suarez disp.22. sect.4. num.13. Dicastillus tract.8. disp.9. d.8. cap.5. num.704., aliique communiter.

Re-

IX. Reliqui autem modi, ut magna intensio actus, longa duratio, &c., nunquàm, aut raró admodùm speciem mutant, sed malitiam intra eamdem speciem tantùm augent, & ideò non sunt necessariò in Confessione explicandi, quantumcumque enim odium, ex quo aliquis alium occidat, grave sit, quantumcumque amor, ob quem quis fornicetur, vehemens sit, & intensus, nulla novæ malitiæ species ex hoc præcisè capite contrahitur, ut rectè notat Suarez loco citato.

CAP. XV.

De Circumstantia Quandò.

I. SIgnificat hæc circumstantia tempus actionum: quo nomine intelligitur, vel ipsa cujuscumque rei mora, seu duratio, vel tempus, quod Philosophi vocant extrinsecum, & est mensura humanarum actionum.

II. Hæc tamen ferè nunquam mutat speciem, atque adeò rarissimus est casus, in quo illam confiteri obligemur: & licèt Alensis 3. part. quæst.32. num.5. art.3. opinatus sit aperiendum esse in Confessione, an peccatum fuerit commissum in die festo, & alii cum Medina lib.1. cap.9. §.1., docuerint explicandum esse, an fornicatio commissa fuerit in diebus sacris Feriæ quintæ in Cœna Domini, aut Feriæ sextæ in Parasceve, vel eo die, quo quis confessus, aut communicatus fuerit; nihilominùs communissimè à Doctoribus reprobantur istorum opiniones, ut videre est apud Ledesmam tom.1. de Pœnit. cap.19., & Henriquez lib.5. cap.5. num.6., quia hujuscemodi circumstantiæ speciem non mutant, sed solùm peccatum intra eamdem speciem aggravant. Ita Suarez disp.22. sect.4. num.21., & de Lugo disp.16. sect.12. num.523.

III. Excipe casum, in quo fortasse ratione temporis Deo, ejusque cultui notabilis aliqua irreverentia irroge-

tur, ut si quis ludos publicos, comædias, præsertim obscænas, aut spectacula ludicra in ipso die Feriæ sextæ in Parasceve, verbi gratia, perindè, ac tempore Bacchanalium exibere vellet: hæc enim gravissima irreverentia videretur erga sacratissimum illum diem, quo memoria Dominicæ Passionis specialiter ab Ecclesia colitur: undè etiam, & grave peccatum esset. Ita de Lugo, & Tamburinus apud Stoz citato lib.1. part.1. quæst.1. num.73.

IV. Solùm igitur hæc circumstantia specialem affert malitiam, & est specialiter confitenda, cum violatur præceptum speciale obligans ratione talis temporis, ut si in vigilia alicujus Sancti, vel Feria sexta, vel Sabbato, aut in quatuor Anni temporibus, in quibus ab Ecclesia jejunium præcipitur, vel in Quadragesima carnes comedas, aut si tali die voveris aliquod facere, vel ab aliquo abstinere, quod aliàs præscindendo à Voto, vel Juramento, posses licitè facere: Stoz loco citato num.74.

V. Duratio denique, seu mora in peccato, quantumcumque longa sit, & diuturna, peccatum in aliam speciem per se non trahit, undè, & in Confessione non est necessariò explicanda, ut docet idem Stoz num.76.

C A P. XVI.

Varia Corollaria deducuntur ex dictis.

I. INfertur igitur primò, quòd sicut circumstantiæ, quæ speciem non mutant, non sunt necessariò in Confessione explicandæ, ita nec illæ, quæ sunt transcendentales, quæ videlicèt in omni peccato sunt imbibitæ, ut est ingratitudo, injuria in Deum, irreverentia, inobedientia, &c., quia, si quis confiteatur se blasphemum, homicidam, aut adulterum fuisse, sufficienter intelligitur fuisse ingratum, inobedientem, & Deo injurium.

Ad-

II. Advertendum tamen, quòd si prædictæ circumstantiæ formaliter, & quasi reflexè intendantur à peccante, verbi gratia, si quis blasphemet, ne obediat Divino præcepto, vel ut actum ingratitudinis, irreverentiæ, aut injuriæ in Deum faciat, sunt omninò specialiter in Confessione explicandæ, quia virtutes, quibus opponuntur, obligant specialiter, ne peccata contra ipsas formaliter fiant, undè qui diem festum non sanctificat expressa intentione inhonorandi Deum, vel non obediendi Ecclesiæ, committit peccatum irreligiositatis, & inobedientiæ specie diversum ab eo, quod committit exercens opera servilia, vel non audiens sacrum die festo propter lucrum, aut alium finem indifferentem, quia hic materialem dumtaxat irreligiositatem, & inobedientiam, ille verò formalem, & expressam committit: Stoz lib.1. part.1. quæst.1. art.7. num.79.

III. Infertur secundò, quòd quando dictum est aperiendas esse circumstantias, quæ speciem peccati mutant, illa mutatio specifica non est logicè accipienda, sed moraliter; nam furtum leve, & furtum grave logicè non differunt specie, cum differant solùm secundum plùs, & minùs, quod logicè speciem non mutat: differunt tamen moraliter, idest in ratione injuriæ magnæ Proximi, & offensæ Divinæ, ac proindè furtum magnum, idest materiæ gravis, est necessariò in Confessione aperiendum, non autem leve: Coninck disp.7. dub.3. num.10.

IV. Infertur tertiò, quòd circumstantiæ, quæ peccatum ita minuunt, ut quod, præscindendo ab illis, fuisset mortale, ratione illarum evadat veniale, sunt necessariò in Confessione explicandæ. Ita cum communi sententia Bonaccina disp.5. quæst.5. sect.2. difficult.3. num.4., alioquin mendacium diceretur in Confessione, quia proponeretur, ut mortale, quod est tantùm veniale.

V. Quæres, an id, quod diximus, solas scilicèt circumstantias mutantes speciem esse necessariò explicandas, locum habeat etiam in incestu in primo, & secundo gradu? Respondeo: affirmant hos duos gradus explicandos esse Layman, Bonaccina, & Valentia, sed alii judicant; non

non esse necessarium exprimere tales gradus, sed sufficere, quòd qui commisit incestum, etiam cum Matre, dicat commisi incestum naturalem. Ita Gobat de Sacramento Pœnitentiæ num.387. Tamburinus lib.2. cap.7. §.7. n.48. Diana part.1. tract.7. resol.31., & alii sequentes Divum Thomam 2. 2. quæst.154. art.9., & Cajetanum ibidem, quia talis circumstantia speciem non mutat, sed solùm notabiliter aggravat. Idem valet in furto, in quo non est necesse dicere furatus sum mille, sed satis est dicere, furatus sum quantitatem notabilem. Ita de Lugo disp.16. sect.3. Tamburinus lib.2. cap.8. §.1. num.1., quos citat, & sequitur Stoz in Tribunali Pœnitentiæ lib.1. part.1. quæst.1. art.7. num.89., qui idem etiam docet de eo, qui plures Horas Canonicas non recitavit, ad quas tenebatur; sufficit enim, si dicat se graviter peccasse non recitando aliquas Horas.

VI. Quæres denique, an pro facienda Confessione, peccata sint scripto adnotanda? Respondeo, communem Doctorum sententiam esse, non dari hanc obligationem scribendi peccata, etiam si aliquis habeat memoriam labilem, & putet facilè fore, ut aliquorum obliviscatur, si ea non scribat. Ratio est, quia suavitas Christi Domini non obligavit nos ad maximam, & extraordinariam diligentiam, sed ad communem, & ordinariam: scribere autem peccata esse extraordinariam, & non mediocrem diligentiam omnes docent; ergo ad illam non obligamur; quare satis est, quòd qui vult confiteri, in memoriam sua peccata per examen revocet. Ita Stoz lib.1. par.1. n.112. Coninck disp.7. dub.9. num.72. Suarez disp.22. sect.10. num.4., & alii. Quare Cajetanus verbo *Confessio* concl.11. rectè dixit, id solum esse valdè utile (modo prudenter fiat, & caveatur periculum amittendi scripturam) nullatenùs autem necessarium.

VII. Potest dari tamen casus, quamvìs rarissimè, quòd aliquis, si alio modo non possit, teneatur scripto confiteri, ut quando urgeat mortis periculum, & moribundus existimet, se non posse elicere actum perfectæ contritionis, nec aliud medium supersit ad consulendum

pro-

propriæ saluti, quàm Confessio per scripturam facta. Ita Suarez disp.36. sect.6. num.7. Bonaccina disp.5. quæst.5. sect.2. punct. ultimo num.6., & alii; undè si Confessarius esset surdus, & Pœnitens non posset nutibus, nec ullo alio modo, nisi per scripturam confiteri, & urgeret periculum mortis, tunc utique teneretur scripto confiteri, dummodò tamen Confessarius præsens, & non per internuntium, aut per epistolam absolveret: hoc enim prohibetur à Clemente VIII. in Bulla à Patre Viva relata in sua Trutina damnatarum Thesium §.10.

CAP. XVII.

De Legibus, & Præceptis in genere.

I. Quoniam omne peccatum relationem habet ad Legem, seu Præceptum, ideò ad ritè se examinandum in ordine ad Sacramentalem peccatorum Confessionem, Leges, & Præcepta, ipsorumque naturam, & obligationem scire oportet. De his igitur aliqua ad praxim magis necessaria explanabimus.

II. Lex propriè talis est ordinatio rationis ob Bonum commune ab eo, qui curam habet Communitatis promulgata. Ita S. Thomas 1. 2. quæst.91. art.4.: Præceptum autem, & Lex ad invicem usurpantur, quamvis Præceptum in hoc à Lege differat, quòd aliquod Præceptum potest esse temporale, de natura verò Legis est, quòd sit perpetua. Undè cum omnis Lex sit Præceptum, non verò omne Præceptum sit Lex, differunt tanquam genus, & species: Præceptum autem definiri solet, recta agendorum, vel omittendorum ratio.

III. Dividitur Præceptum in affirmativum, & negativum. Primum est, quod bonum præcipit: secundùm verò, quòd malum prohibet.

Affir-

IV. Affirmativum obligat ſemper, ſed non ad ſemper, ſcilicèt non eſt pro quovis tempore latum: verbi gratia, Præceptum honorandi Parentes non eſt practicandum quovis tempore, ſed quando res id requirit: ſic, exempli gratia, quando ſe præbet occaſio, eos revereri debemus, quando indigent, adjuvare, quando præcipiunt, eis obedire, &c.

V. Negativum obligat ſemper, & ad ſemper, ideſt pro quolibet tempore: ſic obligamur pro quolibet tempore non blaſphemare, non fornicari, &c., quia pro quolibet tempore malum non facere obligamur.

VI. Dividitur ſecundò Præceptum in naturale, & poſitivum. Naturale eſt dictamen Rationis unicuique à Natura inditum, per quod cognoſcimus quid agendum, & quid non agendum ſit: exempli gratia, Deum, & Parentes eſſe colendos, non eſſe furandum, non occidendum, &c.

VII. Poſitivum eſt, quod liberè, vel à Deo, vel ab Homine impoſitum eſt, ut Præceptum de Baptiſmo, de Confeſſione peccatorum, & generaliter omnia Præcepta Eccleſiæ, & Leges Principum in Bonum commune latæ.

VIII. In Præceptis naturalibus dari nequit variatio, aut diſpenſatio, & ea non obſervare eſt intrinſecè malum. In poſitivis autem dari poteſt diſpenſatio: Superior enim, qui liberè obligavit, poteſt etiam liberè ab obligatione ſolvere.

IX. Ex dictis colligitur, quòd formalis malitia peccati in voluntaria Præcepti tranſgreſſione conſiſtit: quare non facere opus bonum, quod non eſt præceptum, verbi gratia, non audire Sacrum diebus ferialibus, non correſpondere inſpirationibus in materia conſilii, & ſimilibus, nullum eſt peccatum, quia de his nullum extat Præceptum: Suarez de Relig. lib.1. cap.9. num.25., dummodò tamen abſit contemptus, ut ſi nollet quis Divinis inſpirationibus reſpondere, & Dei conſiliis annuere, quia parvi eſtimaret illius conſilia, & inſpirationes; qua de re videndus Nider Præcept.1. cap.2., & Alvarez tom.1. de Vita ſpirituali lib.5. part.2. cap.30.

Porrò

X. Porrò ad constituendam formalem peccati mortalis malitiam duo requiruntur: primum est gravitas materiæ, secundum plena advertentia, & liber, ac plenus voluntatis consensus: undè fit, ut cogitationes turpes, aut contra Fidem, motus carnis involuntarii etiam usque ad seminis effusionem, vis, quam ab alio patitur mulier, & similia non sint peccata, quia non sunt voluntaria. Similiter vehementissimi motus iræ, vel concupiscentiæ, qui valdè perturbant Rationem, & libertatem tollunt, non sunt peccata: Sanchez in Selectis disp.21. per totam.

XI. Notetur hic aurea Doctrina Divi Thomæ, quam tradit Quodlibeto nono, art.15. per hæc verba. *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur.* Undè juxtà hanc Doctrinam nemo debet esse facilis in damnando de peccato mortali aliquam actionem, sed tunc solùm id est faciendum, quando actio graviter opponitur alicui Præcepto; quarè falluntur, qui nimio zelo indulgentes, ut strictiorem teneant viam, passim peccata mortalia in actionibus ponunt: periculum enim est, ne dum ultra Præceptum volunt obligare, multos sine fundamento in æternam perditionem adducant.

XII. Leges humanæ obligant non solùm sub pœna, sed etiam sub culpa, quia Superioribus, tàm Ecclesiasticis, quàm Laicis Deus nos obedire præcepit: undè communissima Theologorum sententia est, Subditos peccare mortaliter, aut venialiter, transgrediendo Leges, prout transgressio graviter, aut leviter opponitur fini à Legislatore intento.

XIII. Nequit tamen regulariter Superior sub mortali rem levem præcipere: verbi gratia, ne dicatur leve mendacium, ne leves Proximi defectus aperiantur, & similia; quia cum ipse Deus nos in levi materia sub gravi non obliget, multò minùs obligare poterit ejus minister: Ita Bussembaum lib.1. tract.2. cap.1. dub.4.

XIV. Dixi *regulariter*; nam si materia aliòquin levis, ratione circumstantiæ fieret gravis, exempli gratia,

ratione formalis contemptus, ſcandali magni, Boni communis, &c., tunc poſſet ad illam Superior ſub mortali obligare: Ita Leſſius lib.2. cap.41. dub.9.

XV. Poteſt autem obligare ſub culpa levi in materia gravi, quia ſicuti poſſet nullo modo obligare, ita poterit ad minus, quàm materia poſcat.

XVI. Rogabis, undè nam argui poſſit, quòd aliquod Præceptum obliget ſub gravi? Reſpondeo: ſi materia gravis ſit, & Superior non ſe expreſſerit, ſe nolle ſub mortali obligare: ſi præcipiat in Virtute ſanctæ Obedientiæ, aut ſimili aliqua forma: ſi aliquam magnam pœnam adjiciat, verbi gratia, Excommunicationis, maledictionis æternæ, exilii, &c. Denique ſi ita ferat uſus Doctorum, & timoratorum hominum, ut in legibus jejunii Eccleſiaſtici, & abſtinentiæ à carnibus Feria ſexta, & Sabbato, quæ ſub obligatione peccati gravis receptæ ſunt, &c.

CAP. XVIII.

De Perſonis, quæ Legibus, & Præceptis obligantur.

I. QUæres primò: qui nam Legibus, & Præceptis obligentur? Reſpondeo: Leges, & Præcepta obligant ſolos Subditos Rationis uſu pollentes, ubi enim non eſt uſus Rationis, non viget pro eo temporè Legis obligatio: undè ebrii, & amentes non afficiuntur obligatione Legum, quando ebrietas, & amentia uſum Rationis impediunt; ac proindè ſi Leges non obſervent, tunc non peccant, licèt potuerint peccare in cauſa. Ita Doctores communiſſimè.

II. Hinc fit, quòd Legiſlator, cum non ſit ſibi Subditus, non obligetur à ſua Lege quoad vim coactivam, & pœnas, licèt quoad vim directivam, & ex quadam æqui-

æquitate obligetur eam observare; æquum enim est, quòd ipse tanquam caput cohæreat membris Reipublicæ. Ita communiter Theologi cum D. Thoma quæst.96. art.5. ad 3. Ad contractus tamen, cum hi sint de Jure Gentium, obligantur Principes, & Respublica non minùs quàm reliqui de Populo, ut fert certa omnium sententia, quam sequitur Filliucius tract. 21. cap.5.: undè eos non servando peccant contra Justitiam commutativam, & ad restitutionem tenentur.

III. Deducitur etiam ex dictis, quòd Infideles non baptizati, cum non sint Ecclesiæ subditi, ejus Legibus non obligantur: Hæretici verò obligantur, quia per Baptismum jam sunt Ecclesiæ subjecti.

IV. Quæres secundò: an Peregrini obligentur Legibus sui Domicilj, si ab illo absint? Respondeo: nomine Peregrinorum hìc intelligi omnes illos, qui accedunt ad aliquem locum animo ibi non permanendi, sed subsistendi dumtaxat pro minori anni parte, ut qui rus petunt per tres, aut quatuor menses: similiter Mercatores, Viatores, & alii hujusmodi non obligantur Legibus sui Domicilii, dum ab eo absunt. Ratio est, quia Leges locales directè, & per se respiciunt territorium, & ipsi affixæ sunt, ac proindè non obligant nisi eos, qui intra illud existunt, imò nec obligant in locis exemptis, licèt hæc sint intra illud Territorium; æquiparantur enim loco sito extra Territorium, ut cum Layman, & Bonaccina docet Bussembaum in Medulla Theologiæ Moral. lib.1. tract.2. cap.2. dub.2.

V. Ex dictis sequitur primò, quòd, si Episcopus præcipiat, ne ullus Clericus in sua Diœcesi aleis ludat, non obligatur Clericus abstinere à tali ludo extra Diœcesim, vel in loco exempto.

VI. Secundò: si sit dies jejunii, aut dies festus in aliqua Diœcesi, potest ille, qui est extra Diœcesim, vel in loco exempto, non jejunare, aut exercere opera servilia sine peccato.

VII. Tertiò: recedens manè à loco, ubi non est jejunium, potest ibi comedere etiam carnes, licèt sciat, se

in meridie perventurum ad locum, ubi jejunium obligat, imò ibi etiam non tenebitur jejunare, cum jam per illam comestionem se inhabilitaverit ad jejunium: tenebitur tamen ibi abstinere à carnibus, cum talis abstinentia sit dividua, possitque ibi servari: Layman lib. 1. tract. 4. cap.12. num.4.

VIII. Hoc tamen intelligendum est, si locus jejunii, ad quem pervenit, sit proprium domicilium; quilibet enim obligatur Legibus sui Domicilii, quando in ipso existit. Quòd si non fuerit proprium Domicilium, potest etiam ibi carnes comedere secluso scandalo, quia Peregrinus, seu qui non habet Domicilium in illo loco, non est membrum, neque pars illius Communitatis, ac proindè non subditur Legibus illius loci. Ita Sanchez lib.3. de Matrim. disp.18. num. 22. Fagundez lib.1. de 4. Præcepto Ecclesiæ cap.7. num.11. Filliucius tract.27. cap.2. dub.8. num.109., quidquid in contrarium dicat Leander de SS. Sacramento, qui part.3. de Præcept. Ecclesiæ tract.5. disp.2. quæst.25., gratis putat Peregrinos teneri Legibus loci, ad quem accedunt. Imò allata doctrina militat etiam pro eo Peregrino, in cujus Domicilio Lex illa peculiaris viget: verbi gratia, si Florentinus in Vigilia Conceptionis B. M. V., cujus jejunium Florentiæ est in Præcepto, accedat ad aliam Diœcesim, in qua urgeat idem Præceptum locale talis jejunii, poterit ibi carnes comedere, secluso scandalo, quia non tenetur Præcepto locali Florentiæ, cum hinc absit, nec tenetur Præcepto locali Diœcesis, ad quam accessit, quia, utpotè Peregrinus, non subditur Legibus illius. Ita Doctissimus Pasqualigus tom. de Jejunio decisione 63.

IX. Quæres tertiò: an Peregrinus, antequam discedat à proprio Domicilio, teneatur ibi implere Præceptum; verbi gratia, si ibi sit dies festus, teneatur audire Sacrum, si antè meridiem aliò sit perventurus, ubi non est dies festus? Respondeo: affirmat Navarrus, & Suarez: nihilominùs tutum est ipsum non obligari. Ratio est, quia si mansisset in suo Domicilio potuisset sine peccato differre auditionem Sacri usque ad meridiem; ergo cum in meridie

ridie fit in loco, ubi non urget Præceptum, nec tunc, nec antea obligabitur illud implere.

X. Nec obstat regula, quòd prævidens impedimentum ad satisfaciendum obligationi teneatur anticipare, ut obligationi satisfaciat: quia id solùm verum est, quando manente vi Præcepti, quis prævidet, se pro aliquo tempore impediendum, ut est in Præcepto confitendi semel in anno, quod cum urgeat pro toto anno, qui prævidet, se impediendum in fine anni, obligatur prævenire: idem est in Præcepto recitandi Horas Canonicas, non verò in casibus, in quibus non urget Præceptum eo tempore, quo quis prævidet futurum impedimentum: ut rectè notat Bussembaum in sua Medulla Theologiæ Moralis lib.1. tract.2. cap.2. dub.2. num.6.

XI. Quæres denique: an aliquis obligetur ad Legem, si cesset in particulari finis Legis? Respondeo: communiter asserunt Doctores, ad hoc, ut cesset obligatio Legis, debere illius finem cessare adæquatè in communi, & universaliter, nec sufficere, quòd cesset in casu particulari; quorum ratio est, quia Lex conditur propter bonum commune, ergo licèt ejus finis cesset in casu particulari, non cessabit illius obligatio: & ita docent Layman, Suarez, Sotus, Vasquez, & alii, quos usque ad triginta enumerat Diana 1. part. tract.10. resol.28.

Oppositum nihilominùs sustinent probabiliter Comitolus in Respons. Moral. lib.7. quæst.1. num.10. Henriquez lib.10. cap.15. num.8. Navarrus, Mexia, Sousa, Megala, aliique, quos citat, & sequitur Diana, dicta resol. 28. Cajetanus, Ludovicus Lopez, Emanuel Sa, etiam in editione expurgata à Magistro Sacri Palatii, & alii apud Castropalaum tom.1. tract.3. disp.5. punct.1. num.9., & id etiam omnium fusissimè docet Granadus in Primam Secundæ Contr.7. tract.3. part.1. disp.15. sect.2. Ratio est, quia valet argumentum de toto ad partem, sed quando finis Legis cessat in totum, cessat totaliter Lex, ergo quando Ratio Legis cessat in partem, partialiter etiam cessabit Lex ex authoritate Legis *Quæ de tota* ff. de rei vendit. Ad rationem verò superiùs adu-

du-

ductam optimè respondet Diana, quòd licèt Leges condantur propter Bonum commune, adhuc tamen obligant etiam singulos Subditos in particulari, & in singulis habet vim ea ratio, seu finis propter quem conduntur: ergo quando in aliquo particulari hic finis cessat, cessabit quoque pro illo particulari Legis obligatio.

CAP. XIX.

De Variis spectantibus ad observantiam Præceptorum.

I. PRæcepta alia sunt, quæ in sui substantia, vel in fine à Legislatore intento includunt, ideſt poscunt, ut homo sit in gratia, alia non item. Primi generis sunt Præceptum amoris Dei, Præceptum confitendi, & communicandi; & hæc ab homine sine Charitate impleri non possunt, undè qui sacrilegè confitetur, non satisfacit Præcepto annuæ Confessionis, sicuti nec Præceptum Communionis Paschalis adimplet, qui sacrilegè communicat; quia finis Legislatoris fuit, per ista hominem obligare ad reconciliationem, & ad amicabilem unionem cum Deo, qui finis per sacrilegam horum Sacramentorum susceptionem non obtinetur. Ita Suarez in 3. part. D. Thomæ tom.4. disp.35. & 36. sect.7. num.3. Coninck de Sacramentis disp.5. dub.9. Layman lib.5. tract.6. cap.5. n.10., undè opposita sententia, nempè quòd per Confessionem sacrilegam satisfieri possit Præcepto, damnata fuit ab Alexandro VII., ac proindè non sunt amplius audiendi Fagundez, Paludanus, Gabriel, Victoria, Alensis, Sylvester, Pitigianus, & alii, qui eam tanquam probabilem docebant: similiter, quòd per Communionem sacrilegam impleri possit Præceptum Communionis Paschalis, damnavit Summus Pontifex Innocentius XI., licèt antea illam sententiam docuerint magni nominis Authores apud Dianam

nam part.3. tract.4. resolut.43., & Villalobos in Summa tom.1. tract.7. difficult.42. num.6.

II. Alia verò Præcepta, quæ neque in sui substantia, neque in fine à Legislatore intento Charitatem includunt, possunt ab eo, qui non est in Charitate, seu in Gratia impleri: sic Præcepta Fidei, honorandi Parentes, sanctificandi dies Festos, jejunandi, satisfaciendo Voto, Juramento, & Sacramentali Pœnitentiæ à Confessario impositæ, impletur etiam ab eo, qui non est in Gratia. Ratio est, quia in his, & similibus Præceptis præcipitur substantia actus in Præcepto inclusi, non autem finis, vel modus Præcepti. Ita cum communi Layman lib.1. tr.4. cap.4. num.6. Sanchez lib.1. in Summa cap.14., & Bussembaum lib.1. tract.2. cap.3. dub.1.

III. Hæc tamen impletio Præcepti hoc modo posita non est meritoria, cum nulla possit esse operatio de condigno meritoria, nisi ab homine existente in Gratia fiat.

IV. Quæres: an audiens Missam sinè interna attentione, Ecclesiæ Præcepto satisfaciat? Respondeo, certum esse ad Missam die festo audiendam, ut Præcepto satisfiat, requiri, ut homo saltem confusè, initio velit se præsentem sistere Sacro ad Deum colendum: dubium autem est, an præter hoc debeat etiam in Missæ decursu ad satisfaciendum Præcepto, non modo exteriùs, sed etiam interiùs, ad ea, quæ peragit Sacerdos attendere? Affirmativè respondent non pauci Doctores: probabile tamen est, quòd hæc interna attentio non sit necessaria, quia etiam sine hac attentione præsentia illa est objectivè Cultus Dei, & ratione ipsius quispiam dicitur inesse moraliter Sacro: dummodò tamen aliquid exteriùs non fiat, quod sit incompossibile cum hac morali præsentia, ut esset nimia allocutio cum aliis, & similia. Ita Præpositus in Tertiam Partem quæst.83. art.6. dub.5. nnm.225. Diana part.1. tract.12. resol.2., qui propterea alibi etiam firmat, quòd qui recitat Horas Canonicas tempore auditionis Sacri, non solùm Præcepto Divini Officii, sed etiam Præcepto Missam audiendi satisfacit.

V. Sed quid dicendum, si Missam audiens nolit tali au-

auditione satisfacere Præcepto? Respondeo, quòd ad implenda Præcepta docent communiter Theologi, non requiri intentionem ipsis satisfaciendi, quia Lex solùm præcipit voluntariam operis executionem, verbi gratia, jejunium, auditionem Sacri, recitationem Divini Officii, &c., atque adeò dum fiat voluntariè opus præceptum, censetur Lex adimpleta. Undè non solùm qui non habet peculiarem intentionem satisfaciendi, sed etiam qui positivè intendit non satisfacere, satisfacit, quia faciendo opus, facit totum id, quod præcipitur. Ita Bussembaum loco citato dub.3. cum Suarez, Vasquez, & aliis contra Navarrum, & Azorium, ac proindè Missam prædicto modo audiens verè Præcepto satisfacit. Idem dicendum est de eo, qui Horas Canonicas recitavit, aut Sacramentalem pœnitentiam implevit animo non satisfaciendi; uterque enim verè satisfecit, licèt ex prava intentione non satisfaciendi peccaverit.

VI. Dixi, dum fiat voluntariè opus præceptum, quia cum Leges dentur hominibus, debent etiam impleri humano modo, idest ab homine cognoscente, & volente opus facere; undè si quis ebrius, somnians, aut nesciens quid agat, intersit Sacro, recitet Horas Canonicas, aut pœnitentiam injunctam impleat, minimè satisfacit. Ita cum Suarez, & Salas docet Bussembaum lib.1. tract.2. cap.3. dub.4. in Medulla Theologiæ Moralis.

VII. Ex superiùs dictis colligitur, unico actu satisfieri posse pluribus Præceptis, dummodo non constet aliam fuisse Præcipientis mentem: sic obligatus ad Horas Canonicas recitandas ratione Beneficii, & ratione Ordinis Sacri satisfacit unica tantùm recitatione.

VIII. Colligitur etiam posse diversis actibus eodem tempore pluribus Præceptis satisfieri, ut patet in eo, qui Missam audit die festo, & simul recitat Divinum Officium, ad quod tenetur.

IX. Notanter dixi, dummodò non constet aliam fuisse Præcipientis mentem; si enim Præcipiens obligare intendat suo Præcepto ad novum actum distinctum, tunc unico actu duobus Præceptis satisfieri non potest.

Ad-

X. Advertit tamen Sanchez lib.1. Summæ cap.14. cum Suarez, & aliis, quòd si Confessarius injungat pro Sacramentali pœnitentia auditionem Missæ in die festo, regulariter intelligitur præcipere auditionem Missæ ab ea distinctam, ad quam Pœnitens ex Præcepto Ecclesiæ obligatur.

XI. Notandum est etiam, quòd in casu, quo Confessarius injungeret pro Sacramentali pœnitentia illam Missam, ad quam Pœnitens die festo obligatur, si Pœnitens illam non audiat, duplex peccatum committit; ut colligitur ex de Lugo tom. de Pœnit. disp.16. sect.5., quia Præceptum Ecclesiæ, & Præceptum Confessarii habent motiva formalia diversa.

XII. Præcepta naturalia negativa, quæ prohibent rem intrinsecè malam, ne quidem metu mortis violari possunt: verbi gratia, non licèt fornicari, blasphemare, &c. etiamsì mortis periculum immineat, hæc peccata non committantur: si verò Præcepta, quæcumque sint, non vetent rem intrinsecè malam, ut, verbi gratia, Præceptum servandi Depositum, implendi Votum, succurrendi Proximo extremè indigenti, integrè confitendi, & similia; metus mortis, vel similis damni gravis excusat ab eorum impletione: excipitur tamen casus, in quo ipsorum observantia esset necessaria ad cavendum malum grave Communitatis, quod pluris æstimaretur, quàm Vita privatæ Personæ; tunc enim Lex obligat etiam cum manifesto Vitæ periculo: sic tempore pestis obligatur Parochus Sacramenta ministrare suis ovibus: similiter obligatur miles manere in statione, & servare Præceptum Ducis etiam cum certo Vitæ periculo, quia indè Bonum Reipublicæ pendet.

XIII. Item violari talia Præcepta non possunt, quando metus gravis incuteretur in odium Fidei, vel in contemptum Religionis: ita communiter Doctores cum Suarez, Navarro, Avila, Henriquez, Soto, Vasquez, Medina, aliisque apud Layman lib.1. tract.4. cap.14. n.6., & Coninck tom.2. disp.13. dub.12. num.100.

CAP. XX.

De Peccatis in Genere, eorumque Divisione, ac Distinctione Specifica, & Numerica.

I. CUm in manuscriptis operibus Doctoris Friderici Giannetti à me visis hoc de Peccatis caput omissum fuerit, ne hunc Tractatum de Principiis Generalibus Theologiæ Moralis mutilum, & imperfectum darem; hæc de Peccatis in genere, ex probatorum Authorum Doctrina excipiens, hìc censui apponenda.

II. Peccatum aliud dicitur Philosophicum, seu Morale, aliud verò Theologicum: Philosophicum ex Divo Thoma 1. 2. quæst.71. art.6. est illud, quod à Philosophis tanquam solùm Rationi disconveniens, Theologicum verò, quod à Theologis tanquam Dei offensa principaliter consideratur.

III. Peccatum purè Philosophicum, quod amicitiam Dei non dissolvat, esse etiam in præsenti providentia saltem per accidens possibile, docuerunt nonnulli apud Zumel quæst.71. de Peccatis art.2. disp.8., & Tannerum tom.2. disp.4. quæst.1. dub.3. Hoc tamen ab Alexandro VIII. Summo Pontifice meritò damnatum fuit in secunda ex Propositionibus die 24. Augusti Anno 1690 proscriptis, ut videre est apud Dominicum Vivam in explicatione ejusdem Propositionis.

IV. Peccatum Theologicum, quod definitur à D. Ambrosio in lib. de Paradiso cap.8. *Prævaricatio Legis Divinæ, & Cælestium inobedientia Præceptorum*, & à D. Thoma 1. 2. quæst.71. art.6. cum S. Augustino lib.22. cap.2. contra Faustum: *Dictum, factum, vel concupitum contra Legem Dei æternam*, multipliciter à Theologis di-

vi-

viditur, scilicèt in Originale, Actuale, & Habituale. Rursùs Actuale in peccatum commissionis, & omissionis, in peccatum cordis, oris, & operis, ac denique in Mortale, & Veniale.

V. Peccatum Originale, quod per Baptismum deletur, nihil aliud est ex probabiliori sententia, quàm debita privatio Justitiæ, & Gratiæ ob peccatum Adæ, in quo omnes peccaverunt, quia omnium voluntates in voluntate illius erant refusæ. Ita Azorius, Bonaccina, Vasquez, aliique apud Castropalaum tom.1. tract.2. disp.2. punct.1. num.3.

VI. Peccatum Actuale est ipse actualis, voluntarius, ac liber recessus à Lege.

VII. Peccatum Habituale est macula moralis, quæ post peccatum actuale per modum habitualis defectus permanet, donec per pœnitentiam actualem deleatur.

VIII. Peccatum commissionis est, quod in positione actus contra prohibitionem Legis consistit; ut, verbi gratia, Furtum, Homicidium, &c.

IX. Peccatum omissionis est, quod per omissionem actus à Lege præcepti committitur; ut, verbi gratia, per non auditionem Sacri in die festo.

X. Peccatum cordis illud dicitur, quod interiùs tantùm in Animæ potentiis consummatur; ut cogitatio prava, & desiderium malum.

XI. Peccatum oris est illud, quod oris sermone completur; ut detractio, blasphemia, &c.

XII. Peccatum operis illud est, quod actione externa perficitur; ut homicidium, fornicatio, & furtum.

XIII. Peccatum verò Mortale est illud, quod Dei amicitiam dissolvit, & pœnam æternam meretur; quod ideò dicitur mortale, quia vitam spiritualem, hoc est Gratiam Sanctificantem tollit, & animæ mortem affert.

XIV. Peccatum denique Veniale illud est, quod gratiam, & amicitiam cum Deo per se non tollit, quamvis Charitatis fervorem valdè minuat: & hoc solùm temporalem pœnam meretur. Videatur Sanctus Thomas 1. 2. quæst.72.

XV. His positis, dico, quòd pluribus ex capitibus id, quod est peccatum mortale ex genere, potest transire in veniale, & ex genere veniale potest transire in mortale.

XVI. Primò itaquè peccatum de se mortale ex defectu plenæ libertatis, & advertentiæ evadit veniale. Ita Castropalaus tom.1. tract.2. disp.2. punct. 6., quamvis contrarium sentire videatur Joannes Sanchez in Selectis disp.18.; ubi conatur probare, quòd peccatum de se mortale non possit fieri veniale ratione semiplenæ advertentiæ, aut deliberationis; quia censet etiam ad veniale non sufficere semiplenam advertentiam, sed debere esse in suo genere plenam, liberam, ac perfectam sicut ad mortale, cum non possit dari peccatum, nisi plenè voluntarium: undè ait impossibile sibi videri, quòd mortale transire possit in veniale ratione semiplenæ advertentiæ: nam aut actio mortaliter peccaminosa committitur cum plena advertentia, & tunc est peccatum mortale; aut committitur solùm cum semiplena advertentia, & deliberatione, & tunc talis actio nullatenus est peccaminosa, utpotè non plenè, & absolutè volita.

XVII. Quæres, quomodo cognosci possit, an plena, & libera, vel tantùm semiplena, & imperfecta advertentia in aliqua actione habita fuerit? Respondeo: licèt non possit dari certa, & absoluta regula ad hoc infallibiliter cognoscendum, varias tamen conjecturas, ex quibus id probabiliter determinari possit, assignant Doctores.

XVIII. Prima est ex defectu ætatis: verbi gratia, si dubites, an in peccato à te ante septennium commisso plenam advertentiam, & deliberationem habueris, poteris præsumere te non habuisse: similiter si dubites, an in actione mortaliter peccaminosa excitatus à somno perfectè fueris, aut ab ebrietate perfectè liber, poteris probabiliter credere, te peccatum mortale non perpetrasse. Ratio est, quia quando somnus, ebrietas, aut defectus septennii perfectè adsunt, libertatem tollunt; ergo quando imperfectè existunt libertatem minuunt, & consequenter à peccato, saltem mortali, excusant. Ita Sanchez in

in Decalogum lib.1. cap.1. num. ultimo, Bonaccina, & alii.

XIX. Secunda conjectura est, si firmum animum, & propositum sæpè repetitum habeas non consentiendi in peccatum; quando dubitas, an plenè consenseris, poteris præsumere, te non consensisse. Ratio est, quia si plenè consensisses, perfectè cognosceres: ea enim, quæ multotiès sunt odio habita, si aliquando amentur, clarè, & sine difficultate cognoscuntur: Castropalaus ubi supra punct.6. num.5.

XX. Tertia conjectura est: si facilè possis peccatum exequi, & illud, quando plenè advertis, totis viribus respuas; si postea dubites, an plenè in illud consenseris, poteris præsumere, te perfectè non consensisse, quia non tam facilè affectus mutatur. Ita Sanchez loco citato num.17.

XXI. Quarta, & ultima conjectura omnium fortasse efficacissima desumitur ex communiter contingentibus ex Menochio lib.1. Præsumpt.18., & lib.5. Præsumpt.32. Undè si aliquis timoratæ Conscientiæ, qui non sit solitus peccatis consentire, dubitet, an consensum peccato præstiterit, poterit præsumere non præstitisse; secus verò dicendum de eo, qui sit perditis moribus, hic enim cum peccatum, velut aquam, quando plenè advertit, bibat, potest etiam præsumere, quòd verè peccaverit, quando de peccato dubitat; ut rectè notat Sayrus in sua doctissima Clavi Regia Sacerdotum lib.8. cap.7. num.6.

XXII. Secundò: materia peccati ex genere suo mortalis transit in materiam venialis ratione Parvitatis materiæ (ubi tamen hæc dari potest) quæ non ex se ipsa, ut docent aliqui, sed probabiliùs ex fine à Legislatore intento, & ex mediis ad eum finem conducentibus, est desumenda: si enim finis de se sit gravis, & materia præcepta valdè conducat ad finem à Legislatore intentum, erit peccatum grave illius transgressio, estò materia sit levis: si verò non multùm conducat, erit peccatum veniale, estò materia sit gravis. Ita Vasquez è Societate Jesu ingeniosissimus Author in 1. 2. tom.2. disp.158. cap.6.

cap.6. Thomas Sanchez lib.1. in Decalogum cap.4. num.2. Suarez lib.3. de Legibus cap.25. & alii : exempli gratia, Legislator præcipit, ne furtum committatur ; finis hujus Præcepti est, ne aliquis damnum patiatur in suis Bonis ; si quis igitur furetur centum aureos, tale furtum, cum graviter violet finem à Legislatore intentum, quia grave damnum infert, tale furtum, inquam, constituet materiam gravem ; si vero aliquis assem furetur, cum non graviter finem à Legislatore intentum lædat, quia grave damnum non infert, tale furtum materiam parvam constituet.

XXIII. Attendendæ etiam sunt circumstantiæ, quia potest dari casus, quòd res ex se levis, ex circumstantia Boni communis, periculi peccati mortalis, aut scandali, fiat gravis ; ut rectè notat Bussembaum lib.5. cap.2. dub.2.

XXIV. Dixi : ubi potest dari Parvitas materiæ : nam, ut advertit Sanchez lib.1. in Decalogum cap.4., non in omnibus hæc datur. Variæ autem regulæ assignari solent à Doctoribus ad cognoscendum, ubi detur Parvitas materiæ, & ubi non detur ; ut videre est apud Castropalaum tom.1. tract.2. disp.2. punct.7. : Mihi tamen magis arridet illa regula Tamburi, nempè quòd in iis rebus, in quibus materia levis ex communi hominum sensu, eamdem malitiæ gravitatem habet, ac materia gravis, non detur Parvitas materiæ ; secùs vero in iis, in quibus materia levis eamdem malitiæ gravitatem non habet : undè cum odium Dei, verbi gratia, quantumcumque exiguum, ex communi hominum sensu gravissimum reputetur, ideò in eo Parvitas materiæ non datur, & sic in similibus.

XXV. Instabis : an etiam detur Parvitas materiæ in re venerea? Respondeo : non paucos absolutè docentes dari Parvitatem materiæ in re venerea, præscindendo à periculo, enumerat ingeniosissimus Caramuel in Theologia fundamentali num.1710., sed ex illis, solùm quinque dumtaxat, eam clarè defendere ostendit Cardenas tract.5. de Castitate disp.45. cap.7., & hi sunt Martinus de Magistris, Jacobus Marchantius in Quæstionibus Pastoralibus cap.6. quæst.2. Explicationis Decalogi, Joannes Sanchez

chez in Selectis disp.11. num.22. Samuel Lublinus in Summa, & Franciscus Arauxo in suis doctissimis Commentariis in Primam Secundæ Divi Thomæ. In hanc sententiam inclinat etiam Navarrus Dist.1. de Pœnit. cap. *Si cui*, in fine, & plures rationes pro ea affert Lessius lib.4. cap.3. dub.8., licèt illam non sequatur. Hanc etiam docuit in prima editione Anni 1592. tractatus de Matrim. lib.9. disp.46. Pater Thomas Sanchez, sed post Decretum Reverendissimi Patris Claudii Aquavivæ (in quo prohibuit ne quis è Societate Jesu illam inposterum, vel publicè, vel privatim non modo ut veram, vel probabilem, sed ne ut tolerabilem quidem ulla ratione doceat, aut sibi placere significet, aut secundum illam cuiquam consilium præstet) se retractavit in Summa Moral. tom.2. lib.5. cap.6. num.12.; licèt in dubium revocet ex Beyerlinckio Caramuel loco citato num.1718., an hanc retractationem ipse, vel alius ejus nomine fecerit, de qua re videatur P. Cardenas loco superiùs citato.

XXVI. Quarè licèt hæc opinio, quæ Parvitatem materiæ in re venerea admittit, ratione periculi non sit absolutè judicanda in praxi tuta, eam tamen speculativa probabilitate non carere dicendum est, saltem propter Doctorum, qui illam tuentur, authoritatem extrinsecam: undè in hypotesi, in qua periculum in praxi cessaret, practicè etiam probabilis, ac tuta foret; ut colligitur ex Joanne Sanchez, & Caramuele citatis.

XXVII. Nec obstat, quòd aliqui putent, hanc sententiam de Parvitate materiæ in re venera damnatam fuisse à Summis Pontificibus Clemente VIII., & Paulo V.; nam respondetur, quòd de hac damnatione non constat, quinimò plures Doctores apud Mendo in Epitome verbo *Luxuria* num.4., eam adesse absolutè negant: quare in bubio pro libertate, & non pro prohibitione standum est, ex regulis supra traditis capite sexto.

XXVIII. Undè rectè notat, è Societate Jesu P. Dominicus Viva in explicatione 40. Propositionis ab Alexandro VII. Summo Pontifice damnatæ num.22., quòd si quis Doctus se accuset de modica delectatione venerea, tan-

tanquam de veniali ob levitatem materiæ, nolens habere ut omninò improbabilem (ficuti eam communiter judicant Jesuitæ, aliique plures) sententiam docentem dari Parvitatem materiæ in re venerea, ductus ab Authoritate extrinseca Doctorum, qui illam tuentur; notat, inquam, citatus Viva, quòd non sit ei deneganda absolutio etiam à Confessario Societatis Jesu: & ita respondisse Patres Revisores Romanos ejusdem Societatis ad Provinciam Gallo-Belgicam nomine Patris Generalis testatur Jacobus Platellius tom.2. num.252., cujus rei idem Viva rationem reddit his verbis: *Quia Confessarius nequit absolutionem negare Pœnitenti disposito; Pœnitens autem est sufficienter dispositus sequendo opinionem probabilem ob sufficientem Authoritatem extrinsecam, etiam si Confessarius illam putet improbabilissimam, dummodò non constet, aut ex evidentia rationum, aut ex definitione Ecclesiæ, quòd ea non sit probabilis: in casu autem sententiam admittentem Parvitatem materiæ in re venerea non constat hoc modo esse improbabilem; ergò non est neganda tali Pœnitenti absolutio, quamvìs nolit acquiescere rationibus, & sententiæ Confessarii*. Huc usque Pater Viva.

XXIX. Neque dicas, hanc opinionem de Parvitate materiæ in re venerea definitione Ecclesiæ declaratam esse improbabilem in damnatione ab Alexandro VII. facta die 24. Septembris Anni 1665. illius Propositionis, quæ dicebat: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem sensibilem, & carnalem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus, & pollutionis*. Nam respondetur cum eodem Patre Viva loco superiùs laudato num.1., non esse idem inquirere, an osculum habitum ob delectationem sensibilem, & carnalem sit peccatum mortale, secluso periculo ulterioris consensus, & pollutionis, ac inquirere, an in re venerea detur Parvitas materiæ; nam ex eo, quòd asseratur dari Parvitatem materiæ in re venerea, non sequitur osculum prædicto modo habitum esse solùm veniale; & de facto multi Doctores, qui prædictam materiæ Parvitatem in re venerea admittunt, docent osculum

præ-

prædicto modo habitum esse mortale, ut ibidèm ostendit idem Viva: ex quo sequitur, quòd licèt damnata sit opinio, quæ docebat osculum prædictum esse solùm Veniale, non tamen ex hoc infertur esse damnatam sententiam, quæ docet dari Parvitatem materiæ in re venerea, cum hæc opinio sit valdè ab illa diversa: siquidem potest dari hæc materiæ Parvitas in aliis tactibus levioribus, licèt non possit dari in osculo prædicto modo habito: & de facto in prædictis tactibus levioribus dari materiæ Parvitatem docent etiam Navarrus cap.14. n.31. Freitas quæst.7. num.28., & alii apud Joannem Sanchez disp.11. num.22. Hæc tamen omnia circa materiæ Parvitatem in re venerea disputationis gratia dicta esse velim, & non pro praxi.

XXX. Tertiò denique peccatum ex genere suo mortale, juxtà probabilem sententiam, potest transire in veniale ex voluntate Legislatoris. Ratio est, quia sicut hic potest in materia gravi non obligare ad culpam, (cum obligatio ab ejus voluntate dependeat) ita poterit etiam obligare solùm ad culpam levem: & ita docent contra Vasquez, Salonium, Victoriam, Zapatam, & alios Castropalaus tom.1. tract.2. disp.2. punt.8. Suarez lib.3. de Legibus cap.27. num.7. Valentia 1. 2. disp.7. quæst.5. punct.2. Thomas, & Joannes Sanchez; ille tom.1. de Matrim. lib.1. disp.9. num.6.; iste in Selectis disp.15. num.16. Alphonsus de Castro lib.1. de Lege Pœnali cap.5. document.4. aliique apud ipsos.

XXXI. Peccatum verò de se veniale in pluribus circumstantiis potest evadere mortale, primò ratione periculi peccandi mortaliter; secundò ratione scandali; tertiò ratione finis adjuncti, ut si quis mentiatur ad fornicandum; quartò ratione contemptus; quintò denique, addunt aliqui, ratione finis ultimi, ut si quis in re aliqua creata ultimum finem constituat. Ita Castropalaus loco citato, & Bussembaum lib.5. cap.2. dub.3.

XXXII. Quæres, quomodò cognosci possit distinctio specifica, ac numerica peccatorum? Respondeo: tunc peccata specie distinguuntur, quando diversis Virtutibus,

aut etiam quando eidem, diversimodè tamen, aut extremè, opponuntur, ut prodigalitas, & avaritia. Ita Bussembaum lib.5. cap.1. dub.3. art.1. Numero autem tunc distinguuntur, quando contraria voluntate interrumpuntur, & quando licèt expresse non interrumpantur per actum contrarium, interrumpuntur tamen implicitè per voluntariam cessationem à peccato. Ita communiter Doctores: si autem interruptio, aut cessatio non sit voluntaria in ordine ad peccatum, probabile putat de Lugo tom. de Pœnit. disp.16. sect.14., non multiplicari numero peccata. Ratio est, quia tunc in genere moris omnes illi actus censentur unum peccatum, licèt materialiter, & in genere physico multiplicentur: quare satis erit si explicetur in Confessione tempus peccati, dicendo, verbi gratia, per unum diem, odio habens Petrum, illi mala gravia imprecatus sum; per unum mensem turpiter concupivi puellam, &c., intelligitur enim more humano, idest tales actus per varias humanas actiones fuisse interruptos; ut rectè ait Tamburinus in Methodo Confessionis lib.2. cap.1. §.5.

XXXIII. Excipe tamen, si tanta esset interruptio, ut communiter non intelligeretur; verbi gratia, si quis per integrum diem odio habens inimicum modum quæreret eum occidendi, & postea per annum de hoc non cogitaret, si post annum resumeret illam voluntatem occidendi; certè hæc voluntas nec moraliter quidem faceret unum cum priori illo actu voluntatis occidendi, undè esset specialiter hæc tam notabilis interruptio explicanda: Tamburinus ibidèm num.34.

XXXIV. Quæres iterum, an sicut unicus actus peccaminosus potest habere plures malitias diversas specie, ita etiam possit habere plures malitias diversas numero: verbi gratia, an actus, quo quis unico ictu decem homines occidit, habeat decem numero distinctas malitias necessariò in Confessione explicandas? Respondeo: affirmant probabiliter Oviedus in Primam Secundæ tract.6. controv.5. punct.7. Vasquez de Pœnit. quæst.91. art.1. dub.4. Escobar in Theologia Morali tract.7. exam.4. cap.7.,

cap.7., & alii. Negant tamen probabiliùs Leander de SS. Sacramento tom.1. tract.5. disp.8. quæst.19. Eminentissimus Cardinalis de Lugo disp.16. de Pœnit. sect.3. doctissimus Megala 1. part. lib.5. cap.12. Tamburinus in Opusculo Confessionis lib.2. cap.1. §.9. , aliique apud ipsos. Ratio est, quia ex Tridentino solùm confitendæ sunt species, & numerus peccatorum, non autem numerus malitiarum, quæ in unoquoque peccato reperiuntur; ergo non sunt adstringendi Fideles ad hunc in Confessione explicandum. Vide tamen limitationem superiùs traditam cap.12. num.8.

XXXV. Ex hac Doctrina plurium casuum decisiones infert Leander ubi supra, quarum tamen aliquas meritò non approbat Diana part.9. tract.9. resolut.55. omninò videndus.

XXXVI. Quæres denique, an faciens actionem, quam putat malam, non advertens tamen, an sit graviter, vel leviter peccaminosa, peccet mortaliter? Respondeo: licèt Sanchez in Decalogum lib.1. cap.11. num.7., & Vasquez 1. 2. disp.59. cap.3., doceant in hoc casu peccare mortaliter, quia, cum sine alio examine, aut Conscientiæ determinatione peccet, exponit se periculo peccandi graviter, quod est peccatum mortale, & cum faciat actionem, quam putat in confuso malam, virtualiter evincitur illam velle, qualiscumque sit: nihilominùs cum Valentia tom.2. disp.2. quæst.14. punct.4., & Navarro in Manuali præludio 9. num.9. probabile putat Tamburinus in Methodo Confessionis lib.2. cap.1. §.15. solùm peccare venialiter. Ratio est, quia tunc solùm ille peccat secundùm rationem malitiæ peccato mortali, & veniali communem, quæ cum abstrahat ab utroque, est imperfecta in genere moris, & consequenter non mortalis.

XXXVII. Ad rationem autem Patris Vasquez respondetur ex communi Doctorum sententia, tunc verum esse illum peccare mortaliter, qui periculo mortaliter peccandi se exponit, quando tale periculum advertit, & obligationem ad illud avertendum se habere cognoscit: hoc autem locum non habet in nostro casu, in quo solùm

quæritur de eo, quod communiter accidere ſolet in praxi, hoc eſt quando Conſcientiæ operanti non offertur niſi ratio illa communis Mali ut sìc ſine advertentia periculi, aut alterius obligationis ad tale periculum avertendum.

XXXVIII. Nec valet dicere, quòd qui vult aliquid, quod cognoſcit eſſe malum ut ſic, convincitur virtualiter illud velle etiam ſi ſit mortale: hoc enim falſum eſt, nam qui vult aliquid, quod putat malum ut sìc, vult malum ut sìc, adeoque id, quod, abſtrahit à mortali, & veniali, & conſequenter solùm culpam imperfectam in genere culpæ, quæ non poteſt eſſe niſi imperfectè gravis, undè etiam non mortalis.

Pro complemento hujus Tractatus de Principiis Generalibus Theologiæ Moralis agendum hìc ſupereſſet de fine, ac mediis peccatorum; cum autem de his ſatis ſuperiùs dictum fuerit capite decimotertio, & decimoquarto, aliud hìc addendum non cenſeo.

F I N I S.

OPU-

OPUSCULUM PRIMUM.

DE FIDE, ET EJUS PRÆCEPTIS.

CAP. I.

Quid ſit Fides, & quomodo neceſſaria ad Salutem.

I. FIdes Theologica eſt virtus infuſa, per quam propter ipſius Dei authoritatem firmiter aſſentimur iis, quæ à Deo ſunt revelata, & ab Eccleſia propoſita. Ita S. Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 1.

II. Fides autem dupliciter ſumi poteſt vel pro habitu, qui in Baptiſmo infunditur, vel pro actu, quo homo ea credit, quæ à Deo ſunt revelata.

III. Prænotandum eſt, quòd dupliciter aliquid dicitur neceſſarium ad Salutem; aliud enim eſt neceſſarium neceſſitate medii, & aliud neceſſarium neceſſitate Præcepti. Neceſſarium ad Salutem neceſſitate medii eſt illud, ſine quo, ſecundùm Legem Dei ordinariam, nullo modo ſalus obtineri poteſt, ſive illud omittatur cum culpa, ſive ſine culpa, ſive ex ignorantia, ſive ex malitia; illud verò eſt neceſſarium neceſſitate Præcepti, quod ex Præcepto dumtaxat tenemur exequi; undè ſi vel ex ignorantia, vel ex morali impoſſibilitate omittatur, Saluti æternæ non obeſt: ſic docent cum communi ſententia Do-

ctorum Valentia: tom.3. disp.1. quæst.2. punct.2. Sanchez lib.2. in Decalogum cap.2. num.1., & Azorius tom.1. lib.8. cap.6. & 7.

IV. Parvulis usu Rationis carentibus Fides tantùm in habitu, Adultis verò tam in habitu, quàm in actu est necessaria ad Salutem necessitate medii. Est hoc apud Catholicos Fide certum: Apostolus enim ad Hæbreos cap.11. ait: *Sinè Fide impossibile est placere Deo*, & Tridentinum sessione 6. cap.7. dicit: *Sinè Fide nulli unquam contingit justificatio*, & cap.8. *Fides est humanæ Salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*. Ratio autem, cur Adultis necessaria sit etiam Fides secundùm actum, est, quia non potest Adultus justificari, nisi justificationem speret, & de peccatis doleat, Deumque super omnia diligat, ut definit Tridentinum loco citato: sed hæc fieri non possunt, sine actu Fidei, quo Adultus credat Deum esse, & posse hæc omnia bona sibi præstare, undè per Joannem cap.3. dicitur: *Qui non credit, jam judicatus est*: & Marci ultimo: *Qui verò non crediderit, condemnabitur*: & Joannis 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; ergo Adultis necessaria est etiam Fides secundùm actum.

V. Actus verò Fidei dupliciter exerceri potest, interiùs videlicet, & exteriùs: exercetur interiùs, quando intellectus ob testimonium Dei assentitur veritatibus revelatis; exercetur exteriùs, quando operibus, & signis manifestatur.

VI. Ad actum interiorem Fidei duo prærequiruntur: primò ex parte intellectus judicium, quo intellectus judicet veritates Fidei esse evidenter credibiles; secundò ex parte voluntatis actus, quo velit veritates revelatas credere.

VII. Patet hoc ex Tridentino sess.6. cap.6., ubi dicit: *Disponuntur autem* (Adulti) *ad ipsam Justitiam, dum excitati Divina Gratia, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vero esse, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt*. Sicuti ergo solis viribus Gratiæ supernaturalis elevatur intellectus, sic volun-

luntas ad piam affectionem, seu ad actum liberè per Gratiam exercendum movetur: ac proinde cum talis affectio, seu actus liber voluntatis proveniat à Gratia, est supernaturalis, tum quoad modum, tum quoad substantiam: & hoc abundè colligitur ex Tridentino sess. 6. can. 3. anathematizante eos, qui dicunt, sine adjutorio Dei hominem posse credere, sperare, & pœnitere, sicut oportet ad Salutem: ut rectè docent Coninck disp. 4. dub. 3. Torres 2. 2. disp. 46. dub. 3., & alii communiter.

VIII. Si homo eliciens actum Fidei imperatum à voluntate sit in peccato mortali, talis actus est meritorius solùm de congruo largè sumpto habitus Fidei, vel ipsius augumenti, & Gratiæ sanctificantis: at, si sit elicitus ab homine existente in Gratia, est meritorius de condigno habitus Fidei, vel augumenti ipsius Gratiæ sanctificantis, & Gloriæ. Patet hoc, quia meritum de congruo consistit dumtaxat in quadam convenientia, & decentia ipsius operis meritorii cum beneficio, quod homo impetrare intendit, quam convenientiam habet quivis peccator faciens ex Gratia Dei actus supernaturales: est enim conveniens, & decens, ut sic operanti conferantur beneficia Gratiæ. Quoniam tamen Deus, qui talia beneficia contulit, nullo modo se obligavit illa conferre homini non habenti Gratiam; fit, ut ille actus non sit meritorius de condigno, & ex Justitia, sed tantùm ex congruitate. E contrariò ad rationem meriti de condigno duo requiruntur: primum est condignitas operis cum prĕmio, scilicèt ut opus factum sit ab homine amico, & Filio Dei adoptivo ob assequendum præmium; secundum est Divina promissio de præmio dando ob tale opus. Quarè quando actus Fidei elicitur ab existente in Gratia, cum hæc duo simul concurrant, est meritorius de condigno.

CAP.

C A P. II.

Quæ nam Myſteria Fidei actualiter, & explicitè credenda ſint de neceſſitate medii.

I. NOtandum eſt, quòd Fides actualis alia eſt explicita, & alia eſt implicita. Fides explicita eſt, qua in particulari credimus aliquam determinatam veritatem: verbi gratia, Deum eſſe unum, & Trinum, Verbum eſſe Incarnatum, & ſimilia. Implicita eſt, qua in univerſali, & in alia veritate, quam explicitè credimus, creditur alia veritas contenta in illa: verbi gratia, qui credit explicitè Eccleſiam, credit etiam implicitè omnia Myſteria, & veritates, quæ tanquàm Deo revelatæ proponuntur ab Eccleſia, &c.

II. Fidem omnium Myſteriorum implicitam eſſe neceſſariam neceſſitate medii, docent omnes Theologi. Omnibus pariter certum eſt, eſſe neceſſariam neceſſitate medii Fidem explicitam Dei exiſtentis, & remuneratoris, ut loco ſuperiùs citato clarè inſinuat Apoſtolus, & firmant Suarez diſp.12. ſect.3. Coninck diſp.25. dub.9. n.147., & Oviedus, controverſia 7. punct.3. n.33., quidquid in contrarium contra communem ſententiam ſuſtinere conetur Arriaga 2. 2. diſp.12. ſect.4. n.17.

III. Dubitari ſolet, an ſit neceſſaria neceſſitate medii Fides explicita Myſteriorum Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis? Reſpondeo certum eſſe, quòd ante promulgationem Evangelii non erat neceſſaria Fides explicita Trinitatis: tale enim Myſterium non fuit clarè revelatum pro illo tempore credendum ab omnibus univerſaliter, quod utique fuiſſet neceſſarium, ſi explicitè debuiſſet ab omnibus credi. Ita Doctores communiter cum

cum D. Thoma 2. 2. quæst.2. art.8. ad 2., cum quo conveniunt illud temporis fuisse Fidem Trinitatis solùm implicitè necessariam: post promulgationem verò Evangelii necessariam esse explicitam Trinitatis Fidem, docent probabiliter plures, quibus assentiuntur Molina Prima Parte quæst.1. art.1. disp.2. Sanchez lib.2. in Decalogum cap.2. num.8. & 10. Bonaccina tom.2. disp.3. quæst.2. punct.2. num.6. Filliucius tom.2. tract.22. cap.1. num.26. Valentia 2. 2. disp.1. quæst.2. punct.5. concl.2.

IV. Sed æquè probabiliter negant alii: ratio ipsorum est, quia id, sine quo haberi potest perfectus amor Dei, & perfecta peccatorum detestatio, atque adeò æterna Salus, non est necessarium necessitate medii; sed, si proponatur Deus unus existens, & Remunerator, summè Bonus, Sapiens, Misericors, & Omnipotens, sufficit ad amandum ipsum super omnia, & ad detestandum quidquid ipsi displicet; ergo Salus æterna obtineri potest credendo hoc præcisè, & non habita Fide explicita Trinitatis. Et profectò id negari nequit, si verum sit, quod Doctores communiter docere dixi nuper, nempè absque explicita Fide Trinitatis homines salvatos esse ante promulgationem Evangelii: sicut enim ex motivo Dei Remuneratoris, summè Boni, Misericordis, Sapientis, &c., elicere tunc poterant actum amoris Dei, & Contritionis perfectæ; cur dubitandum est, etiam nunc elicere posse, atque adeò non esse necessarium necessitate medii credere hoc Mysterium explicitè, sed sufficere illud tantùm implicitè credere? Ita Ripalda disp.17. de Fide, sect.15. num.243. qui plurimos citat, quibus addo Azorium tom.1. lib.8. cap.6. quæst.6. Emmanuelem Sa verbo *Fides*, Castropalaum tom.1. tract.4. disp.1. punct.9. num.7. Cordubam, Henriquez, Sotum, Suarez, & alios plures apud illos.

V. Circa Fidem explicitam Mysterii Incarnationis, quidam putant, post promulgationem Evangelii esse necessariam necessitate medii, & probant ex Athanasii Symbolo, in quo dicitur: *Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem Domini nostri Jesu Christi fideliter*

liter credat. Ita Bonaccina, Filliucius, Pesantius, Molina, Valentia, Trullenck, & alii cum Sanchez in Decalogum lib.2. cap.2. n.7.

VI. Alii putant non esse necessariam necessitate medii ad obtinendam Gratiam, & Justificationem, sed ad obtinendam Gloriam. Ita Canus in Relectione de Sacram. in Genere p.2. concl.1., & Bannes 2. 2. quæst.2. art.8. dub. ultimo apud Sanchez citato lib.2. cap.2. num. 8. Hæc tamen sententia communiter tanquam improbabilis rejicitur, cum implicet requiri majorem Fidem ad obtinendam Gloriam, quam ad obtinendam Gratiam; habens enim Gratiam est Filius Dei adoptivus, ac proindè hæres Gloriæ, ut inquit Apostolus: *Quòd si Filii, & hæredes*.

VII. Communis autem sententia Doctorum est, etiam post promulgationem Evangelii non esse necessariam necessitate medii Fidem explicitam Incarnationis. Ita Arriaga disp.12. sect.2. n.7. Richardus, Vega, Stoz, Henriquez, Medina, Sa, Torres, Coninck, Suarez, & alii, quos citat, sequiturque Castropalaus tom.1. tract.4. disp.1. punct.9. num.7. Ratio est eadem, qua super probatum est non esse necessariam Fidem explicitam Trinitatis, ex eodem enim motivo sufficit implicita Fides Incarnationis.

CAP. III.

Quæ nam Mysteria Fidei necessariò explicitè credenda sint ex Præcepto.

I. RΕspondeo primò, quòd Præcepto Divino obligamur credere omnes articulos in Symbolo Apostolorum contentos. Ratio est, quia Marci ultimo præcepit Christus Apostolis, ut Evangelium prædicarent omni Creaturæ, dicens: *Prædicate Evangelium omni Creaturæ: qui*

qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, &c. Sed summa Evangelii continetur in præfatis articulis; ergo ex Divino Præcepto omnes illos tenemur explicitè credere. Est communis omnium Theologorum sententia, quos pleno calamo citat Leander à SS. Sacramento tr.2. de Fide disp.2. quæst.20., ubi refutat opinionem Vasquez, & Sanchez, qui excipiunt articulum Communionis Sanctorum dicentes, ipsum esse tam difficilem, ut vix eum Docti assequantur: refutat pariter opinionem Granadi, qui putat excipiendum esse articulum Descensionis Jesu Christi ad Inferos, quia censet hunc non esse tanti momenti, ut adsit obligatio gravis illum explicitè credendi.

II. Quoad substantiam igitur septem articulorum, qui ad Divinitatem pertinent, hæc sunt credenda explicitè: Deum esse unum in tribus Personis, quæ sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Deum esse Omnipotentem, Creatorem Cœli, & Terræ, omniumque in ipsis contentorum: Filium Dei factum esse Hominem, & esse simul Deum, & Hominem: esse conceptum non de homine, sed de Spiritu Sancto: Natum ex Maria Virgine, quæ est vera Mater Dei: Passum, & mortuum fuisse propter Salutem nostram: Descendisse secundum animam ad locum inferiorem, ubi detinebantur Animæ Sanctorum Patrum, ut eas indè liberaret, & secum in Paradisum duceret: Tertia die à morte sua ipsum surrexisse immortalem: Ascendisse propria virtute ad Cœlos: Sedere ad dexteram Patris, id est esse æqualem Patri in Gloria: & in die Judicii extremi venturum esse ad judicandos omnes.

III. Quoad alios verò quinque articulos obligamur explicitè credere, Divino Præcepto esse Ecclesiam Sanctam Catholicam, idest universalem: esse Communionem Sanctorum, idest omnes Fideles, cum sint membra viva Corporis Ecclesiæ, participare invicem de bonis operibus, quæ in ipsa Ecclesia fiunt, sicut in corpore humano vivo omnia membra invicem de bonis Corporis naturalibus participant: esse in hac Ecclesia remissionem peccatorum per Baptismum, & Pœnitentiam: & scire substan-

tiam reliquorum Sacramentorum: cum enim omnes Adulti ad aliqua Sacramenta ſuſcipienda teneantur, & hæc illi ritè ſuſcipere nequeant, niſi ea explicitè cognoſcant, & credant, obligantur de his Fidem habere explicitam. Ita Doctores communiter, quibus ſubſcribunt Azorius tom.1. lib.8. cap.6. quæſt.3., & Sanchez lib.2. in Decalogum tom.1. cap.3. num.19., qui rectè docent; ſub hoc articulo remiſſionis peccatorum, quo Deum Salvatorem, & Juſtificatorem, per ſuam Gratiam, ſcilicet remittentem peccata, & nos in amicitiam, ſeu filiationem adoptivam miſericorditer recipientem credimus, includi etiam Sacramenta Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, quæ ſunt vaſa ipſius Gratiæ: undè non video, quo fundamento potuerit dicere contra hanc ſententiam Leander loco citato quæſt.28. ſe probabiliùs cenſere non adeſſe obligationem hæc Sacramenta explicitè credendi: denique obligamur explicitè credere omnes in die Judicii reſurrecturos, & Bonos in Vitam æternam, Malos verò in æternum ignem ituros.

IV. Reſpondeo ſecundò, quòd Lorca 2. 2. diſp. 3. memb.1. num.11., & Sylvius ibi quæſt.2. art.8. concl.8., putarunt teneri Fideles etiam ex Præcepto obligante ſub veniali explicitè credere Myſteria Circumciſionis, Præſentationis in Templo, Pentecoſtes, & alia celebrata per particulares Solemnitates ab Eccleſia: ſed communis Theologorum ſententia, quam ſequitur Leander loco citato quæſt.27., meritò negat, hanc obligationem adeſſe, cum ex nulla Lege, vel Præcepto ea colligatur.

V. Reſpondeo tertiò, quòd omnes tenentur ſub mortali ſcire Præcepta Decaloghi quoad ſubſtantiam. Ratio eſt, quia tenemur illa exequi, quæ in eis præcipiuntur, & ab illis cavere, quæ in eis prohibentur, ut Dei Legiſlatoris voluntati obtemperemus; ſed hoc fieri nequit, niſi ea explicitè Fide Divina credamus, & cognoſcamus; ergo ad hoc obligamur. Ita Suarez diſp.13. de Fide ſect.4. num.11. Fagundez lib.1. in Decalogum cap.2. n.41. Lorca, Caſtropalaus, & alii contra Arriagam, & Leandrum à SS. Sacramento loco citato quæſt.30.: cujus ratio mi-

minimè urget : dum enim dicit, quemlibet Fidelem posse observare hæc Præcepta absque eo, quòd ea credat Fide Divina, confundere videtur observantiam naturalem cum observantia supernaturali, quæ sola conducit ad meritum supernaturale, ad Gratiam, & Gloriam.

VI. Rectè pariter concludit Castropalaus loco citato punct.10. n.8., idem sentiendum esse de Oratione Dominica, quia omnibus est datum Præceptum orandi, seu petendi quoad substantiam ea, quæ in ipsa includuntur. Ita Coninck, Sanchez, & alii ab eodem citati.

VII. Notandum tamen est hìc, quòd non est necesse Symbolum, Præcepta Decalogi, & Orationem Dominicam, eo ordine, quo sunt composita, scire, & memoria retinere : sufficit enim, saltem ad evitandum peccatum grave (multi enim probabiliter docent adesse obligationem sub veniali ea memoriter sciendi etiam secundum ordinem, quo sunt composita, ut videre est apud Leandrum tom.6. tract.2. de Fide disp.2. quæst.48.) sufficit inquam, quòd memoria retineantur quoad substantiam, & illorum sensus intelligatur; quia non adest Præceptum sciendi materialiter ea verba, sed verborum sensum, ac substantiam percipiendi : quinimò Præcepto non satisfaceret qui memoria tantùm ea verba retineret, & illorum sensum, ac substantiam non intelligeret; ut rectè notavit ex Valentia Castropalaus ubi supra num.9.

CAP.

CAP. IV.

Quando nam Fideles talia Myſteria teneantur addiſcere: & quid agendum ſit à Confeſſario cum Pœnitente ignorante Myſteria Fidei.

I. AD primum reſpondeo, quòd tam Infideles, quàm Fideles tenentur addiſcere Myſteria Fidei cum primò ad uſum Rationis pervenere. Ratio eſt, quia Chriſtus Dominus præcepit prædicari Evangelium omni Creaturæ; ergo omnis Creatura capax credendi Evangelium, ut eſt quilibet homo uſum Rationis adeptus, tenetur divino Jure, evangelicam Doctrinam amplecti, & cum hoc fieri nequeat, niſi ſciantur Myſteria Fidei, & Præcepta Decalogi; tenetur quilibet homo hæc addiſcere cum primò ad uſum Rationis pervenerit. Ita Caſtropalaus tom.1. tract.4. de Fide diſp.1. punct.11. n.1., ubi cum communi ſententia Doctorum rectè notat, hujuſmodi obligationem eſſe ſub mortali impoſitam; fieri tamen poſſe, ut omiſſio addiſcendi per accidens ſit aliquando venialis, quando ſcilicet negligentia in illis addiſcendis ſit levis, aut materiæ Parvitas interveniat: verbi gratia, ſi quis ignoret aliquem articulum minoris momenti, qualis eſſet, verbi gratia, deſcenſus Chriſti ad Inferos, vel ſi ignoraret ſignare ſe ſigno Crucis, &c.

II. Ad ſecundum verò reſpondeo, quòd Confeſſarius cum Pœnitente ignorante Myſteria Fidei ita ſe gerere debet: Primò illum interroget, an ea culpabiliter, vel inculpabiliter ignoret: nam ſi culpabiliter ignoret, debet dolere, & ſe accuſare de tali ignorantia, cum ſit peccaminoſa. Si verò inculpabiliter, non eſt neceſſe, quòd de

illa

illa doleat, aut se accuset, cum non sit peccatum: debet tamen in hoc casu habere propositum illam quamprimùm poterit addiscendi.

III. Secundò Confessarius, antequàm eum absolvat, breviter instruat de Mysteriis Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis, & Eucharistiæ, docens esse unum Deum in tribus Personis Patre, Filio, & Spiritu Sancto: & Filium esse Hominem pro nostra Salute factum, passum, mortuum, & sepultum, resurrexisse, & ad Cœlos ascendisse, undè veniet in die Judicii ad judicandos vivos, & mortuos, eumdemque esse realiter in Venerabili Eucharistiæ Sacramento. Ita Bannes. 2. 2. quæst.1. art.8. dub.2. Petrus de Ledesma tom.2. Summæ tract.1. cap.3. post septimam conclusionem, & alii contra Castropalaum, Coninck, & plures alios, quos nullo pacto sequor, qui dicunt id esse convenientissimum (si sermo sit de necessariis necessitate præcepti) non tamen esse necessarium, ita ut Pœnitens non possit licitè absolvi antequàm sic vel à Confessario, vel ab alio sit instructus, dummodò tamen habeat firmum propositum, ea quamprimum addiscendi. Attamen ante Baptismi susceptionem etiam isti Doctores conveniunt, non dandum esse Baptismum petenti, nisi priùs in his fuerit instructus, excepto mortis periculo: ut videre licèt apud eumdem Castropalaum tom.1. tr.4. de Fide disp.1. punct.11. num.7.

CAP. V.

Quo tempore urgeat Præceptum eliciendi actum Fidei.

I. Respondeo, certum esse apud omnes, quòd obligatione indirecta, seu per accidens, tenetur quilibet elicere actum Fidei, quoties obligatur aliquid facere, quod sine tali actu fieri nequit: sic quando tenetur homo eli-

elicere actum Spei, & Charitatis, vel Contritionis, suscipere Sacramenta, orare, Missam audire, aut videt se tentationem contra Fidem superare non posse nisi per actum Fidei; utique tenetur tunc ipsum elicere, non ex vi Præcepti Fidei, sed ex vi præcepto illius rei, quam sine actu Fidei exercere non potest.

II. Directè verò, & per se ex Præcepto Fidei obligantur quidem Infideles ad actum Fidei, statim ac ipsis fuit Fides sufficienter proposita: cum enim graviter peccent tunc non amplectendo Fidem, manifestum est ejusdem actum, credendo, exercere debere. Ita communiter Doctores, quos citat, & sequitur Suarez disp.13. de Fide sect.5. n.6. Azorius tom.1. lib.8. cap.7. quæst.6. Fideles verò tenentur statim ac ad usum Rationis perveniunt. Ita omnes Theologi, asserentes cum D. Thoma 1. 2. quæst.89. art.6. Puerum, cum primùm ad usum Rationis pervenerit, esse obligatum omnia sua in Deum, tanquam auctorem Naturæ referre, quod sine actu Fidei fieri non potest: de qua re videndus Castropalaus tom.1. tract.4. disp.1. de Fide puncto 12. num.5.

III. Directè etiam putant alii, unumquemque Fidelem obligari ad actum Fidei semel in anno. Ratio est, quia, ut Ecclesia declararet tempus, quo Fideles Divino Præcepto tenentur confiteri, & Sacram Communionem recipere, decrevit esse judicandum semel in anno hanc obligationem adesse; sed Præceptum Fidei magis necessarium est, quàm quodvis aliud; ergo & hoc saltem semel in anno obligare debet. Ita Ledesma tom.2. Summæ cap.8. concl.4. Hurtadus in 2. 2. disp.93. §.5., & à fortiori Sotus, qui docet, tale Præceptum obligare omnibus diebus festis, quia cum dies festi instituti sint principaliter ad colendum Deum, & cum Dei cultus præcipuè consistat in actu Fidei, videntur Fideles omnibus prædictis diebus ad talem actum obligari. Consentit Nider, qui in suo Præceptorio, ut refert Arragonius 2. 2. quæst.2. art.6., putat per se obligare tale Præceptum Fidei, quando aliquod Mysterium ab Ecclesia celebratur, ut fit in Annuntiatione B. Mariæ Virginis, in Nativitate,

Re-

Resurrectione, &c. Domini nostri Jesu Christi.

IV. Directè denique obligare Præceptum Fidei in articulo mortis, sicut etiam Præceptum Spei, & Charitatis, communiter docent Doctores: similiter in casu, quo Tyrannus urgeret ad Fidem negandam, & periculum adesset subversionis, nisi actus Fidei eliceretur. Ita Suarez loco citato cum aliis plurimis.

V. Advertendum tamen, quòd circa hanc materiam de obligatione eliciendi actum Fidei quatuor opiniones damnatæ jam fuerunt à S. Sede Apostolica tanquam improbabiles, quia aut hanc obligationem omninò tollebant, aut plùs æquo minuebant: quare ne periculum errandi in hac materia subsit, eas hìc per extensum ob oculos ponendas esse existimo. Summus itaque Pontifex Alexander VII. in suo Decreto edito die 24. Septembris Anni 1665. damnavit hanc Propositionem: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi Præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Et Innocentius XI. in alio Decreto diei 2. Martii anni 1679. has tres Propositiones proscripsit: *Fides non censetur cadere sub Præceptum speciale, & secundum se - Satis est actum Fidei semel in vita elicere - Sufficit Mysteria Trinitatis, & Incarnationis semel credidisse*.

VI. Concludendum igitur est, non sufficere ad implendum Præceptum eliciendi actus Fidei, si isti semel, aut iterum in vita eliciantur, ut enim advertit Doctissimus Cardenas in explicatione 65. Propositionis ab Innocentio XI. damnatæ cap.2., ex vi hujus Præcepti obligantur Fideles *frequenter* hujusmodi actus, præcipuè circa Mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis, elicere: dicente Apostolo ad Rom. 1., & ad Hæbreos 10. *Justus ex Fide vivit*: quod non verificaretur, si semel tantùm, aut iterum Fideles in totius vitæ cursu actus Fidei circa hæc Mysteria tenerentur elicere.

VII. Ne quis autem nimis scrupulosè angatur circà satisfactionem hujus Præcepti, aut istud nimis onerosum putet, rectè monet idem Cardenas loco citato num. 6.

Satis abundè Fideles hujuſmodi Præcepto ſatisfacere: cum enim frequenter Sacrificio Miſſæ aſſiſtant, *frequenter* etiam Chriſtum Dominum Deum pariter, & Hominem credentes adorant: & cum frequenter Signo Crucis ſe muniant, *frequenter* etiam SS. Trinitatis Myſterium, & explicitè credunt, & confitentur: & ſic de aliis noſtræ Fidei Myſteriis, quæ facillimè à Fidelibus in aliis ſacris actionibus, quibus vita Chriſtiana redundat, ut in recitatione Symboli, Orationis Dominicæ, &c., *frequenter*, & explicitè creduntur.

VIII. Quæres hic obiter, an qui ita rudis eſſet, ut ea, quæ in Symbolo continentur, nec valeret intelligere quoad ſenſum, nec memoria retinere, excuſetur ab eis explicitè credendis, & addiſcendis?

Reſpondeo, excuſari ratione impotentiæ, quando ſæpius conatus eſt inſtrui, & nunquam didicit: ad impoſſibile enim nemo obligatur. Ita Suarez diſp.13. ſect.4. num.15. Caſtropalaus diſp.1. punct.10. num.10. de Fide. Valentia 2. 2. diſp.1. quæſt.2. punct.4., & Azorius apud Sanchez lib.2. cap.3. num.18. in Decalogum. Obligantur tamen Parochi hujuſmodi rudes juvare, quantum poſſunt.

CAP. VI.

Utrum Eccleſiaſtici teneantur ad majorem, & magis explicitam cognitionem Myſteriorum Fidei?

I. Reſpondeo: communis, & certa ſententia Theologorum eſt, illos teneri: cum enim ad ipſos ſpectet docere Laicos Fidei Myſteria, utique ad majorem horum notitiam obligantur. D. Thomas 2. 2. quæſt.2. art.6., quem ſequitur Leander de Sanctiſſimo Sacramento loco ſuperiùs citato quæſt.63. & alii communiter.

Pro

II. Pro majori tamen hujus responsionis claritate notandum est, quòd non omnes Ecclesiastici tenentur eodem modo, & æqualiter scire dicta Mysteria. In triplici enim Classe sunt Ecclesiastici : alii quippe sunt simplices Sacerdotes, alii Parochi, & alii Episcopi. Primi tenentur habere majorem notitiam Mysteriorum quam Laici, in eo dumtaxat, quod ad munus suum ritè obeundum pertinet : sic cum Suario Leander tract.2. disp.2. quæst.65.: secundi obligantur ad multò majorem notitiam, scilicet ad tantam, quanta satis sit ad explicanda suis Ovibus Mysteria Fidei ad formam Doctrinæ, quæ traditur in Cathechismo Pii V. in Sanctorum album, singulari Christiani Orbis plausu à Summo Pontifice CLEMENTE XI. fœliciter nunc, & sanctissimè Ecclesiam Dei gubernante, nuper relati ; & ad eas instruendas in Præceptis Decalogi, & in spectantibus ad Sacramentorum dignam susceptionem, simulque ad satisfaciendum difficultatibus communiter occurrentibus, juxta id, quod tradit Tridentinum sess.25. cap.2. de Reformatione : sic docent Coninck disp.14. dub.10. concl.6. Suarez disp.13. sect.6. n.6., & Filliucius tract.22. cap.2. n.35. Episcopi verò præter hæc obligantur defendere Fidei Mysteria, ac objectionibus, & cavillationibus Hæreticorum respondere, secundùm illud Apostoli ad Titum 1. *Oportet Episcopum esse, &c. amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in Doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Et hæc est communis Doctorum sententia teste Sanchez lib.1. in Decalogum cap.3. n.2., & Leandro de SS. Sacramento tom.6. tract.2. disp. 2. quæst.67.

C A P. VII.

An, & quando Confeſſarius teneatur interrogare Pœnitentem de Myſteriis Fidei: & Parochus ſuas Oves docere Doctrinam Chriſtianam?

I. AD primum reſpondeo, tunc solùm teneri Confeſſarium interrogare Pœnitentem de Myſteriis Fidei, quando prudenter præſumere poteſt hæc à tali Pœnitente ignorari, undè non ſunt interrogandi Pœnitentes Nobiles, & benè à pueritia educati, aut ad literarum ſtudia incumbentes, ſicut nec illi, qui ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta ſuſcipienda frequenter accedunt: & ratio eſt, quia hi prudenter in rebus Fidei ſufficienter inſtructi præſumuntur. Ita Doctores communiter, quos ſequuntur Azorius tom.1. lib.8. cap.8. quæſt. finali, Filliucius tract.22. cap.2. quæſt.10. num.55. & 56., & Sanchez lib.2. cap.3. num.21. in Decalogum. Rudiores verò, & Agreſtes, quos probabiliter Confeſſarius credit facilè ignorare poſſe Myſteria Fidei, ab eo ſunt interrogandi. Ita Leander de SS. Sacramento loco citato, quæſt.70.

II. Quòd ſi repererit, eos ignorare non ſolùm quoad verba, ſed etiam quoad ſubſtantiam omnes articulos Symboli, eos breviter in iis inſtruat, & actum Fidei elicere doceat, ac dolentes de culpabili negligentia in addiſcendo abſolvat. Ita cum communi Sanchez tom.1. lib.2. in Decalogum cap.2. num.21. qui addit, in praxi nunquam, vel rariſſimè denegandam eſſe abſolutionem ob ignorantiam Doctrinæ Chriſtianæ, dummodò tamen Myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis non ignorentur, cui ſubſcribunt Fagundez, Trullenck, Filliucius, Coninck, Re-

Remigius, Joannes Sancius, & alii, quos citat, & sequitur Leander de SS. Sacramento loco citato quæst.69., qui sicut in tom.1. tract.5. de Pœnitentia disp.7. quæst.51. dixerat Relapsos semper esse absolvendos, si verè doleant, & habeant propositum emendationis, ita docet faciendum esse cum iis, qui iterum, iterumque se accusant de negligentia in addiscenda Doctrina Christiana: si verò sæpè sæpiùs admoniti nullam diligentiam adhibuerint in ea addiscenda, differenda erit absolutio, donec saltem inceperint ediscere.

III. Ad secundum dubium in titulo hujus capitis propositum respondeo, quòd Parochus tenetur sub mortali suas Oves Doctrinam Christianam docere, hoc enim est unum ex præcipuis oneribus, ad quæ se obligavit, dum officium Parochi suscepit. Ita communiter Doctores, ut videre est apud Remigium in Summa tract.2. cap.1. §.1. Trullenck in Decalogum lib.1. cap.1. dub.4. num.7. Ledesmam tom.2. Summæ tract.1. cap.3. concl.7. Dominicum, & Petrum Sotum, illum lib.10. de Justitia, & Jure quæst.1. art.3., istum in suo aureo Opusculo de Institutionibus Parochorum Lectione 6. de Officio Pastorum Pag. mihi 448. Filliucium, Sanchez, Navarrum, & alios.

IV. Imò hanc obligationem adeò strictam putavit Nicolaus Stetonius in Libro, quem inscripsit: *Hoc age Parochorum*, ut probare conatus sit teneri Parochum adire Domos Parochianorum, & docere singulos. Nihilominùs certum est, quod communiter omnes Theologi docent, sufficere, si Parochus doceat suos Parochianos in communi, & in propria Ecclesia, vel per se, vel per alium, Doctrinam Christianam. Ita Leander à SS. Sacramento, qui loco citato quæst.73. plurimos citat.

CAP.

C A P. VIII.

An, & quando Fideles interrogati de ſua Fide teneantur eam exteriùs confiteri?

I. UT in hac quæſtione certa ab incertis ſeparentur, primò ea adnotabimus, quæ communiter Doctores admittunt, poſtea verò ea recenſebimus, quæ in controverſiam ab Authoribus revocantur. Certum igitur eſt, primò ſemper, & ad ſemper obligare Præceptum negativum de non neganda Fide: Chriſtus enim Matthæi 10. ait: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*. Quarè graviſſimè peccaret, qui Fidem Corde retinens eam dumtaxat ſignis externis negaret. Sic omnes Catholici ſentiunt ex Concilio Niceno Can.11. & 12. Arelatenſi 2. cap.11., & Anciranо ferè per totum, & fusè tradidit D. Auguſtinus tract.66. in Joannem, ut notant Suarez de Fide diſp.14. ſect.1. Sanchez lib.2. in Decalogum cap.4. & alii. Et oppoſitum dicere eſt error Annabatiſtarum, Libertinorum, aliorumque noſtri temporis Hæreticorum, qui volunt non eſſe peccaminoſum, Fidem exteriùs negare, dummodò tamen interiùs retineatur.

II. Certum eſt ſecundò, aliud eſſe negare Fidem, dicendo poſitivè ſe non eſſe Catholicum, aliud verò tacere, & ſic Fidem exteriùs non demonſtrare. His poſitis.

III. Dico, quòd quando Fidelis interrogatur de ſua Fide à Perſona privata, vel etiam à Perſona publica, ſed auctoritate privata, non obligatur ipſi reſpondere, ſed poteſt licitè tacere, & fugere: dummodò taciturnitas, aut fuga non ſit ſignum negatæ Fidei. Ratio eſt, quia ſic tacendo, vel fugiendo, nihil facit contrà Præceptum

ceptum Fidei, quam interiùs confitetur, & exteriùs non negat. Ita communiter Doctores, quibus subscribunt Azorius tom.1. lib.8. cap.27. Sanchez lib.2. in Decalogum cap.4. num.6. Valentia 2. 2. disp.1. quæst.3. punct.2. dub.3. Bannes 2.2. quæst.3. art.2. dub.2. concl.3. Tabiena verbo *Fides* quæst. ult. Filliucius tract.22. cap.3. quæst.2. num.64. Bonaccina tom.2. disp.3. quæst.2. num.3. & 4. de Fide, contrà Cajetanum, Angelum, Abulensem, & alios.

IV. Si vero Fidelis interrogetur à Persona publica, verbi gratia, à Tyranno auctoritate publica fungente, tunc obligatur respondere, quia alioquin periclitaretur honor Fidei, cui consulere omninò tenemur etiam profudendo sanguinem. Ita Leander de SS. Sacramento tract.2. de Fide disp.3. quæst.9., qui quamvis quæst. 13. & 14., firmet cum communi sententia licere Christiano fugere Persecutorem juxta Christi verba Matthæi 10. dicentis: *Cum autem persequentur vos in una Civitate, fugite in aliam*. Imò in pluribus casibus eum obligari fugere, ut quando ejus vita esset valdè necessaria Bono Ecclesiæ; quando timeret, ne pressus vi tormentorum, periclitaretur Fidem negare; quando prudenter crederet, quòd se conservando multò meliùs se promoturum esse Fidem, aut quando prudenter timeret, ne morte sua graviùs desæviret Tyrannus in reliquos Christianos: si tamen cognoscat ex fuga sua grave scandalum oriturum inter Fideles, vel morte sua reliquos animandos ad constantiam in Fide, tunc statuit teneri non fugere. Ita loco citato quæst.16.

V. Quæres, an neget Fidem ille, qui interrogatus, an sit Turcha, Lutheranus, vel Calvinianus, respondet se esse? Ad hoc dubium respondeo, quòd si talis interrogatio tendat ad explorandam Fidem, tunc ea responsio est negatio Fidei, quia sic respondens affirmat se profiteri Religionem Mahumetanam, Lutheranam, aut Calvinianam, quæ veræ Fidei opponuntur: si verò hæc interrogatio tendat ad explorandam Nationem, verbi gratia, ut agnoscatur, an sit Asiaticus, Anglus, vel Hollandus;
tunc

tunc non eſt negatio Fidei, ſi dicat ſe eſſe Aſiaticum, Anglum, vel Hollandum. Ita Eminentiſſimus Cajetanus 2. 2. quæſt.3. art.2. dub.1., aliique relati à Leandro loco citato quæſt.21., ubi rectè monet non negare Fidem, nec contra Fidem peccare eum, qui apud Hæreticos interrogatus, an ſit Clericus, Sacerdos, vel Religioſus, reſpondet ſe talem non eſſe: hic enim negat ſtatum, non verò Religionem, cum plurimi ſint Catholici, qui nec Clerici, nec Sacerdotes, nec Religioſi ſunt.

VI. Quod diximus non licere verbis Fidem negare, valet etiam de factis, & rebus: verbi gratia, induendo veſtem proteſtativam falſæ Religionis, vel exercendo ſimulatè aliquam actionem cultus ejuſdem; dummodo tamen hæc ſeriò, & ex animò fiant: ſi enim hæc fierent ex animi levitate in Comediis, & jocis, non eſſent contra Fidem, ut docent Azorius lib.8. cap.27. quæſt.6. Suarez diſp.14. ſect.5., & alii communiter.

C A P. IX.

An liceat Fidelibus Templa Hæreticorum, & Synagogas Judæorum adire, iſtorumque Azymis veſci, eiſque famulatum præſtare.

I. QUod attinet ad primum dubium, an ſcilicet Chriſtianis licitum ſit Hæreticorum Templa, & Judæorum Synagogas adire? Reſpondeo, quòd ſi ſola curioſitatis cauſa hoc faciant, & abſit periculum ſubverſionis, vel ſcandali, non peccant mortaliter. Ratio eſt, quia res de ſe non eſt intrinſecè mala, ut omnes Theologi docent; ergo cum, ſecluſo ſcandalo, & perverſionis periculo, neque ſit mala extrinſecè ſaltem mortaliter

liter (non enim apparet ex quo alio capite possit esse lethaliter mala) non est, cur dicere debeamus, esse mortaliter illicitam. Ita Gaspar Hurtadus disp.9. difficult.10., Stephanus Fagundez lib.1. cap.6. n.10. in Decalogum, Acacius de Velasco tom.1. resol.332. num.1. Martinus Becanus cap.9. quæst.5. dub.3. num.16., & Rodericus Arriaga 2. 2. disp.22. sect.7. num.51., qui adeò id verum putant, ut etiam ad audiendas Hæreticorum conciones id extendant. Undè non sunt in hoc audiendi Leander de SS. Sacramento, & quidam alii ab ipso citati tract.2. de Fide disp.3. quæst. 42., qui putant semper esse mortale Catholicis Hæreticorum templa ingredi, ibique eorum conciones audire.

II. Quod verò ad secundum dubium in titulo hujus capitis propositum pertinet, an scilicet liceat Christianis Hebræorum Azymis vesci, respondeo, hoc graviter esse illicitum, si illis Christiani, Ritu Judaico, id est tanquam ceremonia Legis veteris observanda vescantur. Ita cum omnium sententia Suarez disp.18. num.71., & in hoc sensu intelligenda sunt verba in Capite *Nullus* 28. quæst.1., ubi sic habetur: *Nullus eorum, qui in Sacro sunt Ordine constituti, aut Laicus Azyma Judæorum manducet, aut cum eis habitet, aut aliquem eorum in infirmitatibus suis vocet, aut medicinam ab eis percipiat, aut cum eis in Balneo se lavet. Si verò quisquam id fecerit, si Clericus deponatur, si Laicus excommunicetur.* Vesci verò Azymis non in observantiam Legis Mosaycæ, sed tanquam pane, nullum est peccatum. Ita Gaspar Hurtadus disp.10. difficult.7. apud Leandrum disp.4. de Fide quæst.26.

III. Habitare similiter in eadem Domo, aut se lavare in eodem Balneo illicitum est, quando aliquod imminet perversionis, aut scandali periculum; ut expressè docet Leander loco citato disp.4. quæst.25. dub.1.; si verò tale periculum absit, licitum erit, ut colligitur ex Cap. *Ad hæc* de Judæis, ubi prohibetur ea cohabitatio, quæ continet diuturnam animi subjectionem in famulatu Judæi, non verò alia.

IV. Undè patet homini Christiano esse omninò illicitum servire Judæo, habitando in Domo ipsius Judæi, licere tamen servire cohabitando extra Domum ipsius: sic sentiunt cum communi Hostiensis in dicto Cap. *Ad hæc*, & ibi Joannes Andræas, Ægidius disp.18. dub.11. n.171. Bonaccina disp.3. quæst.2. punct.5. in primum Decalogi Præceptum, & Filliucius tract.22. cap.5. quæst.2. n.130., & ita patet responsio ad tertium dubium in titulo hujus Capitis propositum.

V. Hinc infertur, posse quidem Fœminam Christianam adire Domos Judæorum ad ipsorum Infantes lactandos, non verò, in ipsis Domibus Judæorum inhabitando, eos nutrire. Imò nec posse Episcopum in hoc dispensare, cum inferior non habeat facultatem dispensandi in Lege Superioris: Hæc autem Lex est Summorum Pontificum Alexandri III. in dicto Cap. *Ad hæc* de Judæis, & Innocentii III. in Capite *Et si Judæos* eodem titulo, qui Pontifex in Capite *Cum sit nimis* de Judæis præcepit etiam sub gravibus pœnis, ne Judæi publicis officiis præficiantur, cum cædat in nostræ Fidei ignominiam, si Fidelis ab Infideli gubernetur.

CAP. X.

An Laicis licita sit disputatio de rebus Fidei cum Hæreticis?

I. Respondeo, quòd regulariter loquendo, illicitum est Laicis disputare cum Hæreticis de rebus Fidei. Patet hoc ex Capite Quicumque, §. *Inhibemus* de Hæreticis in 6., ubi sic habetur: *Inhibemus quoque, ne cuiquam Laicæ Personæ liceat publicè, vel privatim disputare de Fide Catholica; quæ verò hoc fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Ubi manifestum est, talem excommuni-

ca-

cationem, cum exprimatur per modum imperativum, non esse latæ, sed ferendæ sententiæ.

II. Dixi regulariter loquendo, quia probabile est, hanc prohibitionem non afficere Laicos doctos, quia respectu istorum cessat finis prohibitionis, qui est defectus scientiæ, & ob hunc defectum periculum subversionis, quod communiter in Laicis indoctis adesse solet. Ita Cajetanus 2. 2. quæst.10. art.7. dub.1., & ibi etiam Bannes, Petrus Ledesma in Summa tom.2. tract.1. cap.5. concl.13. Granadus tract.15. disp.9. num.5. & 6. Reginaldus lib.17. num.22. Petrus Hurtadus disp.75. sect.3. §.24. Acacius de Velasco resol.333. num.1., & alii contra Leandrum de SS. Sacramento, qui loco citato disp.4. de Fide quæst.7. oppositum docet cum Navarro, Suarez, Valentia, Arragonio, Becano, Gasparo Hurtado, Thoma Sanchez, & aliis.

CAP. XI.

De peculiari Fidei Præcepto adorandi, & colendi Deum.

I. PRæcipuum Fidei Præceptum est, quòd Deum tanquam supremum rerum omnium Dominum colamus, & adoremus ea adoratione, quæ est actus virtutis Religionis: pro quo notandum est, quòd Religio est virtus moralis exhibens Deo cultum debitum: & hæc est prima inter Virtutes Morales, quia propiùs accedit ad Virtutes Theologicas: non est tamen Virtus Theologica, quia non habet pro objecto immediatè Deum, sed cultum Deo debitum.

Religionis actus sunt, Adoratio, Sacrificium, Oratio, Juramentum, Votum, & Adjuratio.

II. Triplex est Adoratio, nempè Latriæ, quæ est in Deum propter ejus excellentiam: Duliæ, quæ est in Sanctos propter creatam excellentiam omnibus ipsis communem: Hyperduliæ, quæ est in Beatam Virginem propter creatam excellentiam singularem ipsius.

III. Omnis Adoratio est vel absoluta, vel respectiva: dicitur absoluta, cum adorantur Deus, B. Virgo, & Sancti in se ipsis: dicitur verò respectiva, cum adorantur in aliquo ad ipsos pertinente, ut cum adoratur Crux, Reliquiæ Sanctorum, Imagines Sacræ, & similia, quæ Ratione carent, in quibus non sistit Adoratio, sed refertur ad Prototypum.

IV. Cultus igitur Latriæ est, supernaturalis excellentiæ increatæ, & singularis, testimonium cum profunda submissione exhibitum: submissio enim per hunc cultum est humilior, quàm submissio per cultum Duliæ, aut Hyperduliæ.

V. Non peccat, qui Cultum civilem alicui propter naturalem ejus excellentiam exhibet. Est cultus civilis testimonium naturalis excellentiæ alienæ cum propria naturali submissione ad ipsam; ut cum quis hoc pacto se submittit alicui propter ejus dignitatem, potestatem, sapientiam, & similes prærogativas naturales.

VI. Peccant verò contrà Fidem primò illi, qui Idololatriam, Judaismum, aut Apostasiam à Fide amplectuntur.

VII. Secundò, qui Hæreticorum erroribus pertinaciter adhærent, aut Hæreticos in causa Hæresis favent, aut eorum libros legunt, aut cum illis de Fide temere disputant.

VIII. Tertiò, qui de veritate alicujus articuli Fidei dubitant, vel Symbolum Fidei, Orationem Dominicam, Decalogum, & Sacramenta culpabiliter ignorant.

IX. Quartò, qui de Misericordia, & Gratia Dei præsumunt, vel qui de Misericordia, & Gratia desperant, aut qui Deum odio habent, vel de ejus Providentia obmurmurant, vel ejus obsequium animo deliberato fastidiunt.

Quin-

X. Quintò, qui Creaturæ cultum Deo debitum impendunt, aut Deum superstitioso ritu colunt, vel Dæmonem invocant, aut tacitum, aut expressum pactum cum eo ineunt.

XI. Sextò, qui per somnia, præstigia, & Necromantiam thesauros, vel rerum futurarum, aut occultarum cognitionem inquirunt: nec non, qui Magos de similibus consulunt, vel per aves, & alia superstitiosa, veritatem alicujus rei investigare contendunt.

XII. Septimò, qui Sanctorum Reliquias, Eucharistiam, Imagines Sacras, & alia hujusmodi superstitiosè tractant, vel quasdam Orationes, aut jejunia tanquam media infallibilia ad aliquod obtinendum adhibent: sicuti etiam, qui peculiaria signa, caracteres, verba futilia ad sanitatem recuperandam, vel ad aliquod malum præcavendum exhibent.

XIII. Octavò, qui Maleficiis amatoriis, aut Veneficiis utuntur, vel quibusdam ligaturis Matrimonii usum impediunt.

XIV. Nonò, qui Deum tentant, volendo, & expectando miraculosè ab illo, sine ratione, & necessitate aliquem effectum.

XV. Decimò denique, qui Sacramenta indignè suscipiunt, vel ministrant, vasa Sacra, ac res Sacras ad profanos usus adhibent, Sacras Imagines contumeliosè tractant & verba Sacræ Scripturæ ad ridiculas, superstitiosas, & falsas significationes invertunt.

CAP.

CAP. XII.

De Superstitione, ejusque speciebus, Idololatria scilicet, Magia, Divinatione, Vana Observantia, & Maleficio.

I. Superstitio est cultus vitiosus veri, vel falsi Numinis. Vitiosè colitur verum Numen, cum modo indebito adoratur, ut si quis Judaicis Cæremoniis Deum veneraretur; si Missam celebraret, qui non est Sacerdos. Quòd si colatur verus Deus cultu superfluo, verbi gratia, si quis usurparet res, aut circumstantias inutiles, & ab Ecclesiæ more alienas; si Missam celebrare nollet minùs quàm quinque Candelis ardentibus; si velit in Oratione oculos in Cœlum semper esse elevatos, & similia; tunc, præciso contemptu, & scandalo, erit solùm culpa venialis, ut docet Polanus in Breviaro Theologico par.2. num.942.

II. Hinc fit, eos falso cultu verum Deum colere, qui propria auctoritate proponunt aliqua tanquam Ecclesiæ Præcepta, cum verè non sint: qui falsas Reliquias adorandas exhibent, aut loco Hostiæ consecratæ exponunt non consecratam: qui falsa miracula prædicant: qui ad augendam in aliis devotionem fictas revelationes enarrant, aut in Sacra Scriptura aliquam confictam historiam reperiri affirmant: in his enim, & similibus casibus mortaliter peccatur, nisi ignorantia, simplicitas, aut inadvertentia excuset: ut cum Lessjo, Layman, Navarro, & Bonaccina firmat Bussembaum lib.3. tract.1. cap.1. dub.1. resp.2. num.1.

III. Illi verò cultu superfluo peccant, sed, ut dixi, ferè sem-

semper venialiter, qui ad obtinendam aliquam Gratiam, putant audiendam esse Missam ante Solis ortum, aut eam celebrandam esse à Sacerdote, qui vocetur, verbi gratia, Joannes, vel qui habeat ætatem, quam habuit Christus, quando pro nobis mortuus fuit; aut esse jejunandum diebus Dominicis ad præsciendam mortis horam, & similia.

IV. Ea verò Superstitio, qua cultus indebitus Creaturæ tribuitur, includit sub se quinque species, nempè Idololatriam, Magiam, Divinationem, vanam Observantiam, & Maleficium.

V. Idololatria est, cum Divinus Cultus tribuitur Creaturæ tanquam Deo. Hæc, ut rectè observat Toletus lib.4. cap.14. num.*6.*, non modo Religioni, sed etiam Fidei opponitur: sicut enim veram adorationem in intellectu Fides præcipit, qua veri Dei excellentiam credimus, cui nos ipsos subjicimus; sic adoratio falsa, qualis est Idololatria, supponit errorem in intellectu, quo judicamus Creaturam esse honore Divino dignam.

VI. Idololatria in homine baptizato, si sit solùm interior, gravissimum quidem peccatum est, sed non habet annexam Excommunicationem Bullæ Cœnæ; si verò sit & interior, & exterior, idest externè aliquo modo manifestata, est peccatum, cujus absolutio Summo Pontifici reservatur.

VII. Magia alia est Naturalis, alia Dæmoniaca. Naturalis est, quæ per occultas rerum naturalium virtutes, aliquem effectum insolitum, & mirum efficit, & hæc est licita. Dæmoniaca est quædam potestas inordinata, homini per Dæmonem collata, qua ex pacto cum ipso Dæmone inito, mediis pravis, & superstitiosis fit aliquid, quod est supra vires naturales hominis, licèt non superet vires naturales Dæmonis. Pactum illud, vel fit expressè cum Dæmone visibiliter apparente, aliquando cum Agno vice Dæmonis fungente, & aliquando fit tacitè per Dæmonis invocationem; quæ invocatio non solùm fit per verba invocatoria Dæmonis, sed etiam quoties homo aliquid intentat facere per ea, quæ neque ex se, neque ex aliqua supernaturali Divina virtute talem effectum produ-

ducere valent: verbi gratia, cum quis Verba, vel Characteres quosdam ad morbos depellendos adhibet.

VIII. Ad dignoscendum, an hæc tacita Dæmonis invocatio in aliquo casu interveniat, traditur communiter à Doctoribus hæc regula: quando assumuntur verba non significativa; quando adhibentur figuræ inutiles; quando quis utitur falsitate, verbi gratia, dicendo, quòd Christus Dominus febre laboravit; quando vanæ conditiones apponuntur; quando promittitur infallibiliter effectus supra vires mediorum; in his, & similibus casibus, pactum Dæmoniacum intervenit saltem tacitum. Ita doctissimus Tamburinus lib. 2. in Decalogum cap. 6. num. 25., ubi etiam num. 27., rectè docet esse superstitiosa, & includere pactum tacitum cum Dæmone, observare quosdam dies ut faustos, quosdam ut infaustos: verbi gratia, non esse incipiendum quidquam in die Veneris; non esse nendum à Puella die Sabbathi, alioquin erit infortunata; aquam benedictam habere majorem vim una die, quàm alia; sicuti etiam certis diebus olera scopis tangere, ne à vermibus lædantur; ova exclusa die Parasceves habere vim extinguendi incendium; preces quasdam recitari à Muliercula nocte S. Joannis Baptistæ, & primum nomen, quod audierit, esse nomen futuri Sponsi sui; si recitentur, scribantur, aut scriptæ gestentur aliquæ determinatæ Orationes Sacræ, eas infallibiliter à morte violenta, aut ab aliis malis liberare; Gallinam cantantem more Galli esse occidendam ad avertendum infortunium, quod portendit; die S. Antonii novies circumducere per ejus templum jumenta, quia sic non infirmabuntur, & his similia.

IX. Denique sciendum est, quòd ad excusandum à peccato superstitionis in his, & similibus casibus, non sufficit talia facere cum protestatione nolendi talem effectum à Dæmone expectare, aut aliquod pactum cum ipso habere: id enim esset renuntiare verbis pacto Dæmoniaco, ipsumque factis approbare: Tamburinus cum aliis, loco supracitato num. 29., qui num. 49. rectè notat, quòd licèt de se non possit dari materiæ parvitas in Superstitio-

tionibus ex Sanchez lib.2. in Decalogum cap.40. n.13. (quamvis Valentia 2. 2. disp.6. quæst.13. punct.3., & de la Torre, illam admittant) attamen quando aliquis actus levis superstitiosus fit semel, aut iterum ex curiositate, vel joco, aut ex quadam animi levitate, & non expectando infallibiliter effectum, non erit peccatum mortale; cum in hoc casu exiguum periculum deceptionis adsit, & ex alia parte in his circumstantiis non videatur actus in genere Superstitionis completus, cum non expectetur infallibiliter effectus.

X. Divinatio est notitiæ Divinæ usurpatio ope Dæmonis ad hoc invocati: dicitur *Divinæ notitiæ*, quia adhibetur ad cognoscenda futura contingentia, & humani Cordis secreta, quorum notitia ad solum Deum pertinet.

XI. Duplex est Divinatio: alia per pactum expressum cum Dæmone, & Necromantia dicitur, quæ importat quodammodò Apostasiam à Fide, ac Superstitionem, & ideo debet specialiter exprimi in Confessione. Alia per pactum tacitum, seu interpretativum, ut cum ex lineamentis corporis, ex garritu avium, & similibus quæritur certa cognitio eorum, quæ sciri naturaliter non possunt. Prima semper est mortalis, secunda sæpè à mortali excusatur, nempe vel ratione ignorantiæ, non tamen crassæ, aut affectatæ; vel quia certa fides non adhibetur, sed mera quædam suspicio futuri eventus concipitur: Layman lib.4. tract.10. cap.3. n.6., & alii plures ab eo citati.

XII. Ex dictis sequitur, peccari mortaliter, cum adhibentur aliqua naturaliter ita ad aliquem effectum improportionata, ut clarè constet, non nisi Dæmone se intermiscente, fieri posse: sic peccat graviter, qui ex Astris, Somniis, & similibus ita pendet, ut certò illis credens omnes ferè vitæ suæ actiones ex illis regulet: Bussembaum lib.1. tract.3. cap.1. dub.2. num.5. Suarez, Sanchez, & Lessius ab eo citati.

XIII. E' contra non peccant graviter primò, qui ex Somniis, Astris, &c. levi quodam timore correpti, aliquid omittunt, quod alioquin facere non tenentur, ut non discumbendo, si tredecim sint Convivæ, non inci-

piendo iter die Veneris, cavendo ſibi à re, quam ſibi in Somniis fore noxiam præſenſerunt, &c. Secundò, ſi joci gratia Ægyptias, vulgò *Zingane* audiant; ſi taxillos ad divinandum quidpiam per ludum jaciant; ſi ſortes diviſorias mittant ad videndum quænam pars hæreditatis, vel alterius rei ſingularis obtigerit, &c.

XIV. In electionibus tamen Eccleſiaſticis, & in Sæcularibus Officiis Reipublicæ Bonum conſervantibus, eſt mortale peccatum per ſortes procedere : ea enim ſunt conferenda ſecundum Perſonarum merita, & idoneitatem, non autem fortuitò, niſi tamen plures Perſonæ eſſent æquè idoneæ, ac dignæ, tunc enim ſorte eligere liceret : Leſſius cap.43. Undè ſortes diviſorias eſſe licitas rectè ait Toletus lib.4. cap.15. num.9., dummodò tamen tres conditiones ſerventur. Prima, ut nihil in illis fiat contra Juſtitiam : Secunda, ut nihil fiat contra Bonum publicum : Tertia, ut non fiant in Beneficiis, & Dignitatibus Eccleſiaſticis.

XV. Sortes pariter Conſultoriæ licitè mittuntur ad conſulendum Deum, ſi tria interveniant. Primum, ut non ex curioſitate, ſed ex gravi neceſſitate mittantur. Sic D. Auguſtinus Epiſtola 180. ad Honoratum ait : *Si inter Dei Miniſtros ſit diſceptatio, qui eorum perſecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deſeratur Eccleſia; ſi hæc diſceptatio aliter non potuerit terminari, quantùm mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant ſorte legendi ſunt*. Simile habet cap.28. de Doctrina Chriſtiana. Secundum, ut id fiat cum reverentia : undè Apoſtoli, mittentes ſortem in electione S. Matthiæ, collegerunt certum numerum Fidelium, qui precibus Divinum implorarent auxilium, ut obſervat Beda ſuper caput primum Actorum. Tertium denique, ut verba Sacræ Scripturæ, quæ in talibus ſortibus fortè adhibeantur, ad negotia terrena non convertantur, ut docet D. Auguſtinus Epiſtola 119. ad Januarium.

XVI. Quæres hic obiter, quid ſit tentatio Dei? Reſpondeo : eſt dictum, vel factum ad capiendum de Deo

ex-

experimentum per extraordinarium effectum; & hæc dupliciter fieri potest: primò expressè, ut quando fit aliquid ea directa intentione, ut quis experiatur, an Deus sciat, vel aliquid facere possit: secundò, tacitè, quando scilicet homo, licèt non habeat directam intentionem tentandi Deum, facit tamen aliquid, quod consequenter tendit ad tentandum Deum: ut cum quis vult experiri innocentiam alicujus, cogendo illum ambulare super carbones, vel super aquas. Hæc tentatio sine rationabili causa, & necessitate, est peccatum mortale: si verò justa causa subsit, ut particularis instinctus Divinus, Divina promissio, Donum Miraculorum, necessitas honoris Dei, Defensio Religionis, & similia, quæ hic, & nunc exigerent à Deo effectum extraordinarium; tunc non tentaret Deum, qui ipsum rogaret, vel ab eo expectaret talem effectum, ut docent omnes cum D. Thoma 2. 2. quæst.97. art.1. & sequenti.

XVII. Maleficium denique est invocatio Dæmonis ad patrationem novi, & miri operis. Aliud est amatorium, quo Malefici utuntur ad flectendos animos ad amorem: aliud est veneficum, ad mortem, vel alia mala inferenda.

XVIII. Ad hoc reducuntur scelera Maleficarum, seu Sagarum, & Lamiarum, quæ potissimùm duò quærunt, nempe turpe cum Dæmone commercium, & damnum alienum.

XIX. Quoad Maleficium amatorium sciendum est, posse quidem Dæmonem allicere phantasiam, & imaginationem immutare, exhibere rem amabiliorem, quàm sit, inflammare partem sensitivam, &c., non tamen posse vim, & necessitatem voluntati inferre, atque adeò semper poterit homo, si velit, cum Divinæ Gratiæ adjutorio omnes Dæmonis illecebras abjicere.

XX. Si Maleficus ad confitendum accedat, hæc ab illo sunt à Confessario inquirenda: Primò, an pactum expressum, vel tacitum cum Dæmone inierit, & quid illi promiserit: Secundò, an Christi Fidem ejuraverit, aut aliquid contrà Fidem crediderit: Tertiò, an Dæmoni orationes, adorationes, & similia detulerit: Quartò, an re-

 bus

bus Sacris ad Maleficium patrandum abusus fuerit: Quintò, an grave damnum Proximo intulerit: Sextò, an ad dissolvendum Maleficium alio Maleficio usus fuerit.

XXI. Atque hìc notandum, quòd cum sit intrinsecè malum uti Maleficio, illicitum etiam erit à Malefico parato acceptare, ut Maleficium Maleficio solvat: undè solùm licitum est petere ab illo, ut Maleficium dissolvat, tollendo signum Maleficii, non tamen aliud Maleficium apponendo: Tamburinus loco citato §.2. n.5. Si verò sciam posse Maleficum dissolvere Maleficium absque novo Maleficio, tunc possum petere ab eo, ut illud solvat licèt sciam ipsum esse soluturum cum Maleficio: quia, quando urget gravis necessitas, peti potest ab aliquo id, quod ipse licitè facere potest, si velit, quamvis certus sit petens, quòd alter per medium illicitum operabitur. Sic si me urgeat necessitas, possum petere mutuum ab Usurario, quamvis certò sciam ipsum petiturum usuras, quia si facit cum peccato id, quod sine peccato facere potest, sibi imputet. Ita cum communi Doctorum sententia Sanchez lib.2. in Decalogum cap.41. num.13., & Tamburinus loco citato num.7. Ea porrò scientia sufficit, ut sit moralis, idest sciam probabiliter, illum posse modò licito Maleficium dissolvere.

XXII. Neque obstat, quòd qui petit à Malefico, ut solvat, videatur consulere Maleficium, quod per se malum, atque illicitum est; non obstat inquam, quia non consulitur Maleficus ut talis, sed ut sciens bonis artibus dissolvere Maleficium, & sic nihil fit illicitum.

XXIII. Nec est illicitum tollere signum Maleficii: verbi gratia, si Venefica te percutiat, tu Morbo inficieris, & paulatim tabesces; at si illam tu repercutias, impedietur Morbus, tunc potes eam licitè repercutere, quia illa repercussione tollitur signum Maleficii, & consequenter Maleficium dissolvitur: Sanchez lib.2. Summæ Moralis cap.41., Delrius, Suarez, Lessius, & alii apud ipsum.

XXIV. Si cum Maleficio, Divinatione, Superstitione, &c. conjuncta fuit Hæresis formalis, nempe externa simul, & interna, est Casus Summo Pontifici reservatus;

si verò

si verò cum adoratione Dæmonis, cum pacto, commercio, superstitione, &c. non fuerit conjuncta Hæresis prædicta, absolvi poterit à quovis ordinario Confessore, nisi tamen in aliqua Diœcesi adsit hujus Casus reservatio.

CAP. XIII.

Varii Casus, in quibus dubium est, an reperiantur Superstitiones, resolvuntur.

I. Quæres primò, an interveniat Superstitio in his casibus. Primò, Morbo caduco aliqui medentur obmurmurando in auribus ejus, qui cecidit, hæc verba: *Creatura Dei, memento Creatoris tui*. Secundò Canes latrantes quidam compescunt, & quasi mutos reddunt dicendo: *In camo & fræno maxillas eorum constringe*. Tertiò sanguinem è naribus profluentem cohibent his verbis: *Libera me de sanguinibus*. Quartò, aliqui putant, quòd qui die festo S. Stephani Protomartyris pane, & aqua jejunant, & ritè confessi Sacram Communionem recipiunt, non morientur ab aliis occisi, licèt multis ictibus vulnerentur.

II. Respondeo, quòd si hæc, & similia fiant cum sola spe obtinendi à Deo effectum, non sunt peccaminosa, nec superstitiosa; si verò fiant cum credulitate infallibilis eventus, erunt peccata Superstitionis: quia, cum præter Sacramenta, & Sacramentalia, nullum ex sacris verbis, aut rebus habeat infallibilem effectum, si quis hunc infallibiliter expectet, non nisi à Dæmone expectare potest, & consequenter Superstitionis peccatum committet. Ita Tamburinus loco citato num. 45.

III. Pari ratione differendum est de illis, qui rebus naturalibus adjungunt suas preces, si enim à rebus naturali-

ralibus expectent, ut à propriis causis etiam effectum infallibiliter, preces verò adhibeant solùm ex spe, ut coadiuvent virtutem naturalem; nulla erit Superstitio: si verò à precibus illis expectaretur infallibiliter effectus, tunc esset Superstitio.

IV. Quæres secundò, quid sentiendum sit de his aliis actionibus, an scilicet in illis Superstitio aliqua reperiatur? Primò, Morbum Ictericium aliqui sic sanant. Accipiunt filum conquisitum à telarum Textricibus, quod italicè appellatur *Liccio*, quo filo ægri staturam, ejusque brachia extenta ter metiuntur, mox complicant filum, & sic complicatum vulgari forfice super Caput, humeros, & pectus Infirmi secant, idem ter repetentes singulis diebus, usque per tres dies. Alii eidem morbo medentur jubendo, ut Æger mingat in vas, in cujus fundo sit herba Marrobium. Secundò vulnera sanant quidam pulvere Sympathico, vel unguento armario, sic dicto, quia applicando tale ungentum armis, sanguine vulnerati cruentatis, aut panno eodem sanguine maculato, sanitatem Infirmo reddunt. Tertiò filum Cannabis, quod Puella virgo nevit, applicant quidam Infirmis tumore gutturis laborantibus, eosque sic sanant. Quartò denique Resipillas curant nonnulli atramentum circumfundendo, alii argento inflammationi super posito.

V. Respondeo ad primum de remedio Icteritiæ per filum, esse superstitiosum, quia, ut monet Tamburinus lib.2. cap.5. num.73. omnia in eo vana apparent, & ad illum effectum producendum improportionata.

VI. Ad secundum de pulvere Sympathico, & unguento armario, Respondeo, quòd cum in ejus factione nonnulla misceantur, quæ sympathiam habere creduntur cum sanguine, & carne Ægroti, & nihil nisi naturale applicetur, ejus virtutem esse naturalem probabiliter aliqui existimant, licèt non desint, qui oppositum verius judicent.

VII. Ad tertium de filo Cannabis respondeo, quòd idem Tamburinus num.67. inclinat, fortasse nullam includere superstitionem, quia sicut Valle de Moura ex Ruberto lib.1. tract.3. de Trinitate cap.1. ad illa verba

Ge-

Genesis 3. *Inimicitias ponam inter Te, & Mulierem*, docet, quòd si Mulier nuda planta pedis etiam levissimè premat caput Serpentis vivacissimum, statim remanet Serpens sine motu, & moritur, quam virtutem non habet planta pedis viri; potest etiam dari casus, quòd Virgo innocens, & pura in suis manibus, & saliva habeat talem virtutem, quæ filo cannabis communicata illum morbum propellat.

VIII. Ad quartum denique de Resipillis dico, nullam in applicando atramento, vel argento intervenire Superstitionem, quia inflammatio illa per contrarium frigus atramenti, & argenti extinguitur, si alterutrum sæpiùs applicetur, ubicumque inflammatio conspicitur: undè inepta prorsus, & impertinentia sunt signa, characteres, & verba, quæ huic remedio adjungunt aliqui, & hæc utpotè superstitiosa, sunt omninò prohibenda, & resecanda.

IX. Quæres denique, an liceat aliquando procurare aliquem effectum, de quo dubitatur, an sit à causa naturali, vel à Dæmone? Respondeo, quòd est probabilis opinio Tamburini, dicentis hoc licere ad evitandum magnum damnum, ad medendum vulneribus, & gravibus infirmitatibus; quia in tali dubio possessio stat pro libertate, quam quilibet homo habet à Natura consulendi scilicet sibi mediis, quæ præsumi possunt naturalia, dummodò id fiat cum protestatione, quam tradit Lessius lib.2. cap.44. num.46. de Justitia, & Jure, ubi ait: non est licitum uti remedio, de quo dubium est, an contineat tacitam Dæmonis invocationem; hoc enim est se exponere manifesto Superstitionis periculo, nisi fortè id fiat cum expressa contrariæ voluntatis protestatione.

CAP.

C A P. XIV.

De Hæreſi.

I. HÆreſis eſt pertinax error hominis baptizati contra aliquem articulum Fidei. Dicitur *error*, nempè in intellectu, quia ſi quis proferat verba contra Fidem, ſed in intellectu non habeat errorem, illa non eſt Hæreſis, ſed ſunt tantùm verba hæreticalia. Dicitur *pertinax*, id eſt deliberatè, & obſtinatè volens credere oppoſitum ejus, quod ab Eccleſia proponitur. Differt ab Apoſtaſia, quia hæc eſt receſſus totalis à Fide Catholica.

II. Ad Hæreſim igitur quatuor requiruntur: Primò error in intellectu: Secundò eſſe baptizatum: Tertiò credere aliqua Myſteria, & alia negare: Quartò Pertinacia.

III. Ex dictis liquet, quòd Hæreſis alia eſt interna, & alia externa. Interna eſt, cum quis interiùs credit pertinaciter oppoſitum alicujus articuli, ſed hoc non manifeſtat ſigno ſenſibili, & hæc non ſubjacet pœnis Eccleſiaſticis: externa verò eſt, quando ſigno aliquo externè manifeſtatur id, quod interiùs non creditur.

IV. Qui de Fide dubitat, vel aliquem articulum Fidei eſſe ſolùm probabilem putat, Hæreticus eſt: ſimiliter peccat peccato Hæreſis, qui contra Fidem ex ignorantia craſſa, vel affectata ſentit. Ita Toletus, Lorca, & alii communiter: quia tamen hæc Hæreſis non eſt completa, propterea ob illam Cenſura non incurritur. Ita Eſcobar in Theologia Morali tract.5. examine 1. cap.4. n.10.

V. Ad hoc autem ut conſtituatur Hæreſis externa, quæ ſubjacet Excommunicationi, duo requiruntur: Primò, ut ſignum externum procedat ex affectu Hæreſis internæ: Secundò, ut tale ſignum ſit vel per ſe, vel ex circumſtantiis determinatè expreſſivum erroris interni. Ita Sanchez in

in Decalogum tom.1. lib.2. cap.8. num.7., & cum ipſo Tamburinus lib.2. in Decalogum cap.1. §.4. num.6.

VI. Undè fit primò, quòd qui interiùs non credens movet caput, aut dicit, *non eſt*; Secundò qui caput non diſcooperit Sacræ Imagini, vel Eccleſiæ; Tertiò, qui non ſanctificat dies feſtos, quia interiùs non credit, Eccleſiam habere auctoritatem injungendi obſervationem Feſtorum; Quartò qui characteribus ſibi ſoli cognitis ſcribit ſuam Hæreſim; hi & ſimiles non dicuntur ſufficienter exprimere exteriùs Hæreſim internam, cum hi actus externi non exprimant determinatè, & perfectè errorem internum mentis, ac propterea non incurrunt Cenſuras, & alias pœnas contra Hæreticos impoſitas. Ita Doctores communiter, quibus ſubſcribunt Tamburinus loco citato, & Eſcobar examine 1. de Fide cap.4. n.10.

CAP. XV.

De Pœnis Hæreticorum.

I. Novem ſunt Hæreticorum Pœnæ per Sacros Canones impoſitæ. Prima eſt, Excommunicatio latæ ſententiæ Summo Pontifici reſervata. Cap. *Excommunicatio* 3. & 2. Cap. Ad abſolvendum. Ad hoc tamen, ut Hæreticus ſit vitandus, requiritur, ut ſit nominatim denuntiatus. Secunda pœna eſt Irregularitas, quæ incurritur, quando Hæreticus eſt publicus, & notorius, hoc eſt, quando nominatim eſt denunciatus. Caſtropalaus tom.1. tract.4. diſp.4. punct.4. contrà Suarium, & alios contendentes etiam Hæreticum occultum eſſe irregularem. Tertia pœna eſt infamia, quæ contrahitur, quando Hæreſis eſt notoria, vel notorietate Juris, vel notorietate facti, hoc eſt vel ex ſententia Judicis, vel ex ſe. Cap. *Infames* 6. quæſt.1. Cap. *Excommunicamus* de Hæreticis. Quarta pœna eſt privatio Beneficiorum, & Officiorum, ac inha-

bilitas ad futura. Quinta pœna non poſſe eſſe Patrinum in Baptiſmo Catholici. Sexta eſt non poſſe licitè contrahere Matrimonium cum Perſona Catholica. Septima eſt Confiſcatio Bonorum. Octava eſt incapacitas teſtandi. Nona eſt amiſſio Patriæ Poteſtatis in Filios, & amiſſio Servorum, & Jurium: nam Filii, qui ſunt ſub Patris poteſtate, eximuntur ab illo à puncto commiſſi delicti: idemque valet de Servis, qui tamen non eximuntur, niſi poſt ſententiam, ſicuti Hæreticus non niſi poſt ſententiam incurrit pœnas fuſtigationis, exilii, carceris, & mortis.

II. Circa prædictas pœnas nonnulla inſurgunt dubia, quæ ſecundùm probabiliorem ſententiam hic reſolventur. Primum igitur dubium eſt circa privationem Beneficiorum; an ſcilicet Hæreticus poſtquam eſt Eccleſiæ reconciliatus, poſſit ſine nova diſpenſatione admitti ad Beneficia. Secundum, an ſtatim, ac aliquis incidit in Hæreſim, ſit privatus Beneficiis, quæ poſſidet, obligeturque ea relinquere ante ſententiam Judicis. Tertium, an ſi quis reconcilietur Eccleſiæ, poſſit contra ipſum fulminari poſt reconciliationem ſententia privans illum Beneficiis. Quartum, an Hæreticus obligetur in Conſcientia relinquere ſua bona Fiſco ante ſententiam, & an poſſit reſiſtere executioni Fiſci. Quintum, an ſicut Hæreticus eſt incapax teſtandi, ita teneatur in Conſcientia repudiare Hæreditatem, quæ, durante Hæreſi, ſibi fuit relicta. Sextum denique qui nam dicantur relapſi in Hæreſim.

III. Ad primum igitur reſpondeo, quòd ſi Hæreſis fuit occulta, poteſt reconciliatus admitti ad Beneficia ſine diſpenſatione; ſi verò fuit publica, per ipſam contracta eſt Irregularitas, ac propterea ſine diſpenſatione ad Beneficia admitti nequit. Ad ſecundum dico, quòd non modo non tenetur ea relinquere ante ſententiam, ſed nec poſt ſententiam, donec per executionem ſpolietur. Ad tertium, non poſſe poſt reconciliationem, ſaltem ſi Hæreticus ſponte rediit ad Fidem, fulminari ſententiam, illum Beneficiis poſſeſſis ſpoliantem: Tamburinus loco citato num. 10. Ad quartum de Confiſcatione Bonorum dico, non teneri relinquere ſua Bona Fiſco, ante ſententiam

tiam Judicis, quia nemo obligari poteſt, ex probabiliori Doctorum ſententia, ab humana Poteſtate ad exequendam contra ſe ipſum pœnam gravem: talis enim obligatio, utpotè excedens humanam infirmitatem, eſſet plurimis tranſgreſſionibus obnoxia, ac proinde communi bono contraria. Ad quintum reſpondeo, quòd probabile pariter eſt, non teneri repudiare Hæreditatem ſibi relictam, ſed poſſe expectare ſententiam, quia in pœnalibus non debet fieri extenſio. Ad ſextum dico, quòd Relapſus, qui puniendus eſt pœna mortis ex Cap. *Abſolvendum* 55., & Cap. *Illos quoque* de Hæreticis, ille dicitur, qui cum publicè fuerit correctus, & emendatus, iterum vel in eamdem, vel in aliam Hæreſim labitur. Ita Tamburinus loco citato num.25.

C A P. XVI.

De Abſolutione ab Hæreſi.

I. INquires, quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius circa abſolutionem ab Hæreſi? Reſpondeo: quando accedit Pœnitens, qui in Hæreſim lapſus eſt, videat Confeſſarius, an poſſit illum excuſare ab Hæreſi reſervata, vel an ſit in talibus circumſtantiis, in quibus, licèt privilegiatus non ſit, poſſit nihilominus illum abſolvere.

II. Pro quo notandum eſt, quòd ſi Hæreſis fuit merè interna, reſervationi non ſubjacet. Ita communiter Doctores, quos ſequitur Tamburinus lib.2. in Decalogum cap.1. §.8. num.2. Idem dicendum eſt, ſi fuit ſolùm externa, & non interna, quia nomine Hæreſis in reſervatione illa intelligitur, quæ eſt ſimul interna, & externa. Quamvis enim proferens Hæreſim externam ab Inquiſitoribus puniatur, quia præſumitur illum habere etiam internam, & quia Bono publico Hæreſis etiam externè tantùm prolata nocet; nihilominùs in foro Conſcientiæ

verè non est Hæreticus, nec Excommunicationem incurrit, ac proindè potest à quovis Confessario absolvi, cum Hæresis tantùm completa, & formalis, non autem solùm materialis, sit reservata.

III. Quòd si Pœnitens dubitet, an dum externè protulit Hæresim, habuerit etiam errorem internè; probabile est, eum à simplici Confessario posse absolvi, quia cum versemur in materia reservationis, quæ est odiosa, restringenda est ad Hæresim tantùm certam, & completam, non autem est extendenda ad incertam, & incompletam. Ita cum Caramuele, & Merolla Tamburinus loco citato num.4.

IV. Si verò certus sit Pœnitens, suam Hæresim fuisse internam, & externam, sed ignorabat ei annexam esse excommunicationem, illam non incurrit; atque adeò in reservationem non incidit, quia Casus Summo Pontifici sunt tantùm reservati, quatenus habent annexam excommunicationem, undè poterit à quocumque Confessario absolvi: Castropalaus tom.1. tract.4. disp.4. punct.3.

V. Ille verò, qui est lapsus in Hæresim reservatam, si sit in articulo mortis, potest absolvi ab omni simplici Sacerdote, quamvìs præsens esset Parochus, aut alius habens facultatem absolvendi à casibus Pontificiis; quidquid in contrarium contrà hanc doctrinam afferat novissimè Joannes Clericatus in Decisionibus de Sacramento Pœnitentiæ decis.38. num.28., quia indistinctè Concilium Tridentinum sess.14. cap.7. concessit omnibus Sacerdotibus facultatem absolvendi in articulo mortis ab omnibus censuris, & peccatis: undè non est, cur eam nos restringere debeamus ad casum, in quo non adsit alius legitimè approbatus, cum Ecclesia voluerit omnibus Fidelibus in illo articulo existentibus facultatem concedere Sacramentaliter confitendi cum omnibus illis Sacerdotibus, quibus ipsis placuerit. Ita Augustinus Barbosa de Potestate Episcopi allegat.25. num.51., cum Sayro, Rodriquez, Sa, Navarro, & aliis.

VI. Si autem ille, qui est in articulo mortis, sit pubes, & credatur, fore ut convalescat, duo ipsi sunt impo-

po-

ponenda. Primò Juramentum de ſtando Mandato Eccleſiæ; Secundò onus, ſi convaluerit, ſe Superiori præſentandi; ſi verò impubes ſit, aut judicetur certò moriturus ex eo morbo, vel habiturus perpetuum impedimentum adeundi Pontificem, ab illis omnibus imponendis eſt abſtinendum. Ita Caſtropalaus loco citato diſp.4. punct.3. §.5.

VII. Nomine articuli mortis intelligitur probabile periculum moriendi, undè qui gravi, & periculoſo morbo laborat, aut ille, qui longum iter Terra, Marique eſt aggreſſurus, qui eſt in periculo Naufragii, Mulier delicatæ compleſſionis brevi paritura, reputantur in articulo mortis, quia ſunt in probabili periculo moriendi; atque adeò à quovis ſimplici Sacerdote poſſunt ab omnibus Ceſuris, & peccatis abſolvi.

VIII. Eodem privilegio gaudent, qui perpetuo impedimento Superiorem adeundi tenentur, vel ratione ægritudinis, vel paupertatis, vel ſervitutis, vel pœnæ Carceris, aut Triremium. Ita Caſtropalaus tom.1. tract.4. diſp.4. p.3. §.5. num.4.

IX. Dixi, ſi teneatur impedimento adeundi Superiorem, quia licèt conſtitutus in eo periculo poſſet vel mediante Confeſſario, vel mediis epiſtolis obtinere facultatem, ut abſolvi poſſit ab excommunicatione reſervata; non obligatur hæc facere, ſed dum nequit per ſe ipſum adire Superiorem, poteſt à quovis Confeſſario abſolvi; undè cum Monialis in Hæreſim lapſa nequeat Summum Pontificem adire, poteſt à quolibet Confeſſario pro ſuo Monaſterio approbato abſolvi. Ita cum Caſtropalao, & aliis Tamburinus loco citato num.10. in fine, ubi monet, quòd ſi ille, qui in Hæreſim incidit, non habeat Confeſſarium, qui eum poſſit abſolvere, & urgeat neceſſitas Communicandi propter periculum infamiæ, vel quid ſimile, poterit Communicare cum actu perfectæ Contritionis, vel Confeſſionem dimidiare, confitendo ſcilicet peccata non reſervata, cum dolore tamen univerſali, quia ſic indirectè abſolutionem recipiet etiam ab Hæreſi, cum onere tamen comparendi coram Superiore, & ab

& ab eo directam abſolutionem recipiendi.

X. Occultum Hæreticum poſſe à ſuo Epiſcopo abſolvi probabiliter putant plurimi, & graviſſimi Doctores, quos citat, & ſequitur idem Tamburinus num.12., quia hæc poteſtas Epiſcopis à Tridentino fuit collata in conceſſione illa generali abſolvendi Subditos ſuos in ſua Diœceſi per ſe ipſos, aut per Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro Conſcientiæ ab omnibus caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Nec ex alia parte expreſsè conſtat, hanc facultatem per Bullam Cœnæ fuiſſe revocatam; quia licèt non pauci doceant cum Ilſung apud Vivam in explicatione 3. Propoſitionis ab Alexandro VII. damnatæ, quòd hæc opinio concedens dictam facultatem Epiſcopis non poſſit ampliùs ſuſtineri, tanquam probabilis, & de hoc etiam ipſemet P. Viva, valdè dubitet ob damnationem illius Propoſitionis, quæ dicebat: *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ solùm prohibere abſolutionem Hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, Anno 1619. die 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.*

XI. Nihilominùs crederem, poſſe adhuc Epiſcopos dicta facultate uti, uſque dum expreſsè per aliquam Bullam, aut Decretum eis non auferatur, niſi obſtarent declarationes Summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Clementis VIII., quas extare aſſerunt Toletus Gutrierez, Ugolinus, & alii apud Vivam ubi ſupra num.4., in dicta enim ſententia damnata non proſcribitur ſaltem directè probabilitas noſtræ opinionis, ſed ſolùm damnatur, quòd noſtra ſententia viſa, & tolerata ſit in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium eo die, & anno ſuprà ſcriptis, quod à damnatione noſtræ opinionis eſt valdè diverſum. Undè hanc ſententiam poſt damnationem prædictæ Propoſitionis ampleсtuntur etiam nonnulli, quos tacito nomine refert idem Viva in Explicatione dictæ Propoſitionis n.3. in fine.

CAP.

C A P. XVII.

De Jurisdictione Dominorum Inquisitorum, & de Causis, ac Criminibus, quorum cognitio ad illos pertinet.

I. INquisitorum Jurisdictio extenditur in omnes Baptizatos, exceptis tamen Episcopis, Apostolicis Nunciis, Cardinalibus, & aliis in ejusmodi Dignitatibus constitutis.

II. Cognoscunt autem de causis Hæresis, & de omnibus connexis, & incidentibus, undè ad eorum Tribunal pertinent non modo propositiones Hæreticæ, sed etiam aliæ inferioris notæ, quæ scilicet sapiunt Hæresim, vel malè sonant, aut sunt piarum aurium offensivæ, temerariæ, scandalosæ, & stultæ.

III. Cognoscunt pariter de Sortilegiis, si Sortilegus usus sit aliquo Sacramento, aut Sacramentali: exempli gratia, Eucharistia, Oleo Sacro, Chrismate, &c. Verbis, Sacræ Scripturæ, Agnis cereis benedictis, Vestibus Sacerdotalibus, Reliquiis Sanctorum, &c.

IV. Imò ex Bulla Sixti V. cognoscunt etiam de Sortilegiis non sapientibus totaliter Hæresim, sicut est de illis, quæ ope Dæmonis præterita, vel futura indicant, cum omne commercium cum Dæmone aliquo modo sapiat Hæresim.

V. Punitioni Inquisitorum subsunt etiam, qui in Sacra Communione sumunt plures, aut grandiores Hostiæ particulas, opinantes per hoc consequi abundantiorem Gratiam: qui voluntariè non Communicant in Paschate; secundùm aliquos Doctores apud Carenam par.2. tit.17. §.1.: qui sine justa causa carnes comedunt diebus ab Ecclesia vetitis: qui asserunt Confessum Regularibus teneri ca-

eadem peccata confiteri proprio Parocho: qui Cedulones ad declarandum aliquem excommunicatum affixos deturpant, vel lacerant: qui ipſos Inquiſitores facto, vel verbo contemnunt, quia hi omnes ſunt de Hæreſi ſuſpecti.

VI. Eorumdem punitioni ſubjacent, qui aliquod conſilium dant Reo ab Inquiſitoribus carcerato, ipſis Inquiſitoribus inſciis: ſicuti etiam detenti in carceribus in habitu pœnitentiæ, ſi unus alteri convicia dixerit.

VII. Ad ipſos etiam ſpectat ex Bulla Urbani VIII. examinare revelationes Muliercularum, & invigilare ne Imagines non Beatificatorum publicè cum Diademate, vel alio ſigno Sanctitatis exponantur.

VIII. Advertendum eſt hìc, quòd verba dubia regulariter ab Inquiſitoribus in ſenſu Catholico ſunt accipienda. Dixi regulariter, quia ſi alioquin qualitas Perſonæ ſuſpectæ de Hæreſi talis ſit, ut aliter ſuadeat; tunc in deteriori ſenſu ſunt accipienda. Ita Eſcobar in Theologia Morali exam.2. cap.2. n.14.

IX. Inquires primò, an Inquiſitores poſſint procedere contra duos Confeſſarios, quorum alter tempore Jubilæi, in quo expreſsè non excipitur Hæreſis, abſolvit in foro Conſcientiæ ab hoc crimine; alter dicit Pœnitenti, ſe non poſſe illum abſolvere, niſi ſibi revelet Complicem? Secundò, an contra Confeſſarium frangentem ſigillum? Tertiò, an contra Prædicantem, quòd Animæ Defunctorum non detineantur in Purgatorio ultrà decem, vel viginti annos? Quartò, an contrà quoslibet Superſtitioſos? Quintò, an contrà Enpſalmos? Sextò, an contrà Judæos, Mauros, & alios Infideles? Septimò, an contrà fautores Hæreticorum? Octavò, an contrà impedientes Officium ſanctiſſimæ Inquiſitionis? Nonò, an contrà non denunciantes, vel non revelantes Hæreticos? Decimò, an contrà non Sacerdotem celebrantem Miſſam, vel Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrantem? Undecimò, an contrà Sacerdotem ſæpiùs in die celebrantem, vel celebrantem non conſecrando? Duodecimò, an contrà inſordeſcentem per annum in Excommunicatione? Decimotertiò, an contrà

Lai-

Laicum, qui indutus vestibus Sacerdotalibus incipit Missam, sed non perficit, quia Verba Consecrationis non profert, nec Populo elevat adorandam Hostiam, nec Calicem?

X. Respondeo ad primum negativè, quia Confessarius tempore Jubilæi, in quo conceditur facultas absolvendi à Reservatis, absolvere potest etiam ab Hæresi, ex opinione probabili; atque adeò cum careat culpa, non est dignus pœna, quæ infligi nequit nisi pro culpa, ut ex Cap. *Satis perversum* dist.56. Cap. *Inventum* 16. quæst.7. & L. *Si putatur* ff. ad Legem Aquiliam, docet Molfesius in Summa tom.1. tract.7. cap.11. n.63., & Doctissimus Thomas del Bene de Officio SS. Inquisitionis tom.1. p.2. dub.195. sess.61. contra nonnullos oppositum docentes. Negativè pariter respondetur ad alterum dubium de Confessario, qui dicit Pœnitenti, se non posse eum absolvere, nisi Complicem revelet. Ita Coriolanus tract. de Casibus Reservatis par.1. sect.3. art.9. num.3. Villalobos in Summa tom.1. tract.9. difficult.39. num.9., & alii: licèt putent talem Confessarium puniendum esse, ut Hæreticum Medina in Summa lib.2. cap.4. §.1., & Lopez in Instructorio par.1. cap.27. ducti hac ratione, quia Hæresis est asserere, quòd non sit illicitum infamare Proximum, ergo cum Confessarius exigat Complicis manifestationem, videtur asserere, licitam esse infamationem Proximi, ac consequenter Hæresim proferre.

XI. Ad secundum dubium sic respondeo: aut talis Confessarius frangit sigillum, quia credit pertinaciter, hoc non esse illicitum, aut quia habet consuetudinem illud frangendi: si frangit, quia credit hoc licere, est Hæreticus: si verò frangit, quia habet consuetudinem frangendi, est suspectus de Hæresi, undè in utroque casu est denunciandus, & ab Inquisitoribus puniendus. Si verò sigillum frangat sine errore intellectus, & sine consuetudine, non est denunciandus Inquisitoribus, nec ab ipsis puniendus; sed ad Episcopum spectat illum ab Officio Sacerdotali deponere, & in arctum Monasterium detrudere ad Pœnitentiam agendam, juxta Textum in Cap.

Omnis utriusque. Ita Thomas del Bene loco citato sect.63. cum aliis.

XII. Ad tertium dubium respondeo negativè ex Suarez in Tertiam partem tom.4. disp.46. sect.4. num.6., & aliis apud ipsum, quorum sententiam fatetur Thomas del Bene esse probabilem, cum oppositam appellet tantùm probabiliorem.

XIII. Verum quidem est, quòd communissimè, & meritò rejicitur sententia, quam tenuere Sotus in Quartum dist.19. quæst.3. art.2. Corradus in Respons. Casuum Conscientiæ tom.1. quæst.118., & Vivaldus in Candelabro titul.10. de Purgatorio num.16., qui docuerunt Animas in Purgatorio non detineri ultrà decem, aut viginti annos, propter immensam Dei Misericordiam, & propter maximam tormentorum acerbitatem: talis tamen sententia à Suarez, & aliis dicitur esse incerta, & voluntaria, non tamen erronea, & sic non subjecta Inquisitoribus, licèt cum aliis periculosam, & temerariam esse dicat Henriquez lib.7. cap.16. num.4., & circa hanc materiam videatur Propositio 43. damnata ab Alexandro VII. Imò de facto nunc Inquisitores Hispaniæ de hac opinione inquirere testatur Viva in Explic. dictæ Propositionis.

XIV. Ad quartum respondeo affirmativè ex Bulla Sixti V., & est communis Doctorum, quos sequitur Riccius in Praxi tom.1. resol.423. dummodò tamen Superstitiones Hæresim sapiant; in quo casu non privativè, sed cumulativè quoad Ordinarios procedunt Inquisitores, ut cum Francisco Leone lib. de Sortilegiis cap.8. firmat del Bene loco citato dub.195. sess.7., ubi hoc adeò verum putat, ut de Superstitionibus, quæ Hæresim non sapiunt, solos Ordinarios privativè quoad Inquisitores cognoscere dicat.

XV. In omnibus aliis casibus supra num.9. relatis possunt Inquisitores procedere, undè non est, cur ad singulos in particulari respondendum sit.

XVI. Ex dictis constat, posse cumulativè cum Ordinario Inquisitores procedere contra facientem teculas, vulgò *Brevi* cum ignotis characteribus; contra recitan-

tem

tem Orationes, aut portantem illas cum firma credulitate alicujus effectus; verbi gratia, quòd non poterit eas recitans, aut portans vulnera recipere, mori, &c. sine præcedenti vulnerum, aut mortis nuncio; contra Fabricantes Imagines cereas, cum quibusdam puncturis ad amorem, odium, infirmitatem, vel mortem causandam; contra facientem Maleficia cum capillis, ligaturis, clavis, lapidibus, ferramentis, & similibus; contra aspicientem speculum, & phialam aqua Benedicta plenam, ad lumen Candelæ pro sciendis secretis, vel reperiendis furtis; contra contemnentes Campanas, ut faciunt quidam, qui (ut refert citatus Thomas del Bene) nocte Sabbathi Sancti, malleolos à Campanis abstractos suspendunt in arbore Nucis, contemptus enim Campanarum, est error Saracenorum, & Mahumetanorum: de quibus omnibus videri potest laudatus Thomas del Bene in suo doctissimo Tractatu de Sanctissima Inquisitione.

FINIS

Opusculi de Fide.

OPUSCULUM SECUNDUM.

DE SPE, ET VITIIS OPPOSITIS.

CAP. I.

Quid sit Spes, prout est Virtus Theologica.

I. Spes est Virtus Supernaturalis Theologica, qua Homo fidelis Bona Gratiæ in præsenti Sæculo, & Bonum Gloriæ in futuro, per merita Christi, & cooperationem propriam expectat cum certa fiducia.

II. Dicitur Virtus Supernaturalis, quia est purissimum donum Dei, omnem naturalem ordinem excedens, juxtà illud Petri prima: *Qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in Spem vivam per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in Cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per Fidem in Salutem paratam revelari in tempore novissimo*: Ex quibus verbis colligitur, Spem esse donum purissimum Misericordiæ Dei, & unum ex Salutaribus donis per Jesum Christum, quæ omnia supernaturalia sunt: Sicuti etiam supernaturale est ejus objectum, quod est bonum Gratiæ, & Gloriæ.

III. Dicitur *Theologica*, quia objectum hujus virtutis est ipse Deus, quatenus est nostra Beatitudo, & noster finis,

finis, juxtà illud Pſ.141. *Dixi, tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium.*

IV. Dicitur *per merita Chriſti, & cooperationem propriam*, quia non ex noſtris meritis tantùm obtinere poſſumus remiſſionem peccatorum, & Gloriam æternam, ſed per virtutem Chriſti infinitorumque ejus meritorum, mediante noſtra cooperatione ſperare debemus delictorum veniam, & hæreditatem illam incorruptibilem conſervatam in Cœlis.

V. Dicitur denique *cum certa fiducia*, quia non ſufficit ferri in Beatitudinem ut solùm poſſibilem, ſed etiam debet apprehendi, ut, poſita executione mediorum, ex promiſſione Divina, certò obtinenda. Eſt enim fiducia promptitudo voluntatis orta ex perſuaſione aſſequendi Boni, & ſuperandi Mali.

VI. Dicitur autem Spes eſſe cum fiducia certa, non quidem certitudine Fidei, neque abſoluta, ſed certitudine morali, quæ hæſitationem, & fluctuationem inordinatam excludat.

VII. Ex tribus autem Capitibus certa eſt fiducia Spei Theologicæ. Primò ex objecto, quod eſt infallibile, & certiſſimum: Secundò ex modo tendendi in idem objectum, nam Spes voluntatem inclinat, & dirigit in rem ſperatam, non hæſitanter, diffidenter, & formidolosè, ſed promptè, confidenter, & certò. Nam ſicut Anchora fundatur, & ſtabilitur Navis, ita & animus ſperantis ſtabilitur per Spem, de qua ad Hebræos 6. inquit Apoſtolus. *Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.* Tertiò ex ſuppoſita Fide Omnipotentiæ, Miſericordiæ, Promiſſionis, Veracitatis, & Auxilii Dei, qui, ut ibidem dicit Apſtolus, *Dabit nobis abundanter, quod juramento promiſit.*

CAP.

CAP. II.

An detur Præceptum ſpeciale eliciendi actum Spei.

I. DAri Præceptum de Spe eſt de Fide certum: dicit enim Scriptura Pſ. 4. *Sperate in Domino*: Pſ. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatem, &c. revela Domino viam tuam, & ſpera in eo*: & Sapientiæ 2. cauſa excæcationis, & damnationis impiorum aſſignatur, *quia neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt Juſtitiæ*: *&c.*

II. Ratione etiam idipſum ſuadetur: quia omnis actus neceſſarius ad vitam æternam eſt præceptus; ſperare autem veniam peccatorum, Gratiam, & Gloriam neceſſarium eſt ad vitam æternam, ut definit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6., ergo actus Spei Theologicæ eſt præceptus. Sic omnes Theologi cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 22. art. 1., ut videre eſt apud Suarez diſp. 2. ſect. 1. num. 1. de Spe, Valentiam tom. 3. diſp. 2. quæſt. 4. punct. 2., Filliucium tr. 22. cap. 8. Arragonam in 2. 2. quæſt. 22. art. 1. Trullenck in Decalogum lib. 1. cap. 4. dub. 2. n. 1. Lorcam 2. 2. diſp. 17. Oviedum in tractatu de Spe controv. 3. punct. 7. Utrumque Hurtadum, Petrum ſcilicet, & Gaſparum, illum diſp. 118. ſect. 1., iſtum diſp. 2. diffic. 6. de Spe, Caſtropalaum tom. 1. tract. 5. diſp. unica punct. 4. Petrum, & Jacobum Marchantium, illum in Tribunali Sacramentali tom. 2. tract. 2. tit. 3. quæſt. 2. concl. 1., hunc in Horto Paſtorum lib. 2. tract. 1. Bonaccinam diſp. 3. quæſt. 3. punct. 2. num. 1. & alios.

III. Advertendum eſt cum citato Petro Marchantio, quòd Præceptum Spei dividitur in affirmativum, & negativum: quatenus eſt affirmativum præcipit actum Spei, & alios

& alios actus ad Spem pertinentes; quatenus verò est negativum prohibet peccata virtuti Spei directè opposita, qualia sunt Desperatio, & Præsumptio.

C A P. III.

Quandò nam obliget Præceptum affirmativum de eliciendo actu Spei.

I. NOtandum, quòd Præceptum negativum Spei, hoc est Præceptum non desperandi de Deo, & non præsumendi ex propriis viribus æternæ Salutis consecutionem obligat semper, & ad semper: actus enim Desperationis, & Præsumptionis sunt intrinsecè mali, ergò semper, & pro semper prohibiti. Ita cum D. Thoma 2. 2. quæst.22. art.1. docent omnes Theologi.

II. An autem Præceptum affirmativum Spei obliget positivè, & per se ad eliciendum illius actum, negarunt Meratius, Gasper Hurtadus, & alii apud Dominicum Vivam in Expositione primæ Propositionis ab Alexandro VII. damnatæ; sed cum hæc opinio practicè sustineri ampliùs non possit, cum sit proscripta in dicta prima Propositione, quam retulimus suprà in Opusculo de Fide cap.5. num.5.; dicendum est, certum nunc esse, quòd Præceptum Spei per se, & positivè obliget ad eliciendum illius actum. Ita post prædictam damnationem omnes Theologi Octavius à S. Joseph, Correglia, Clericatus, Fœlix Potestà, Rotarius, Pisellus, aliique apud Vivam loco suprà citato: & ante damnationem dictæ Propositionis docuerunt etiam Oviedus controv.3. punct.7. num.92. Suarez disp.2. sect.1. num.3., & alii.

III. Difficultas autem, & quidem non levis, est inter Doctores, pro quo tempore obliget tale affirmativum Præ-

Præceptum. Alii enim docent, satisfieri huic Præcepto, si semel tantùm in vita actus Spei eliciatur, non determinantes tempus, in quo teneatur Homo illum elicere. Ita aliqui Doctores apud Arragonium 2. 2. quæst.22. art.1. dub.1., quos tamen ipse meritò rejicit.

IV. Alii dicunt, hoc Præceptum affirmativum Spei obligare Hominem statìm post adeptum usum Rationis. Ita probabiliter Suarez disp.2. sect.1. num. 3. Oviedus contr.3. punct.7. num.97. Lorca disp.18. num.10. Petrus Hurtadus disp.118. sect.2. §.18. Fagundez lib.1. in Decalog. cap.31. num.7. Bannes, Ledesma, Arragonius, & alii Thomistæ cum Joanne de La Cruz in Directorio Conscientiæ Præcepto 1. art.2. de Spe conclusione 3.

V. Alii dicunt hujusmodi Præceptum per se semel singulis annis obligare: ita Petrus de Ledesma tom.1. Summæ tract.2. cap.4. concl.6. cum aliis.

VI. Alii affirmant hoc Spei Præceptum per se saltem in articulo mortis obligare. Ita Petrus Hurtadus 2. 2. disp.118. sect.2. §.19., & Diana par.5. tract.15. resol.106.

VII. Alii dicunt, quòd tunc obligat per se hoc Præceptum, quandò quis gravis desperationis tentatione vexatur. Ita Villalobos 2. par. Summæ tract.2. difficult.1. num.3. Trullenck lib.1. in Decalogum cap.4. dub.2. n.4. Granadus controv.2. tract.4. de Spe disp.1. n.2. Azorius, Victorellus, Reginaldus, & alii.

VIII. Alii denique ultra hos casus, & ultra hæc tempora addunt primò, tunc per se obligare, quandò quis Deum orat, tenetur enim unusquisque orare cum Spe impetrandi. Secundò, quando quis Pœnitentiam agit, nam actus Pœnitentiæ non potest esse sine Spe veniæ. Tertiò, quandò obligat lex Charitatis, quia Deus nequit à Viatoribus amari absque Spe. Quartò, quando aliquid faciendum est, quod sine Spe præstari non potest. Sic docent Arragonius 2. 2. quæst. 22. art.1. Becanus cap.17. quæst.7. num.2., & Azorius lib.9. cap.2. quæst.6., licèt non omnes in his omnibus casibus admittant, per se obligare Præceptum Spei; multi enim concedunt in aliquibus ex his solùm obligare per accidens.

Quid

IX. Quid ſentiam in hac diverſitate opinionum, dicam breviter. Admiſſis opinionibus Suarii, & Dianæ docentium, hoc Præceptum Spei per ſe obligare poſt adeptum uſum Rationis, & in mortis articulo; inſuper addo cum Joanne de La Cruz loco citato, obligare etiam per ſe multoties in vita, puta aliquoties intra annum propter eaſdem rationes, quas in ſimili infra adducam in Opuſculo 3. cap.1. n.3., ubi agam de obligatione eliciendi actum Charitatis.

X. Non eſt tamen nimis ſcrupuloſè agendum circà adimpletionem hujus Præcepti, cum facillimo negotio Fideles ei ſatisfaciant: undè optimè ait Oviedus citata controv.3. punct.7. *Fideles, qui religiosè vivunt, & pia opera exercent, etſi aliquandò in peccata labantur, ſcrupulis angi non debent circà hujus Præcepti adimpletionem, quia moraliter certum eſt illi ſatisfeciſſe: non enim poſſumus pia opera continuè facere abſque eo, quòd illorum plura fiant ex intentione conſequendi Beatitudinem, quæ ſecum afferunt Spei actum in ea intentione contentum*. Eodem modo etiam loquuntur circà ſatisfactionem hujus Præcepti Diana par.5. tract.14. reſol.106., & Palaus tom.1. tr.5. punct.4. num.4.

CAP. IV.

De peccatis Virtuti Spei oppoſitis, Deſperatione ſcilicet, & Præſumptione.

I. DEſperatio, quæ de ſe eſt peccatum mortale graviſſimum, eſt depoſitio, ſive abjectio voluntaria, & deliberata omnis Spei conſequendi Beatitudinem, vel media ſufficientia ad illam. Ita è Seraphico Ordine S. Franciſci doctiſſimus Petrus Marchantius in ſuo Tribunali tom.2. tr.2. tit.3. quæſt.5.

II. Dicitur *depoſitio*, *ſeu abjectio*: quia Deſperatio propriè dicta non conſiſtit in ſola privatione, ſeu negatione Spei, nam Infidelis, qui de Beatitudine æterna nihil unquam audivit, non peccat peccato ſpeciali Deſperationis, quamvis re vera Spem non habeat.

III. Qui putat, Deum non poſſe, aut nolle ipſum ſalvare, aut peccata ſua eſſe de facto irremiſſibilia, ita ut dicat cum Cain Geneſ. 4.; *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*, non ſolùm peccat peccato Deſperationis, ſed etiam Hæreſis, quia omnes iſtæ Propoſitiones ſunt hæreticæ, & contrà Fidem: nullus enim eſt, quem Deus ſalvare non poſſit, aut nolit; nam Deus vult omnes Homines ſalvos fieri: ſicuti etiam nullum eſt peccatum (in præſenti Providentia) cujus remiſſio à Deo per Pœnitentiam obtineri non poſſit, dicente Domino per Iſaiam 1., *Si fuerint peccata veſtra, ut Coccinum, quaſi nix dealbabuntur*; & per Ezechielem 18. *Si autem Impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*.

IV. Qui in gravibus laboribus, & tribulationibus ex impatientia, ac Deſperatione Dvini auxilii deliberatè mortem ſibi optaret, aut inferret, peccaret peccato mortali Deſperationis: quia Homo tenetur ſemper confidere in Divino auxilio, quo vel à tribulationibus ervatur, vel in patientia firmetur, juxtà illud, Job 13. *Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo*.

Dixi *Ex impatientia, ac deſperatione Divini auxilii*: licitum eſt enim ſibi mortem optare, tanquam finem calamitatum ſuarum, & peccatorum, quæ in hoc Mundo committuntur, exemplo multorum Sanctorum, ut patet 3. Regum 19. in Elia dicente: *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, neque enim melior ſum, quàm Patres mei*. Item Tobiæ 3., *Et nunc, Domine, ſecundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum, expedit enim mihi mori magis quàm vivere*.

V. Qui autem deſperaret de propria virtute ex conſideratione ſuæ infirmitatis, ortæ ex frequenti lapſu in peccata, dummodò tamen Divini auxilii, & Miſericor-

diæ

diæ Spem non excluderet, non peccaret Desperationis peccato; quin imò hujusmodi diffidentiam propriarum virium frequenter ad melioris, perfectiorisque vitæ studium suscipiendum impellere testatur Marchantius, ubi suprà concl.8.

VI. Quæres an ille, cui absolutè Deus revelaret, se damnaturum, posset licitè desperare de Misericordia Dei? Affirmativè respondent Luysius Turrianus disp.65. dub.2. Ægidius Coninck disp.22. dub.11. Gaspar Hurtadus disp.2. difficult.7., & Ludovicus Mæratius disp.35., quia, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst.20. art.1. ad 3. ii, qui sunt ad æternas pœnas damnati, suam salutem desperando non peccant; ergò etiam illi, quibus Deus revelavit, non comminativè, ut sæpè legimus Deum fecisse, sed definitivè, se damnaturos, non peccabunt vitam æternam non sperando, & Dei auxilium ad eam consequendam non implorando.

VII. Contrarium nihilominùs veriùs videtur: quia nunquam Deus in ordinaria Providentia ita absolutè definit alicujus condemnationem; ut non præsentiat, ac prævideat, hanc ex libero illius consensu in peccato esse futuram. Cum autem Divina prævisio peccati futuri non impediat, quin possit quis curam, & diligentiam in id conferre, ne eveniant ea, quæ ex libero ejus voluntatis consensu prævidit Deus, ac denunciavit futura; sequitur posse, ac debere Hominem semper sperare de Misericordia, & auxiliis Dei, etiam qnandò revelata fuerit illius damnatio æterna: & ita docent Valentia tom.3. disp.2. quæst.4. punct.1. Vasquez 1. 2. disp.72. cap. 3. num.15., Azorius, Victoria, aliique apud Leandrum de SS. Sacramento tom.6. disp.3. quæst.9.

VIII. Præsumptionis peccatum est actus voluntatis, quo quis deliberatè sperat à Deo obtinere remissionem peccatorum, Beatitudinem, & alia dona supernaturalia, aliter quàm ipse obtinenda statuit. Ita ex S. Thoma 2.2. quæst.21. art.1. communiter Doctores.

IX. Undè peccaret Præsumptionis peccato, imò & Hæreticus esset, qui crederet, ex propriis tantùm viribus,

Beatitudinem, remiſſionem peccatorum, & merita conſequi poſſe. Item qui præſumeret, ſe abſque illis meritis, & propria cooperatione ad Beatitudinem perventurum. Similiter qui quantumcumque vitam in peccatis duceret, ſperaret tamen Deum ſibi propitium fore abſque ullo animi bono motu, & propriæ Salutis cura. Sicuti etiam qui contrà Dei ordinationem, contemptis mediis ordinariis, nobis à Deo relictis, inordinatè ab eo expectaret, quod aut ab ipſo impetrari non poteſt (utpotè quia per ſe malum ſit) aut non niſi miraculo, & extraordinaria potentia ab eo fieri poteſt. Ita laudatus Petrus Marchantius tom.1. tr.2. tit.3. quæſt.6.

X. Qui pœnitentiam de peccatis in ultimam ſenectutem, aut mortis articulum differt ex Spe obtinendi in tali articulo remiſſionem peccatorum, peccat mortaliter Præſumptionis peccato, & contrà Spem. Ita cum Petro Hurtado, & aliis Leander de SS. Sacramento tom.6. tr.3. quæſt.18., ratio eſt, quia ille, qui ſe exponit periculo violandi id, quod præcipit aliqua Virtus, peccat contrà talem Virtutem; ſed qui vult differre pœnitentiam ad extremam uſque ſenectutem, aut ad mortis articulum, exponit ſe periculo violandi id, quod præcipit Virtus Spei Theologicæ, quæ dum præcipit ſperandam eſſe Beatitudinem, præcipit etiam eſſe adhibenda media opportuna ad illam obtinendam; quod non fit ab eo, qui vult differre pœnitentiam ad mortis articulum, cum ſe exponat manifeſto periculo moriendi in peccato, & conſequenter non obtinendi æternam Beatitudinem; ergo qui vult differre pœnitentiam ſuorum peccatorum ad extremam uſque ſenectutem, aut mortis articulum, peccat mortali peccato Præſumptionis, & contrà Spem.

XI. Advertendum eſt denique, quòd in Deſperationis, & Præſumptionis peccato non datur Parvitas materiæ, quia omnis Deſperatio de Divina Miſericordia, & omnis Præſumptio, quantumcumque exigua, obtinendi Gratiam, & Gloriam ex propriis meritis ſunt graviter injurioſa Divinæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitati; ergo continent ita gravem malitiam, ut non niſi ex defectu

plenæ

plenæ deliberationis, & advertentiæ excusari possint à mortali. Ita Leander de SS. Sacramento loco supra citato disp. 3. quæst. 3. & 12. cum Suarez, Valentia, Granado, Bonaccina, Sanchez, Toleto, & aliis.

FINIS
Opusculi de Spe.

OPU-

OPUSCULUM TERTIUM.

DE CHARITATE DEI, ET PROXIMI.

CAP. I.

Quid ſit Charitas, & quando nam obliget Hominem ad eliciendum actum amoris Dei.

I. CHaritas eſt Virtus Theologica, qua Deus propter ſe diligitur, & Proximus propter Deum. Diligitur Deus propter ſe, hoc eſt propter ipſius eſſentialem Bonitatem, qua eſt in ſe ipſo ſummè Bonus, & dignus amari ſuper omnia.

II. Tenemur autem Deum ſuper omnia diligere non intenſivè, ſed appretiativè, ita ut ſimus diſpoſiti ad perdenda potius omnia, quàm ad perdendum Dei amorem.

III. Ex Præcepto Charitatis tenemur actum hujus amoris elicere, primò ſtatim ac Rationis uſum adepti ſumus: ſecundò in articulo mortis: tertiò ſaltem ſemel in anno, ut diximus ſupra de actu Spei. Ita Petrus de Ledeſma in ſua Theologia Morali tract.3. de Præcepto Charitatis diſp.5. ſect.3. num.4.: quia omninò alienum à ratione videtur, quòd Præceptum Charitatis, quod eſt omnium Præceptorum maximum, minùs obliget, quàm ea Præcepta, quæ minorem obligationem inducunt; cum ergo Præcepta confitendi, communicandi, ac orandi obli-

obligent ſaltem ſemel in anno; non videtur dubitandum, hoc etiam ita ſaltem obligare. Undè meritò Summus Pontifex Innocentius XI. damnavit illam Propoſitionem, quæ dicebat: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquennis per ſe obligare Præceptum Charitatis erga Deum.* Sicuti etiam illas alias duas, quarum prima dicebat: *Tunc ſolùm obligat Præceptum Charitatis erga Deum, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus,* niſi eliciendo actum Charitatis. Secunda verò erat hujuſmodi: *An peccet mortaliter, qui actum Dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.*

IV. Recedendum pariter eſt ab opinione Gabrielis à S. Vincentio de remediis Ignorantiæ diſp.12. n.13. dub.1. ubi dicit, hoc Præceptum obligare tertio quoque anno. Nec aſſentiendum puto Tabienæ, & Soto putantibus obligare ſingulis diebus feſtis: ſicuti etiam nec Caſſiano à S. Elia, qui putat obligare ſingulis menſibus.

V. Advertendum eſt hic, quòd duo ſunt peccata contra Charitatem Dei, unum commiſſionis, ſcilicet odium Dei; alterum omiſſionis, nempè cùm Deus vel non diligitur, quando diligi debet, vel non diligitur ea ratione, qua debet diligi, ideſt non diligitur amore appretiativo ſuper omnia. Amari quidem poteſt, & debet à nobis Deus propter æternam retributionem, ſed hæc debet eſſe motivum minùs principale: nam principaliter amandus eſt, quia eſt in ſe ſummè Bonus, & quia ſummè amari meretur.

CAP.

CAP. II.

Quomodo Charitas obliget nos ad amandum Proximum propter Deum: ubi varia de Dilectione Inimicorum.

I. PRæceptum Charitatis erga Proximum obligat nos ad illum diligendum propter Deum, ſicut diligimus noſmetipſos. Intelligendum tamen ad inſtar noſtri, non ad æqualitatem nobiſcum, ſed ad ſimilitudinem, nempè ſicut volumus nobis Bona corporis, & animæ in ordine ad Deum, ita debemus ea velle Proximo.

II. Ex vi hujus Præcepti igitur tenemur diligere primùm noſmetipſos, deindè alios. Neque huic Præcepto ſatisfacimus, ſi tantùm ab actu odii abſtineamus; vel ſi ſolùm exteriùs, & non interiùs diligamus Proximum. Undè meritò damnatæ ſunt ab Innocentio XI. Propoſitiones 10. & 11., quæ ſic habent: *Non tenemur Proximum diligere actu interno, & formali. -- Præcepto Proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

III. Ex quo ſequitur, quòd cum etiam Inimici ſint noſtri Proximi, obligemur proindè eos etiam diligere, non excludendo illos à generali Proximorum dilectione, & oſtendendo illis ſigna communia amicitiæ.

IV. Dixi ſigna communia, nam ſpecialia dilectionis ſigna erga Inimicos non ſunt ex Præcepto, ſed ex conſilio, niſi fortè oriretur ſcandalum, ea non oſtendendo; aut niſi ex corde Inimicus veniam peteret, & ſe paratum ad omnes ſatisfactiones præſtandas exhiberet; aut denique niſi probabilis ſpes eſſet, ut, dato ei peculiaris amoris ſigno, ſpiritualis ipſius ſalus acquireretur. In his enim caſibus, ad ſpecialia etiam ſigna exhibenda ſub mortali obligaremur.

Pec-

V. Peccat proinde mortaliter, qui Inimico ſalutanti, ſalutationem non reddit; aut qui ſalutans Duos, Tertium inſalutatum relinquit, quia Inimicum.

VI. Si Inimicus offerat ſatisfactionem, & ſufficiens tempus ab illata injuria ſit tranſactum, tenemur illi etiam externa remiſſionis ſigna oſtendere, non tamen pacem per contractum inire. Ita Antonius de Eſcobar, & Mendoza è Societate Jeſu gravis, & doctus Author in ſua Theologia Morali tract.5. exam.5. cap.1. Dixi, ſi ſufficiens tempus ab illata injuria ſit tranſactum, quia non obligamur ſtatim poſt illatam injuriam, cum hoc ſit nimis arduum, & humanæ fragilitatis vires excedens: ut ex Azorio, & Filliucio docet Trullenck lib.5. cap.5. dub.5. apud Buſſembaum lib.2. tract.3. cap.2. dub.2. n.3.

VII. Graviter delinqueret, qui Inimicum à communibus orationibus, ab eleemoſynis, à venditione, & emptione expoſitarum mercium excluderet; quia hæc ſunt communia dilectionis ſigna: ita etiam ſi quis aliqua die alios omnes Cognatos invitaret ad nuptias, ad funus, &c. & Cognatum inimicum præteriret: Buſſembaum ubi ſupra dub.2. num.2.

VIII. Imò aliquando tenemur ſub mortali ſpecialia etiam dilectionis ſigna Inimico exhibere, quando ſcilicet tales concurrant circumſtantiæ, ut omiſſio talium ſignorum paritura eſſet ſcandalum, vel odii ſignificationem: verbi gratia, ſi probabiliter provocaturus eſſes Inimicum ad enutriendum odium, ad blaſphemandum, &c.; aut ſi cognoſceres, quòd videntes, te non exhibere ſpecialia illa ſigna, judicaturi eſſent, te odium contra Inimicum conſervare. Ita ex Divo Thoma 2.2. quæſt.25. art.8. & 9. Sylveſter verb. *Charitas*, Suarez de Præcepto Charitatis diſp.5. ſect.5. n.6. Caſſianus à S. Elia in Theologia Expurgata verb. *Amor Proximi* 2. n.27. & 28.

IX. Hic diligenter eſt advertendum, quòd quandò Doctores communiter docent, quòd læſus poteſt juridicè agere ad petendam compenſationem, ſemper id intelligunt cum hac limitatione, dummodò deponatur odium, & non ſequatur ſcandalum, nec odii ſignificatio. Nam ſi

Inimicus non ſatisfecerit, nec ſatisfacere velit, poteſt quidem à Læſo Judicis officium impetrari; ſed cavendum eſt, ne colore Juſtitiæ tegatur odium, ne Inimicus nimium angatur, aut ne aliis illa actione Judiciali odii ſignificatio præbeatur: quæ inconvenientia utique ſequerentur, ſi ille, qui injuriam intulit, ſatisfecit, quantùm potuit, & nihilominùs ad faciendum, quod non poteſt, urgeretur: Pater Caſſianus à S. Elia loco citato num.28. Vincentius Filliucius tract.28. cap.1. quæſt.9. Et cum ipſo Hermannus Buſſembaum loco citato num.4., ubi rectè notat, quòd ſi Læſus agat in Judicio ad pœnam valdè gravem, verbi gratia, Mutilationis, Triremium, Exilii, &c., ex qua Læſo non reſultet commodum, erit grave peccatum vindictæ: excipe, ut advertit Filliucius, niſi hoc faceret ex puro affectu ad Juſtitiam; ſed hoc in praxi erit in his circumſtantiis difficillimum, imò fortaſſe moraliter impoſſibile.

X. Ex eadem ratione valet, quòd ſi Inimicus petat pacem in ſcriptis, & ejus negatio ſit allatura ſcandalum, non tamen Phariſaicum, vel odii ſignificationem, erit graviter peccaminoſum illam negare.

XI. Quandò collocutio in aliquo caſu eſt debita, ille prior debet alloqui, qui prior, vel graviùs læſit: quòd ſi inter duos injuriæ fuerint æquales, utriſque ineſt obligatio procurandi reconciliationem.

XII. Si ab Inimico læſus prævideas fore ut citò eum reſalutando, vel ipſi citò condonando crimen, ſit evaſurus audacior, vel notabile damnum ſit tibi allaturus; poteris per aliquod diſcretum tempus te oſtendere difficiliorem, & tardiorem ad externam reconciliationem. Dixi *ad externam*: nam interiùs deponere odium, & ex corde Inimico offenſam remittere ſemper eſt in Præcepto juxta illud Matthæi 18. *Si non remiſeritis unuſquiſque de cordibus veſtris, &c.*: Eſſe verò aliquantò difficiliorem, & tardiorem ad externam reconciliationem, ut ille ſe emendet, vel ne noceat, eſt quærere ipſi medicinam, & ſibi defenſionem, ſeu præcautionem à malo, quod ab ipſo quis prudenter timet. Undè patet, quòd Superiores

ad

ad Subditorum correctionem, Parentes ad Filiorum emendationem, Uxor ad hoc, ut Maritus abstineat à peccatis, & viceversa, possunt quandoque se austeriores discretè ostendere: dummodò in corde odium non nutriant, sed zelo emendationis alienæ hoc faciant, exequendo illud salubre Sancti Bernardi consilium: *Lingua clamet, & Cor amet.*

XIII. Cum quis, non ex odio, sed ne dolorem sibi renovet aspectu ejus, qui ipsum læsit, vitat habere obvium Inimicum, dummodò id faciat sine scandalo, & odii significatione, non peccat. Quòd si ad præsentiam Inimici experiatur quis perturbationem sanguinis, & humorum alterationem, aut pallorem in membris (qui motus naturaliter oriuntur ex apprehensione, aut præsentia objecti sibi molesti) non peccat, ut cum communi Doctorum firmat novissimè Pater Fœlix Potesta in suo Examine Ecclesiastico tom.1. par.2. de primo Decalogi Præcepto verb. *Charitas erga Inimicum num.*314.

XIV. Ex his colligitur, quòd Confessarius absolvere potest Patrem, qui non vult admittere ad suum colloquium Filium, qui indignè Matrimonium contraxit, dummodò non ex odio, aut vindicta id faciat, sed ad ipsum castigandum, & ad reliquos Filios terrendos, ut ab his Matrimoniis abstineant, & id faciat non in perpetuum, sed pro aliquo discreto tempore: Layman lib.2. tract.3. cap.4. num.4. cum aliis.

CAP. III.

Qui nam sit ordo Charitatis.

I. Dicendum est primò, quòd super omnia diligendus est Deus: Secundò debemus diligere nosmetipsos quoad Bona spiritualia: Tertiò Proximum quoad eadem Bona: Quartò nos ipsos quoad Bona corporalia: Quintò Proximum quoad hæc eadem: Sextò nos, & Proximum

quoad Bona externa. Ita Layman lib.2. tract.3. cap.3., quem ſequitur Buſſembaum loco citato cap.2. dub.1. n.1.

II. Nequit homo deſiderare carere Gratia, vel Beatitudine cum peccato, propter Bonum ſpirituale Proximi: quia carere Gratia, & Beatitudine cum peccato, iſtudque velle, eſt intrinſecè malum. Ita Doctores communiter cum D. Thoma 2. 2. quæſt.26. art.4. Valentia diſp.3. quæſt.4. punct.3. concl.3. Suarez diſp.9. de Charitate ſect.1. Licitum nihilominùs eſt deſiderare, ac petere dilationem Viſionis beatificæ ſine peccato ob Bonum ſpirituale Proximorum: ut fecit D. Paulus ad Philippenſes 1., & Bernardus in Vita S. Martini teſtatur ipſum morientem dixiſſe: *Domine, ſi adhuc Populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem*. Ita Leander de SS. Sacramento tract.4. de Charitate diſp.5. quæſt.6.

III. Extra neceſſitatem extremam in Bonis corporalibus ſuccurendum eſt primò Uxori, quæ eſt una caro cum Viro: Secundò Filiis: Tertiò Parentibus, & Patri priùs, quàm Matri: Quartò Fratribus, & Sororibus, deindè Propinquis, & Familiaribus. Dixi extra neceſſitatem extremam, nam in extrema neceſſitate ex probabiliori ſententia Doctorum apud Caſtropalaum tom. 1. tract.6. diſp.1. de Charitate punct.10. num.13. primò ſuccurrendum eſt Patri, & Matri, quam Uxori, & Filiis.

CAP.

CAP. IV.

De Primo Effectu Charitatis erga Proximum, scilicet de Correctione fraterna.

I. DUo sunt præcipui effectus externi Charitatis erga Proximum; primus est Eleemosyna spiritualis, scilicet Correctio fraterna: Secundus verò Eleemosyna corporalis: in præsenti capitulo, de primo effectu agemus, in posteriori autem de secundo.

II. Correctio itaque fraterna est quædam admonitio, qua prudenter nitimur ex misericordia Proximum à peccato ad Virtutem revocare.

III. Ut Correctionis Præceptum obliget, tria requiruntur. Primò certa peccati notitia: Secundò spes emendationis: Tertiò temporis, & Personæ opportunitas.

IV. Requiritur certitudo moralis peccati Proximi, quia si hanc non habeas, & cum sola probabili conjectura illum de peccato arguas, facies ipsi gravem injuriam, judicando temere ipsum esse in peccato. Ita Doctores communiter, quibus subscribunt Sotus in Opusculo de sigillo memb.2. quæst.2. concl.4. Navarrus cap.24. n.12. Sanchez lib.6. Opusculorum cap.2. dub.1. num.3. Suarez disp.8. sect.3. num.1. Bonaccina disp.3. quæst.4. punct.7. num.7., & Trullenck in Decalogum lib.1. cap.5. dub.14. num.1. Si tamen deest quidem hæc certitudo moralis, adessent verò probabiles conjecturæ, & ex alia parte delictum appareret magni periculi, & esset prudens spes emendationis, nullusque timor exacerbandi illum Proximum; tunc credit Suarez, quòd his omnibus circumstantiis simul concurrentibus, posset adhiberi correctio: sed quia raró dabitur casus, ut omnes prædictæ circum-

stan-

ſtantiæ concurrant, propterea ſumma Prudentia opus eſt.

V. Sine ſpe emendationis non eſt Proximus corripiendus, quia finis intrinſecus correctionis eſt emendatio Fratris: ergo quando hæc prudenter non ſperatur, caret ſuo intrinſeco fine, atque adeò, utpotè vana, non eſt adhibenda, dicente Spiritu Sancto Proverbiorum 9. *Noli arguere deriſorem, ne oderit te*: & Auguſtino, relato in Cap. *Si quis;* de Pœnitentia diſt. 7. *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te arguerem.* Ita omnes Theologi cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 33. art. 6.

VI. Non eſt tamen neceſse, quòd ſperetur fructus ſtatim colligendus, ſed ſatis eſt, ſi ſperetur futurus decurſu temporis. Ita cum communi Oviedus controv. 11. punct. 7. num. 66., & Leander de SS. Sacramento tract. 6. de Correctione diſp. 2. quæſt. 16.

VII. Si aliquando etiam poſt tertiam Correctionem non videmus Fratrem emandatum, debemus iterum, & iterùm corrigere, quandiu ſit prudens ſpes, fore, ut emendetur. Verba enim Matthæi 18. non ſunt accipienda, ut quidam putant, reſtrictivè ad trinam monitionem, ſed nomine trinæ monitionis ampliativè intelligenda venit quæcumque monitio, quæ profutura ſperatur. Ita Doctores communiter, ques ſequuntur Thomas Sanchez lib. 3. de Matrimonio cap. 13. num. 3. Sylveſter verb. *Correctio* quæſt. 5. Tabiena eodem verbo num. 7. Sotus de Secreto memb. 2. quæſt. 4. poſt quintam concluſionem. Petrus Navarrus lib. 2. de Reſtitut. cap. 4. par. 2. dub. ult. in ſecunda editione num. 136. Joannes Sanchez in Selectis diſp. 6. num. 9., & ante ipſos docuerunt Abulenſis cap. 18. in Matthæum quæſt. 106. D. Thomas 2. 2. quæſt. 33. art. 8. ad primum. D. Antoninus 2. par. tit. 9. cap. 6. §. 4., quidquid in contrarium doceant Bonaccina, & Leander de SS. Sacramento loco citato quæſt. 17.

VIII. Si quis verò prudenter dubitet Correctionem nociturам, tenetur illam omittere. Ratio eſt, quia inquit Oviedus, melius eſt, Proximum in periculum, quod independenter à me patitur, relinquere, quàm illud in aliud novum conjicere: & ſicut non ſunt facienda mala,

ut

ut eveniant Bona, ita non debeo me exponere periculo nocendi Proximo propter contingentiam illi benefaciendi. Ita ille controv.11. punct.7. num.69. Suarez disp.8. sect.3. num.3. Castropalaus tom.1. tract.6. disp.3. punct.5. n.4. Gaspar Hurtadus disp.6. difficult.7. Tannerus disp.5. dub.4. Lorca disp.44. num.10. Petrus Hurtadus disp.162. sect.6., & alii contra Adrianum.

IX. In extremo tamen vitæ periculo, quando probabiliter creditur Proximus moriturus in mortali, debet fieri Correctio, etiam in dubio, an sit profutura, vel nocitura: quia, si tunc omittatur, gravissimum, & irreparabile est damnum, at si fiat, fortasse proderit. Sic cum communi sententia Castropalaus loco citato punct.5. n.6.

X. Neque etiam debet in ullo casu omitti Correctio, ex qua probabiliter speratur fructus, licèt aliqua tristitia, & mæror in corrigendo sit indè sequuturus: sìc enim fecit D. Paulus 2. Corinth.7. Ita Suarez disp.8. de Correctione sect.3.

XI. Quoad opportunitatem temporis, & Personæ, hæc est maximè attendenda, ut pluribus in locis docet D. Augustinus; ac proindè si videamus, quòd differendo Correctionem ad tempus opportunius, obtinebimus fructum emendationis, quem nunc prudenter non speramus, debemus differre, quamvìs eo intermedio tempore Proximus aliquod grave peccatum sit commissurus: permissio enim talis mali compensatur certitudine emendationis, & majoris profectus. Ita Castropalaus loco citato n.7. Sotus quæst.2. de Secreto concl.6. Hadrianus in Quartum quæst. de Correctione, Villalobos de Correctione num.6. Filliucius tom.2. tract.28. cap.6. n.239. Thomas Sanchez tom.2. Opusculorum lib.6. cap.2. dub.1. num.7., & alii contra Franciscum Dicastillum, Reginaldum, Trullenck, aliosque nonnullos, qui minùs probabiliter docent, non esse licitum differre Correctionem.

XII. Si autem certò, vel probabiliter credas delinquentem vel à se ipso, vel ab alio corrigendum, non teneris tunc corrigere, quia tunc Proximus non indiget illa tua spirituali Eleemosyna. Ita Castropalaus disp.3. punct.6.

punct. 6. num. 5. Diana par. 7. tract. 3. resol. 25., & alii communiter.

XIII. Omnes Personæ, cujuscumque conditionis fuerint, tenentur corripere Proximum: Superiores ut plurimum obligantur sub mortali: Privati sæpiùs à mortali excusantur, si non corripiant, quia frequenter respectu ipsorum deficit vel sufficiens notitia peccati, vel spes emendationis, vel necessitas Correctionis: verbi gratia, quia timent sibi grave detrimentum, vel denique, quia aliquandò tantus est in illis pudor, verecundia, & timor, ut valeant se difficillimè vincere, quod satis est, ut excusentur à mortali, si non corripiant, ut firmant Sa verb. *Correctio*, Gaspar Hurtadus disp. 6. de Correctione difficult. 8. Granadus disp. 1. n. 7. Suarez disp. 8. sect. 3. Joannes Sanchez in Selectis disp. 6. num. 9. Diana par. 4. tract. 4. resol. 228. Machadus tom. 1. lib. 2. par. 2. tract. 6. docum. 11. num. 7. Oviedus Controv. 11. punct. 7. num. 80., & Castropalaus disp. 3. de Charitate punct. 6. num. 2.

XIV. Cæterùm, per se loquendo, etiam subditi, cum necessitas exigit, tenentur suos Superiores corripere, quia etiam ipsi sunt Proximi; & cum hoc Præceptum, utpotè naturale, tendat ad omnes Proximos juvandos, non excludit hanc obligationem in Inferioribus erga Superiores. Ita D. Augustinus in Regula, & in Epist. 19., ubi id probat exemplo Pauli, qui in faciem restitit Petro. Idem docet D. Gregorius Epistola ad Nicacium, & habetur in Cap. *Sicut* 2. quæst. 7., & communiter omnes Theologi cum D. Thoma quæst. 33. art. 4.

XV. Servandæ tamen sunt in eo casu tres præcipuè conditiones: prima est, ut talis admonitio sit potiùs humilis obsecratio, fiatque cum magna reverentia, dicente Apostolo ad Timotheum 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra, ut Patrem:* secunda, ut non corripiatur publicè, sed secretò, quia si publicè reprehendantur vitia Superiorum, generant scandalum; præbetur enim Subditis occasio murmurandi, & eos contemnendi. Tertia, ut talis Correctio fiat à Subditis gravioribus; si autem hi absint, non debent alii Correctionem facere.

Hinc

XVI. Hinc fit, ut Concionatores debeant omninò cavere à reprehensione Superiorum, & Principum, quia fere semper generatur scandalum, & murmurationibus, ipsorumque Principum contemptui aditus aperitur. Vitia igitur generaliter corripiant, sed Personas omninò non lædant: Satyricum enim dicendi genus à Divini verbi Præcone alienissimum est.

XVII. Is ordo in Correctione est servandus, qui fuit à Christo Domino præscriptus, nempè ut supposita certitudine morali peccati Proximi, quæ significatur illis verbis, *si peccaverit in te*, idest te certò sciente, ut exponunt communiter omnes, fiat Correctio inter te, & ipsum solum. Secundò, si hæc non proderit, adhibeatur unus, vel duo, quos tu prudenter judicaveris aptos ad Correctionem cum fructu faciendam. Tertiò, ut si nec ista suffecerit, dicas Ecclesiæ, videlicet Superiori tamquam Patri, idest cujus Pietas, & Prudentia nota tibi suadeat, ipsum paterno amore correctionem adhibiturum. Quòd si Superior sit immisericors, aut iracundus, & præcipitosus, cave, ne Subditi errorem illi denuncies, quia non habes prudens fundamentum credendi, quòd sit facturus Correctionem, ut fieri debet.

XVIII. Talem ordinem cadere sub Præcepto naturali certum est, cum ipsa Natura dictet, corripiendum esse Proximum, ut lucremur eum, non ut illum infamemus, nec ut ei noceamus: undè Correctio debet fieri cum minori famæ jactura, quæ possit; & propterea primò corripiendus est sine Testibus, ut notat Castropalaus tom.1. tract.6. disp.3. punct.8. num.4. Gaspar Hurtadus disp.6. difficult.12.: & ulteriùs esse hoc Præceptum Divinum communissimè docent Doctores cum D. Thoma 2. 2. quæst.33. art.7., & declarare videtur Innocentius III. in Cap. *Cum ex injuncto* de Hæreticis.

XIX. Quando tamen daretur casus, in quo ego prudenter non sperarem Proximum emendandum, si secretò moneam, nec etiam si unius, vel duorum Testium operam adhibeam, debet tunc deferri ejus crimen ad Superiorem. Ita Hurtadus Disp.163. sect.5. subsect.30. §.230., & Suarez Disp.8. sect.7. n.17.

XX. Idem dicendum eſt, quando peccatum eſt notorium notorietate facti, poſſe ſcilicet ſtatim deferri ad Prælatum, quia tunc ceſſat finis corripiendi ſecretò, cum jam laboret infamia. Undè Paulus 1. ad Timotheum 5. de publico Peccatore inquit: *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant*. Ita D. Thomas quæſt.33. art.7. Diana part.7. tract.3. reſol.42., & Caſtropalaus diſp.3. punct.13. num.3.

XXI. At ſi conſtet, Fratrem jam eſſe emendatum de peccato occulto, nec timeatur prudenter, ipſum eſſe relapſurum, non licet eum denunciare Prælato, quia tunc ceſſat finis Correctionis; & denunciare ipſum eſſet infamare ſine cauſa, quod eſt mortale, quando materia eſt gravis; ut cum Cardinale de Lugo firmat Buſſembaum loco ſuperiùs citato dub.4.

XXII. Superiores tenentur aliquando Subditorum delicta inquirere, ut corripiant: non tamen multùm, & curioſè debent interrogare de aliquo in particulari, niſi ipſe ſpeciale aliquod ſignum dederit ſui peccati. Sicuti nec debent facilè admittere Delatores ſpontaneos, quia ſi admittant, non pauci accedent, qui ſub ſpecie Charitatis Proximos calumnientur, & infament. Diana par.7. tract.3. reſol.10. & 12. Epiſcopi, Prælati, & Parochi obligantur etiam cum vitæ periculo ad Correctionem Subditorum, quia ex Juſtitia ad illam adhibendam tenentur: Hurtadus tom.2. diſp.162. ſect.5. §.45., & communiter omnes.

XXIII. Qui verò peccat ex ignorantia, corripi debet, ſi ignorantia ſit vincibilis: ſi autem ſit invincibilis, & ex alia parte non ſperetur fructus, relinquendus eſt in ſua ignorantia, & bona fide, dummodò tamen ejus peccatum non redundet aut in grave damnum Proximi, aut in ſcandalum: Bonaccina diſp.3. quæſt.4. de Charitate puncto 7. num.11.

CAP.

CAP. V.

De ſecundo effectu Charitatis erga Proximum, Eleemoſyna ſcilicèt Corporali.

I. PRæcepto naturali, & Divino tenemur facere Eleemoſynam. Ratio enim naturalis dictat, ut homo homini benefaciat, & quod nobis volumus, alteri faciamus. Eſſe verò Præceptum Divinum, plurima Sacræ Scripturæ teſtimonia manifeſtant: & præcipuè quod habetur Matthæi 25: *Diſcedite à me, Maledicti, in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi potum, &c.*, & ad Timotheum 1. cap.6. *Divitibus hujus Sæculi præcipe facilè tribuere, &c.*

II. Hìc adverto, varias eſſe Theologorum ſententias circa hoc Præceptum Decalogi, nempè in quo nam ex decem contineatur Præceptum dandi Eleemoſynam. D. Thomas 2. 2. quæſt.32. art.5. ad 4. ſentit contineri in Præcepto honorandi Parentes, quia tendit ad Pietatem: alii cum D. Ambroſio ejus verba tenentes: *Si non paviſti, occidiſti*, putant contineri ſub quinto Præcepto: *Non occides*. Ita Hurtadus diſp.5. diffic.4., & probabile putat Lorca ubi ſupra num.3. Alii ex Alberto Magno in Quartum diſt.15. art.16. affirmant contineri in ſeptimo Præcepto non furandi, quia in extrema neceſſitate negare Eleemoſynam videtur furtum. Alii denique probabiliùs dicunt pertinere ad Præceptum Charitatis erga Proximum, nam vi hujus Præcepti tenemur gravibus Proximorum neceſſitatibus ſuccurrere: Ita Arriaga 2. 2. diſp.42. Ægidius Coninck, Villalobos, aliique, quos citat Leander de SS. Sacramento tom.6. tract.5. diſp.2. quæſt.3.

III. Adeò ſtrictum eſt Præceptum dandi Eleemoſy-

nam, ut multi, & graves Theologi doceant, ipſum obligare non ſolùm ex Charitate, ſed etiam ex Juſtitia. Ita Alexander de Ales par.4. quæſt.113. memb.1. Cajetanus 2. 2. quæſt.118. art.3. Sarmiento lib.1. de Redditibus Eccleſiaſticis par.3. cap.1. concl.3. Arragona 2. 2. quæſt. 32. art.5. concl.2., & videntur inſinuare D. Baſilius Oratione in Divitem, Sanctus Ambroſius ſerm.81., & Auguſtinus in Pſalm.147. Communis tamen ſententia eſt, obligare ſolùm ex Charitate, ut innumeros citans, firmat Leander de SS. Sacramento loco citato quæſt.5.

C A P. VI.

Quando nam, & quos obliget Præceptum faciendi Eleemoſynam.

I. UT ſcire poſſimus, quando nam hoc Præceptum obliget, prænotandum eſt, neceſſitatem aliam eſſe Extremam, aliam Gravem, aliam Communem. Extrema eſt, cum quis eſt in probabili periculo mortis, vel corporalis, vel ſpiritualis: verbi gratia, proſtituendi Filiam, &c. Gravis eſt, cum adeſt probabile periculum gravis damni, vel temporalis, vel ſpiritualis: Communis eſt ordinaria indigentia, propter quam vulgò Pauperes emendicant.

II. Prænotandum inſuper eſt, ex Bonis ad vitam corporalem conducentibus alia eſſe Neceſſaria, alia Superflua. Neceſſaria ſubdividuntur in neceſſaria ad vitam, & neceſſaria ſtatui. Neceſſaria vitæ dicuntur, quæ ad ejus conſervationem requiruntur. Neceſſaria ſtatui, quæ requiruntur ad decentiam ſtatus, & conditionis: verbi gratia, Principis, Marchionis, Equitis, Civis, &c. Superflua dicuntur, ſine quibus tum vita, tum decentia ſtatus conſervari poſſunt. His prænotatis.

Dico:

III. Dico : in extrema neceſſitate conſtituto tenemur dare Eleemoſynam, non modo ex ſuperfluis, ſed, ſi hæc non adſint, etiam de neceſſariis ad decentiam ſtatus: quia vita Proximi decentiæ ſtatus eſt anteponenda. Ita Doctores communiter, quibus ſubſcribunt Trullenck lib.1. in Decalogum cap.5. dub.8. n.5. Azorius tom.2. lib.12. cap.7. quæſt.5. Thomas Sanchez in Conſiliis lib.1. cap.5. dub.5. num.28. Baſſeus verb. *Eleemoſyna* num.4. Toletus lib.8. cap.34. Valentia punct.4. de Eleemoſyna, Sylvius 2. 2. art.6. quæſt.1. Diana par.5. tract.8. reſol.7. Suarez diſp.7. de Charitate ſect.4. num.3. Vaſquez in Opuſculo de Eleemoſyna cap.1. num.10. & 25. Gordonus tom.2. lib.6. quæſt.14. cap.4. Granadus diſp.2. ſect.1. n.5. Becanus cap.21. dub.4. Layman lib.2. tract.3. cap.6. Machadus tom.1. lib.2. tract.6. docum.6. n.3. Tannerus quæſt.3. dub.2. Medina Cod. de Eleemoſyna quæſt.3. dub.2. Arragona 2. 2. quæſt.32. art.5. Gabriel Biel D. 16. quæſt.4. art.2. aliique plurimi cum D. Thoma 2. 2. quæſt 32. art.5. Undè non video, quomodo Leander à SS. Sacramento loco citato quæſt.17. ſuam oppoſitam ſententiam appellaverit probabiliorem, quam Azorius dicit eſſe inhumanam.

IV. Illud tamen libens concedo Patri Leandro à SS. Sacramento, quòd ſcilicet non teneatur quis totaliter excidere à ſui ſtatus decentia, ut ſuccurrat Próximo in extrema neceſſitate conſtituto. Hoc enim nimis durum videtur, & ſupra humanæ Naturæ fragilitatem, ut benè probat argumentum ipſius Leandri tr.5. diſp.2. quæſt.17., & P. Arriagæ 2. 2. diſp.43. ſect.3. ſubſect.3. n.35. Quòd autem non teneatur quis dare Eleemoſynam extremè indigenti ex neceſſariis ad conſervationem proprii ſtatus, etiam quando ex Eleemoſyna partialiter tantùm à proprio ſtatu excideret, improbabile omninò exiſtimo.

V. Pauperi extremè indigenti non ſufficit dare mutuum, aut vendere cum pacto, ut ſolvat pretium, ſi ad pinguiorem fortunam devenerit, quia cum Præceptum Eleemoſynæ ſit, ut detur ſubſidium indigenti, debet dari ſine onere : & ſicut eſt certum, quòd ſi extremè indigens

ſur-

ſurripiat in neceſſitate ſuum ſubſidium, non obligatur illud reddere, quando pervenerit ad meliorem fortunam, quia ſurripuit, ſeu, ut meliùs loquamur, quia accepit ſuum, cum in ea neceſſitate omnia ſint communia; ita qui illi aliquid dat, non poteſt tunc dare cum onere, ut, ſi aliquando poſſit, reſtituat: Valentia 2. 2. tom.3. diſp.3. quæſt.9. punct.4. Suarez de Charitate diſp.7. ſect.5. Arragona 2. 2. quæſt.118. art.5. Granadus, Sotus, Lorca, Becanus, & Bonaccina contra Navarrum, Covarruviam, Toletum, & alios, quorum opinionem probabilem vocat Leander loco citato quæſt.22.

VI. Ex eadem ratione convincitur, quòd non ſatisfit Præcepto dandi Eleemoſynam Pauperi exiſtenti in gravi neceſſitate dando illi mutuum, aut vendendo; quia licèt exiſtenti in gravi neceſſitate non debeamus ſuſtentationem, tamquam ex Bonis ſuis, ſcilicet communibus; debemus tamen titulo Eleemoſynæ, de cujus ratione eſt, ut ſit donatio ſine onere. Ita cum communi Caſtropalaus diſp.2. punct.4. num.6. de Charitate.

VII. Rogabis, an patiens extremam neceſſitatem poſſit implorare officium Judicis, ut cogat Divitem ad largiendam ſibi Eleemoſynam? Reſpondeo, quòd Pauperes in extrema neceſſitate non habent actionem contra Divites; poſſunt tamen Judicis officium implorare, ut cogat eos ad ſubveniendum. Ita Leander loco citato quæſt.29., ubi citat pro hac ſententia Tiraquellum, Angelum, Sylveſtrum, Butrium, Imolam, Panormitanum, & Sanchez. Imò etiam in gravi neceſſitate poſſe Pauperes Judicis officium implorare, & hunc debere cogere Divites ad eorum gravibus neceſſitatibus ſubveniendum, probabilius cenſeo cum eodem Leandro quæſt.28. Arragona 2. 2. quæſt.32. art.5. Cajetano 2. 2. quæſt.118. art.3. Utroque Navarro, Martino ſcilicet, & Petro, Palacio, Angelo, Sylveſtro, & Sanchez ab eo relatis: quamvìs non deſint Doctores probabiliter etiam contrarium docentes: Covarruvias 3. Variar. cap.15. num.5. Sarmiento 3. par. de Redditibus Eccleſiis cap.4. Spino in Specul. Teſtament. Gloſſ.6. num.8., & alii.

Du-

VIII. Dubitari poteſt, an extremè indigens, antequam ſubripiat id, quod ſibi eſt neceſſarium, debeat rogare Divitem, ut ſibi illud concedat. Ad hoc dubium reſpondeo, quòd ſi ſperet, ſe facilè obtenturum petendo, debet petere, cum æquitas poſtulet, ut petat, quod donatione poteſt accipere. Si tamen dubitet, ſe non obtenturum, nullatenùs peccat non petendo. Si verò in primo caſu negligat petere, communis Doctorum ſententia eſt, illum ſolùm venialiter peccare, quia ſolùm pervertit ordinem in accipiendo, non autem uſurpat alienum quantùm ad ſubſtantiam, cum accipiat proprium. Ita Leſſius lib.2. de Juſtitia cap.12. dub.12. num.*66.* Caſtropalaus diſp.2. punct.9. num.2. Leander loco citato quæſt.31. & alii. Quòd ſi indigens ſit nobilis Familiæ, aut talis conditionis, ut petere afferat illi magnum pudorem, nullum peccatum committet, ſi, non petendo, ſurripiat. Ita Dicaſtillus tom.1. de Juſtitia lib.2. tract.2. diſp.9. dub.9. num.249.

IX. Quòd ſi extremè indigens nequeat per ſe ipſum ſurripere, non peccabit alius, qui ejus nomine id faciat. Ita D. Thomas 2. 2. quæſt.*66.* art.7. ad 3. Leſſius lib.2. cap.16. dub.1. num.14., & Diana cum aliis. Imò ſi Dominus vel hunc, vel extremè indigentem ſciat ſurripere ad ſublevandam extremam neceſſitatem, peccat graviter, ſi impediat, poteritque ſurripiens ipſi reſiſtere etiam occidendo, ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Leſſius lib.2. cap.12. dub.12. num.69. Coninck diſp.27. dub.10. n.169. Caſtropalaus diſp.2. de Charitate punct.9. num.3. Dicaſtillus ubi ſupra dub.9. num.252. & alii.

X. Quid verò dicendum de patiente non extremam, ſed gravem tantùm neceſſitatem? Licebit ne huic occultè aliena ſurripere? Reſpondeo, non licere, quia gravis neceſſitas non reddit omnia communia, ut reddit extrema; ergo qui in illa ſurriperet, furaretur, quod eſt intrinſecè malum. Quarè in Cap. *Si quis*, de Furtis, dicitur: *ſi quis ob neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, aut pecus, pœniteat per hebdomadas tres:* non imponeretur autem à Sacris Canonibus pœnitentia

tentia pro furto ex gravi neceſſitate facto, niſi hoc eſſet illicitum. Ita Sotus lib.5. de Juſtitia quæſt.3. art.4. Covarruvias in Regula *Peccatum* punct.2. §.1. num.3. Suarez diſp.7. de Charitate ſect.5. num.8. Granadus 2. 2. controv.3. tract.2. diſp.7. num.4. Azorius par.2. lib.12. cap.8. Turrianus 2. 2. diſp.82. dub 8. Reginaldus tom.1. lib.4. cap.20. num.267., & alii communiter. Undè meritò Summus Pontifex Innocentius XI. damnavit illam Propoſitionem, quæ eſt 36. inter damnatas ab eodem, quæ dicebat: *Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Undè non eſt ampliùs probabilis opinio, quæ aſſerebat id eſſe licitum, pro qua ſententia plures Doctores citat, ſequiturque Leander loco citato quæſt.35. niſi fortè intelligatur loqui, non de neceſſitate gravi in ſua latitudine, ſed de graviſſima, quæ ferè cum extrema coincidat; in quo ſenſu conatus eſt hanc opinionem ſalvare Celebris Pater Caſſianus à S. Elia Carmelita Excalceatus in ſua Theologia Expurgata verb. *Furtum*.

XI. Advertendum eſt, quòd qui rem alienam ex contractu, verbi gratia, mutui, ante extremam neceſſitatem accepit, licèt ipſam in extrema neceſſitate conſumpſerit, tenetur poſtea, ſi in meliorem ſtatum devenerit, illam reſtituere: quia cum ante neceſſitatem translatum fuiſſet dominium, providit ſibi de ſuo in illa neceſſitate, atque adeò debitum, quod contraxerat, non eſt extinctum. Ita communiter Doctores, quibus adhæret Leander loco citato quæſt.38.

XII. Si autem in ea neceſſitate conſumpſerit rem, quam antea acceperat ex contractu non translativo dominii, verbi gratia, ex Commodato, non tenetur eam reſtituere, ſicuti nec reſtituere tenetur rem furto ablatam, ſi hanc in eadem neceſſitate conſumpſerit: quia cum tempore extremæ neceſſitatis illa res facta fuerit communis, currit eadem regula tam de hac, quàm de aliis rebus. Ita Caſtropalaus tom.1. tract.6. diſp.2. punct.10. num.3.

XIII. Quòd ſi Creditor, & Debitor, ſive ex contractu,

tractu, sive ex furto sint simul in extrema necessitate, adhuc communis sententia Doctorum est, non teneri Debitorem tradere rem Creditori, sed licitè posse cum ipsa propriæ extremæ necessitati consulere: rationem reddit doctissimus Dicastillus lib.2. de Justitia tract.2. disp.10. dub.3. num.27., quia res illa in necessitate extrema fit communis, & potest eam quisque sibi accipere, quia cessat ratio dominii, jure Gentium introducti, ac proindè res taliter se habent, ac si nunquam fuissent divisæ. Ita Valentia tom.3. disp.5. quæst.6. punct.7. Azorius tom.3. lib.4. cap.39. diffic.1. Lessius, Tabiena, Cajetanus, Ledesma, Toletus, & Bonaccina disp.3. de Charitate quæst.4. punct.6. num.14. contra Medinam Codice de Restitutione quæst. 3. cap. 4. & alios, quorum sententiam approbat Diana par.5. tract.8. resol.11. in casu, quo pressus extrema necessitate abstulisset rem à Domino æquali necessitate laborante. Sed Leander loco citato quæst.42. docet cum Dicastillo ubi supra num.27., nec etiam in hoc casu teneri ad restituendam rem ablatam, quia etiam in tali eventu res est communis.

XIV. Homines privati non tenentur inquirere Pauperes, ut eorum indigentiæ subveniant; si tamen dubitari prudenter possit in particulari de extrema, vel gravi alicujus necessitate, inquirere obligantur: Sanchez, & Diana apud Bussembaum lib.2. tract.3. cap.2. dub.3.

XV. Quando occurrunt vulgares Pauperes, qui nuditate, morbo, &c. videntur ostendere necessitatem, rarò tenemur sub mortali illis subvenire; tum quia ad movendos Spectatores plerumque ea fingunt, tum quia ab aliis pluribus juvari præsumuntur: Diana par.5. tract.8. resol.17.

XVI. Nulli etiam diviti facilè neganda est absolutio ex eo, quòd Pauperes ab Eleemosynis repellat. Ita ex Layman, Bussembaum lib.2. tract.3. cap.2. dub.3. Videndum tamen est, an eas in gravibus, vel communibus necessitatibus eroget. Advertendum quoque est ad illam Propositionem 12. inter damnatas ab Innocentio XI., quæ dicebat. *Vix in Secularibus invenies, etiam in Regibus,*

bus, ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad Eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

XVII. Notandum etiam eſt hic, non eſſe damnandos Principes, & Magiſtratus, qui Advenas pauperes à ſuis Civitatibus arcent, juſtis intervenientibus cauſis, ut ſi id faciant, quia utriſque ſatisfieri non poſſit: in hoc enim caſu Pauperes domeſtici peregrinis ſunt præferendi; aut quia peregrini ſæpè inferunt morbos, corruptelas, hæreſes, contentiones, proditiones, & ſimilia pacis, & tranquillitatis Reipublicæ perturbativa; ut rectè advertunt Trullenck lib.1. cap.5. dub.10., & Layman lib.2. tr.3. cap.6.

CAP. VII.

Qui nam poſſint facere Eleemoſynas, & de quibus Bonis poſſint hæ fieri; ubi an Uxor de Bonis Mariti, Religioſi de Bonis Monaſterii, &c.

I. EXtra caſum neceſſitatis, omnes, & illi ſoli poſſunt facere Eleemoſynam, qui habent dominium, & adminiſtrationem. Ita cum communi Doctorum Caſtropalaus tom.1. tract.6. diſp.2. punct.13. num.1.

II. Undè reſolvitur primò: Servus, ſeu Mancipium nequit facere Eleemoſynas de rebus ab ipſo comparatis, quia quidquid ipſe lucratur, Domino lucratur. Si tamen habeat peculium proprium, verbi gratia, vel quia Dominus id ei permittit, vel quia acquiſivit aliquid per gratitudinem obſequii alteri præſtiti, ſine præjudicio Domini, vel in compenſationem injuriæ ſibi illatæ, quia hæc in Domini poteſtatem, & Dominium non recidunt, poteſt ex his facere Eleemoſynas; ſicuti poteſt ex cibis, vel

vel pecuniis sibi à Domino destinatis, quas ipse subtrahit propriæ substentationi sine præjudicio Domini. Dixi *sine præjudicio Domini*, nam si sibi ea subtrahendo, alia Domini insumeret, aut redderetur inhabilis ad præstandum Domino debitum famulatum, non liceret ei hoc facere, ut rectè advertit Castropalaus tom.1. tr.6. disp.2. punct.13. num.3.

III. Secundò: Minores, Pupilli, & Prodigi, quibus Tutor, vel Curator datus est, nequeunt Eleemosynas facere, quia, licèt sint Domini suorum Bonorum, non habent ipsorum administrationem. Sìc omnes Theologi, inter quos videantur Cardinalis de Lugo tom.1. de Justitia disp.2. sect.1., & Lessius lib.2. cap.18. dub.11. n.77. & 81., qui tamen ex quadam æquitate ipsis concedunt, quòd possint facere parvas Eleemosynas, sicuti etiam idem concedit Castropalaus, & Diana par.5. tract.8. resol.35., si verò prædicti magnas Eleemosynas faciant sine Tutorum, vel Curatorum consensu, vel alio modo donent, validè quidem donant, quia verè Domini sunt, peccant tamen, sed raro mortaliter; & qui accepit non tenetur reddere antequam à Tutore, vel Curatore repetatur, vel nisi ipse Donator petat restitutionem in integrum. Lessius loco citato num.81. Molina disp.224. 261. & 277. de Justitia, aliique apud ipsos.

IV. Tertiò: Tutores, & Curatores possunt de Bonis Pupillorum, & Minorum moderatas Eleemosynas facere, eas videlicèt, quas Pupilli, & Minores verisimiliter facerent, vel facere deberent, si apud ipsos esset libera suorum Bonorum administratio; quia censeri non debet ipsis commissam esse tutelam contra bonos Mores, & contra Misericordiam erga Pauperes habendam: Reginaldus tom.1. lib.4. de Eleemosyna cap.21. n.270. Diana par.5. tract.8. resol.35. Ob eamdem rationem potest Tutor pro Pupillo donare, & consueta munera Consanguineis, Benefactoribus, aut Amicis mittere. Ita Joannes à Cruce Dominicanus in Directorio Conscientiæ præcept.7. quæst.1. de Dominio art.3. dub.4. concl.2., & Ludovicus Lopez ex eadem Religione S. Dominici lib.2. Instructorii cap.40.

V. Quartò : Filiusfamiliàs non potest facere Eleemosynas de Bonis Parentum, neque de Adventitiis, quia licèt habeat de his dominium proprietatis, non habet tamen usumfructum, quia hic ad Patrem pertinet : multò minùs de Profectitiis, quia hæc non modò quoad usumfructum, sed etiam quoad proprietatem sunt Patris. Excipe tamen casum, in quo Pater nullas faceret Eleemosynas: Sìc Diana par.5. tract.8. resol.25. ex Petro Hurtado in 2. 2. disp.159. sect.6. §.139. similiter poterit, quando consentiente Patre peregrinatur, aut in scholis versatur, aut absens à Domo Paterna negotia ageret : in his enim casibus poterit eas Eleemosynas in Pauperes erogare, quas alii Filiifamiliàs paris conditionis consueverint. De Bonis verò Castrensibus, vel quasi Castrensibus, cum de his plenum dominium, & liberam administrationem habeat, poterit quantùm libuerit, in Pauperes distribuere, aut alienare. Poterit pariter Eleemosynas facere de iis, quæ sibi subtrahat de congrua sustentatione, aut de concessis à Patre ad honestam recreationem. Ita Diana loco citato, & Castropalaus disp.2. punct. 13. num.8. De acquisitis verò per ludum non potest, secundùm aliquos Doctores, Eleemosynas facere, absque expresso, vel tacito Patris consensu. Rebellus tamen insignis è Societate Jesu Theologus 2. par. de Obligation. Justitiæ lib.12. quæst.4. putat Filiumfamiliàs de acquisitis per ludum posse licitè facere Eleemosynas, donare, ludere, &c. : quia, quod acquirit ludo, sibi acquirit, non Patri, sicuti quidquid ludo perderet, non Pater, sed ipse teneretur solvere. Sed hæc doctrina procedere tantùm potest in foro Conscientiæ, non autem in foro externo.

VI. Quintò : Uxor de Bonis paraphernalibus potest facere quascumque voluerit Eleemosynas, quia horum Bonorum habet dominium, ac plenam administrationem. Item moderatas Eleemosynas facere potest, quas aliæ Fœminæ similis conditionis solent ex Bonis communibus : & id etiam in casu, quo Vir dictas Eleemosynas ipsi vetaret, quia, ut inquit Dicastillus, ipsa Consuetudo dat jus, non secus ac Lex, & privilegium, quo jure non potest illam

illam privare Maritus: & sanè, cum Uxor non sit serva, sed socia, sicuti nequit Vir eam ornamentis, famulatu, recreationibus, ceterisque aliis rebus privare, quæ Fœminis ejusdem conditionis in eo loco conveniunt; ita nec privare potest facultate moderatas Eleemosynas elargiendi: sic cum communi Doctorum citatus Dicastillus lib.2. de Justitia tract.2. disp.9. dub.8. num.198. Lessius lib.2. cap.12. dub.14. num.85. Molina disp.274. Petrus Navarra lib.3. cap.1. par.2. dub.6. num.83. Tamburinus in Decal. lib.8. tract.1. cap.2. §.3. num.7. Diana par.2. tract.1. Miscell. resol.33. & alii, quos citat, sequiturque Leander de SS. Sacramento tract.5. de Eleemosyna disp.3. quæst.23. Potest pariter Uxor ex assignatis sibi à Marito pro victu, & vestibus Eleemosynas facere, si parcè vivendo aliquid ex assignatis non consumpserit: hoc enim totum potest liberè donare cui voluerit, ut cum communi Doctorum firmat Molina tom.2. tract.2. disp.274., & Filliucius tom.2. tract.28. par.1. cap.4. quæst.8. n.102.

VII. Dubitatur ab aliquibus, an Uxor possit parvas, & moderatas illas Eleemosynas simul congregare, & deindè totam illam summam uni Pauperi, sive consanguineo, sive non consanguineo tribuere? Ad hoc respondetur, quòd possit, quia cum jam illas pluribus Pauperibus distribuere valeat, non apparet ulla implicantia, cur nequeat omnes simul uni, & eidem Personæ tribuere. Ita Molina tom.1. disp.174. num.12. Cardinalis de Lugo disp.16. sect.4. num.72., & Tamburinus in Decalog. lib.8. tract.1. cap.2. §.3. num.12.

VIII. Sextò: potest Uxor tribuere Eleemosynas (etiam non petita facultate à Marito) Patri suo, vel Matri, aut Filiis ex priori matrimonio susceptis indigentibus: imò etiam suis Fratribus, & Sororibus: dummodò tamen non habeat de propriis Bonis, cum quibus prædictorum necessitati succurrere possit. Ita Tamburinus loco citato num.11. Vide tamen limitationem ibi ab eo traditam.

IX. Circa quantitatem verò, quam possit Uxor in Eleemosynis, & donationibus insumere ex Bonis communibus, sine Viri consensu, variæ sunt Doctorum sententiæ.

Alii

Alii enim dicunt, non poſſe deſignari certam quantitatem, ſed id ſtatuendum eſſe à Viro docto, & prudenti, qui eam deſignet, attentis facultatibus Viri, & dote Mulieris, neceſſitate, & multitudine Pauperum, & conſuetudine aliarum ſimilium Mulierum. Ita cum Tamburino Leander loco ſupra citato quæſt.35. Alii cenſent, poſſe Uxorem quotannis dare duos aureos, ex ſingulis centum. Ita Thomas Tamburinus loco citato num. 14. Alii denique exiſtimant, poſſe diſtribuere vigeſimam partem lucri, ſeu reddituum annualium. Ita Dominicus Bannes Sacri Ordinis Prædicatorum Auctor graviſſimus in 2.2. quæſt. 32. art.8. Malderus 2. 2. quæſt.32. art.8. Cenedo dub.32. de Paupertate Religioſa num.14. Ledeſma tom.2. tr.4. cap.3. Granadus in 2. 2. controv.3. tract.11. diſp.5. num.3. Diana par.2. tract.1. Miſcell. reſol.33., & par.5. tr.8. reſol.34. Oviedus controv.10. de Charitate punct.13. n.130. Verricelli tract.5. num.289. Paſqualigus deciſ.449. & alii. Hanc tamen ſententiam rectè limitat Eminentiſſimus De Lugo de Juſtitia, & Jure diſp.16. ſect.4. n.64.

X. Septimò: Religionum Prelati poſſunt, imò obligantur de Bonis ſuperfluis congruæ ſubſtentationi Monaſterii Eleemoſynas Pauperibus facere. Patet hoc ex Cap. *Quia tua* in fine 12. quæſt.1. ex Cap. *Sicut hi* diſt.47., & ex Cap. *Quoniam quidquid* 16. quæſt.1. Cum enim Religionis ſcopus ſit Charitas in Deum, & in Proximum, tenentur præ ceteris Religionum Superiores ſuperflua in Eleemoſynas erogare. Ita Doctores communiter, quos ſequuntur Sotus lib.10. de Juſtitia quæſt.4. art.4. concl.3. Rodriquez tom.2. Quæſt. Regular. quæſt.57. art.1. Jacobus de Graſſis 1. par. Deciſionum Aurearum lib.3. cap.5. num.63. Molina tom.2. de Juſtitia diſp.276. in principio. Vaſquez in Opuſculo de Eleemoſyna cap.4. num.1. Sanchez in Decalogum lib.7. cap.19. Suarez de Religione tom.4. tract.8. lib.2. cap.26. Peyrinus tom.1. de Subdito quæſt.2. cap.2. §.8., & Aſcanius Tamburinus Valliſumbroſanus in ſuo erudito Opere de Jure Abbatum, & Abbatiſſarum tom.2. diſp.22. quæſt.14. per totam: ubi notat, quòd ſi Pauperum neceſſitates ſint extremæ, tenentur

tur Superiores regulares dare non modò omnia superflua, sed etiam aliqua ex necessariis statui Conventus: si verò necessitates sint graves, debent omnia superflua distribuere: si sint communes, seu ordinariæ, debent aliquid erogare ex superfluis: alia verò possunt in augumentum reddituum Monasterii convertere ad alendum majorem numerum Religiosorum, vel in opera pertinentia ad Dei cultum, Ecclesiarumque decus impendere.

XI. Dixi Eleemosynas dandas esse à Superioribus Religionum, ut excluderem ab hac facultate Subditos, qui regulariter cum nullam habeant administrationem rerum Monasterii, & voto paupertatis sint obstricti, non possunt sibi assumere dominium disponendi de illis. Hoc tamen limitandum est, & concedendum, ut etiam ipsi in sequentibus casibus possint licitè facere Eleemosynas. Primò, quando Proximi necessitas est extrema, quia in hoc casu, etiam contra Superioris voluntatem, non solùm possunt, sed etiam debent Eleemosynas facere: cum enim tunc omnia sint communia, crimen proprietatis non committitur: Cap. *Sicut hi*, in fine 47. dist. Secundò, si necessitas Proximi sit gravis, nec sit facilis ad Superiorem recursus: Pànormitanus in Cap. *Si quis* num.4. de Furto, Navarrus in Enchirid. cap.17. num.105. Divus Thomas in 4. dist.15. quæst.2. art.5. q.4. in C. Sanchez loco citato cap. 19. num.27. Tertiò, quando Religiosus ex legitima Superioris licentia degit extra Conventum, ut vacet studiis, vel aliis honestis occupationibus: tunc enim facere congruas Eleemosynas est ei permissum, dando scilicet, quantum dare consueverint alii ejusdem Ordinis, & conditionis. Et ita docet Glossa, & Panormitanus in Cap. *Non dicatis* num.14., & in d. Cap. *Si quis* num.3., & in Cap. *Novum genus* num.3. de Decimis, Lessius lib.2. de Justitia cap.18. n.85. dub.11. Navarrus, & alii. Quartò, quando Religiosus faciat Eleemosynas de rebus parvi momenti, quæ communiter dari solent Pauperibus ad ostium Eleemosynam petentibus, sciente, & tamen non contradicente Superiore. Ita Graffius dicto c.5. num.62. Arragona 2. 2. quæst.32. art.8. column.3. Rodriguez tom.2. Sum-

Summæ cap.32. concl.2., & in Quæſt. Regular. tom.2. quæſt.57. Quintò, quando Religioſus faceret Eleemoſynas de eo, quod ſibi ſubtrahit, ſe ipſum privando iis rebus, quæ in proprium commodum ſibi à Monaſterio conceduntur. Ita Navarrus, & Suarez tom.3. de Religione lib.8. cap.15. num.8. Molina tract.2. de Juſtitia diſp.276. Sanchez dicto cap.19. num.100. qui numero ſequenti ait, hoc eſſe intelligendum de Religioſo, qui degit extra Clauſtra Monaſterii, cui aſſignatur certa portio ad ſuos uſus, quia ea in hoc caſu præſumitur Superiorum intentio, ut, quod ſibi ſubtrahit, poſſit in Eleemoſynas, & alios pios uſus expendere: idemque affirmat Molina loco citato. Sextò denique, quando Religioſus, vel ex facultate Summi Pontificis, vel ex licentia Superioris habet peculium: in his enim caſibus poterit tam de illo, quàm de acquiſitis per illum in uſus licitos, & honeſtos quantùm placuerit expendere.

CAP. VIII.

De peculiari obligatione, quam habent Clerici Seculares Beneficiati faciendi Eleemoſynas de ſuperfluis Beneficiorum.

I. Clerici ſeculares Beneficiati peculiariter obligantur ſuperflua Beneficiorum in Eleemoſynas erogare. Talem obligationem plurimi putant eſſe de Jure Divino, ut Sanchez, Navarrus, Corduba, Diana, Vaſquez, Valentia, Coninck, & alii, quos citat, & ſequitur Leander de SS. Sacramento tract.5. de Eleemoſyna diſp. 3. quæſt.44. Alii verò probabiliter cenſent, eſſe de Jure Eccleſiaſtico. Ita Sotus lib.10. de Juſtitia, & Jure quæſt.4.

art.3.

art.3. Leſſius lib.2. cap.4. dub.6. num.47. & alii.

II. Quidquid ſit de his opinionibus, certum tamen eſt, eos ſtrictiùs obligari ad dandam Eleemoſynam ex fructibus Beneficiorum, quàm Laicos ex propriis Bonis. Apoſtolus enim ad Titum primo, & Tridentinum ſeſſ.23. de Reformat. cap.1. dicunt, eos eſſe Patres Pauperum: rurſus ipſi debent dare exemplum Laicis: denique quia ſpeciali modo ea Bona ex Beneficiis percepta ſunt Patrimonium Chriſti, ut docent Suarez diſp.7. de Charitate ſect.6. num.3. Trullenck in Decalogum lib.1. cap.5. dub.9. num.2., & alii communiter.

III. Pro quo notandum eſt, quòd triplicis generis ſunt Bona Clericorum. Primò, Patrimonialia, quæ videlicet titulo Laicali ipſis obveniunt, ut ex ſucceſſione, teſtamento, donatione, & ſimilibus: Secundò, quaſi Patrimonialia, videlicet, quæ ab ipſis acquiruntur, tamquam ſtipendia miniſterii Eccleſiaſtici: verbi gratia, ſtipendium pro Miſſarum celebratione, pro Sacramentorum adminiſtratione, pro prædicatione Verbi Dei, pro celebratione Divinorum Officiorum, &c.: Item diſtributiones Chorales, fructus Cappellaniæ non collativæ, ideſt ad nutum amovibilis, imò ſecundùm opinionem probabilem Soti lib.10. de Juſtitia, & Jure quæſt.4. art.3. concl.3. Oviedi cap. 4. de Libertate Chriſtiana, Cardinalis de Lugo de Juſtitia tom.1. diſp.4. ſect.3. num.29., & aliorum, etiam fructus Cappellaniæ collativæ. Tertiò denique, alia ſunt Bona merè Eccleſiaſtica, qualia ſunt fructus Beneficiorum Parochialium, Epiſcopatuum, &c.

IV. His poſitis, docent prædicti Doctores, quòd de Patrimonialibus, & quaſi Patrimonialibus non tenentur Clerici arctiùs, quàm Laici facere Eleemoſynas: undè poſſunt de his ſuos Conſanguineos ad altiorem ſtatum provehere, cum Bona iſta poſſideant cum plena libertate, & dominio non ſecùs ac Laici: de Bonis verò merè Eccleſiaſticis ea, quæ ſuperſunt ſuæ decenti ſuſtentationi, tenentur Pauperibus erogare. Ita omnes Theologi ex Tridentino ſeſſ.25. de Reformatione cap.1. dicente. *Omninò verò eis interdicit* (Concilium videlicet Cartagi-

nense) *ne ex redditibus Ecclesiæ Consanguineos, Familiaresve suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, Consanguineis donent; sed si Pauperes sint, his, ut Pauperibus distribuant, eas tamen non distrahant, nec dissipent illorum causa: imò, quàm maximè potest, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga Fratres, Nepotes, Propinquosque carnis affectum, undè multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitùs deponant.*

V. Limitatur hoc primò, quando Clericus in sui sustentationem insumeret de Patrimonialibus, vel quasi Patrimonialibus Bonis, tunc enim posset tantumdem ex Bonis Ecclesiasticis subrogare, & in quoscumque usus vellet, insumere: quia integra sustentatio debita est Clerico ex fructibus Beneficii, atque adeò, si aliàs illam habuit, poterit ex iis compensationem accipere. Ita cum communi Molina tom.1. tract.2. disp.145., & Lessius lib.2. de Justitia, & Jure cap.4. dub.6. num.38.

VI. Secundò, si Beneficiarius parcè vivendo, minùs consumpsit, quàm par erat, de fructibus Beneficii, potest eam partem, quam hoc pacto reservavit, pro suo libito in quoslibet usus insumere.

VII. Tertiò, si Clericus in Regimine suæ Ecclesiæ plus laboris, & industriæ impenderet, quàm teneretur: verbi gratia, exercendo munera, quæ stipendium merentur, ut frequentiùs prædicando, diutiùs assistendo Confessionibus, &c. posset ex superfluo Redditaum sui Beneficii, tamquam dignam mercedem sui majoris laboris, aliquam quantitatem accipere, ac de ea, tamquam de Bonis quasi Patrimonialibus pro libito disponere. Ita Doctores communiter, quos sequitur Sanchez lib.2. Opusculorum cap.2. dub.38. num.16. Covarruvias Cap. *Cum in Officiis*, de Testamentis num.2. Molina tom.1. de Justitia disp.144. col.501. §. *Illud tamen, &c.* Lessius lib.2. cap.4. dub.6. num.39. & alii, quos citat, & sequitur Leander de SS. Sacramento tract.5. de Eleemosyna disp.3. quæst.52.

VIII. Quartò, quo Beneficiarius est doctior, aut no-

nobilior, plùs illi ex fructibus Beneficii pro congrua sustentatione assignandum est: tales enim Personæ plùs aliis prosunt Ecclesiæ, ac proindè majorem ab illa sustentationem merentur, juxtà illud Pauli ad Timotheum 5. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*: ubi nomine duplicis honoris duplicem quantitatem fructuum Beneficii intelligendum esse tradit Leander de SS. Sacramento loco citato quæst.58., & Molina de Justitia tract.2. disp.145. Castropalaus tom.1. tr.6. disp.2. punct.5. num.10., & Sanchez in Consiliis Moralibus lib.2. cap.2. dub.41. num.9. cum aliis, qui docent congruam sustentationem pinguiorem ab eo accipi posse, qui pinguius etiam habet Beneficium, quod etiam concedit Molina ubi supra.

IX. Nomine autem decentis, & congruæ sustentationis ex fructibus Beneficii veniunt omnia necessaria ad honorabilem sui status, & Familiæ sustentationem: idest ad alendos Famulos, & equum, vel etiam pro qualitate Beneficii ad habendum currum, ad exhibenda moderata convivia, ad Donationes liberales, & multò magis remuneratorias Consanguineis, & Amicis faciendas, & ad honestas aliquas recreationes accipiendas: Nomine etiam decentis sustentationis veniunt pariter ea, quæ Beneficiarius ex fructibus Beneficii prudenter potest in mediocri quantitate sibi reservare pro futuris necessitatibus, quæ probabiliter evenire possunt. Ita Eminentissimus Cardinalis de Lugo disp.4. de Justitia sect.4.

X. Quintò denique, si Clericus habens Consanguineos pauperes, eos ex fructibus Beneficii sustentet in studiis, & in procuranda ipsis Laurea Doctorali, quamvis illi habeant Parentes divites, qui possint, sed nolint, ipsis pecuniam pro his sumptibus suppeditare: hi enim, si propria Bona non habeant, revera sunt Pauperes, ac proindè licitum est, eos Bonis Ecclesiasticis adjuvare: Layman lib.4. tract.2. cap.3. num.5. Navarrus lib.3. consil.2. de Vita, & Honestate Clericorum, Editione 2., & Leander ubi supra quæst.70.

XI. His, & similibus casibus exceptis, docet com-

munis sententia Doctorum, tam Parochos, quam Episcopos, & alios Beneficiatos obligari sub mortali ad erogandum in Eleemosynas, & pios usus totum id, quod ex redditibus merè Ecclesiasticis ipsorum congruæ sustentationi superest. Ita Leander de SS. Sacramento loco citato quæst.74. innumeros citans.

XII. Et quamvìs Hurtadus de Mendoza, & Diana videantur probabile existimare, quòd extra graves necessitates Episcopus satisfaciat suæ obligationi, dispensando in Eleemosynas quartam partem, vel saltem dimidium Redditnum Ecclesiasticorum, qui supersunt suæ congruæ sustentationi, Parochus verò satisfaciat dando quintam, vel sextam partem; notat nihilominùs de Lugo, quòd præfati Auctores, cum concludant, reliquum posse ab eis pro libito insumi, secluso tamen scandalo, & non in usus prophanos, manifestè persistunt in communi sententia: si enim Beneficiati non debent reliquum insumere in usus prophanos, debent illud insumere in usus pios. Videatur Diana par.8. tract.7. resol.12., ubi apertè ait, se velle communem sententiam ab omnibus Episcopis, & Beneficiariis observari, & oppositum meritò impugnari à de Lugo.

XIII. Imò inter Canonistas est ferè communis sententia, quòd prædicti non acquirant plenum dominium eorum redditnum, qui congruam ipsorum sustentationem excedunt, quos ex Theologis sequuntur Layman lib.4. tract.2. cap.3. num.3., & Tannerus tom.3. disp.4. quæst.6. dub.8. num.115. atque adeò existimant, quòd si ea in Pauperes, vel pios usus non erogent, teneantur ad restitutionem.

XIV. Benignior tamen, & communis Theologorum sententia est, illos, si Regulares non sint, acquirere plenum omnium fructuum suorum Beneficiorum dominium. Colligitur hoc apertè ex Cap. *Unico* de Clerico non residente in 6., & ex Tridentino sess.23. de Reformatione cap.1., ubi de Beneficiato absente dicit, *eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere*. Et sess.24. de Reformatione *fructus non faciant suos*. Supponit ergo Con-

Concilium, quòd si resideant, faciant fructus suos, ac proinde vere illorum Domini efficiantur. Ità Sarmiento 4. par. de Redditibus Ecclesiasticis cap. 1. Sanchez lib. 2. Consilior. cap. 2. dub. 27. num. 11. Molina tom. 1. de Justitia tract. 2. disp. 143. Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 6. Cardinalis de Lugo tom. 1. de Justitia disp. 4. sect. 1. num. 2. Castropalaus tom. 1. tr. 6. disp. 2. punct. 6. num. 6. Diana part. 5. tr. 8. resol. 31. & alii plurimi, qui consequenter dicunt, peccare quidem mortaliter Beneficiatos prædictos, si in pios usus superflua congruæ sustentationi non expendant, sed non teneri ad restitutionem.

XV. Adverte, quòd Regularis promotus ad Episcopatum, vel ad Beneficium Parochiale non amovibile, in sententia multorum manet obstrictus voto paupertatis, ac propterea est incapax dominii fructuum sui Beneficii, nec de his potest disponere; ut possunt Beneficiati Seculares. Ità pluribus citatis Leander à SS. Sacramento loco supra citato quest. 85.

XVI. Nihilominùs probabile etiam existimo habere verum dominium, & posse disponere, sicuti possunt Beneficiati Seculares: nam in Cap. Unico. 18. quest. 1. de Religioso facto Episcopo dicitur: *Veluti legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vindicandi potestatem habet*. Si ergo capax est hæreditatis paternæ, manet liber à voto paupertatis, ac proinde poterit liberè de Redditibus Ecclesiasticis disponere. Ità Sotus lib. 7. de Justitia quest. 4. art. 2. ad ultimum, Palacios in 4. dist. 38. disp. 1. Michael Medina de Sacrorum Hominum Continentia lib. 5. cap. 26. col. 2. Joseph Angles in Floribus 2. parte quest. unica de Voto art. 2. post tertiam difficultatem dub. 5. & instar omnium Gabriel Vasquez Theologiæ Scholasticæ, & Moralis Lumen splendidissimum in 1. 2. quæst. 96. art. 4. disp. 165. cap. 8. num. 91. & 104. & in Opusculo de Redditibus cap. 3. dub. 7.

CAP.

CAP. IX.

De præcipuo peccato Charitati Proximi oppofito, fcilicet de Scandalo: ubi breviter, ac dilucidè tota hac materia pertractata, omnes ferè difficultates, quæ in praxi folent circa illam occurrere, refolvuntur.

I. INter vitia Charitati Proximi oppofita omnium graviffimum eft peccatum Scandali, quod communiter definitur *Dictum, vel factum minùs rectum Proximo præbens occafionem ruinæ fpiritualis*.

II. Si talis ruina directè, & formaliter fit volita, dicitur Scandalum activum, directum, & formale: fi autem dictum, aut factum fit per fe ità malum, ut valeat inducere videntem, vel audientem in ruinam fpiritualem, licèt operans exprefsè hanc non intendat, cenfetur tamen eam implicitè velle, & dicitur Scandalum activum interpretativum: ipfa verò fpiritualis ruina, & lapfus, dicitur Scandalum paffivum: fi hæc ruina oriatur ex dicto, vel facto alterius, aut verè, aut apparentèr malo, licèt de fe non inductivo ad peccatum, dicitur Scandalum pufillorum: fi verò oriatur ex dicto, vel facto bono, aut ex re indifferenti, quia fcilicet audiens, vel videns fumit indè ex propopria malitia occafionem peccandi, dicitur Scandalum Pharifaicum, quia eft imitativum Pharifæorum, qui ex bonis dictis, vel factis Chrifti fumebant occafionem peccandi, murmurando, calumniando, & perfequendo: & hoc definitur ruina fpiritualis ex propria malitia orta ex dicto, factove alterius recto, vel indifferenti.

Ad

III. Ad hoc, ut quis peccet peccato Scandali activi non est necesse, ut de facto sequatur ruina spiritualis Proximi, sed satis est, ut ipse dixerit, vel fecerit id, ex quo sequi poterat ex sua natura talis ruina, v. g. si tu coneris inducere Proximum ad furandum, & ipse non consentiat, talis tuus conatus est peccatum Scandali.

IV. Quòd si non impellas mandato vel consilio, sed solùm pecces coram his, qui sint vel ità improbi, ut ex tuo peccato non moveantur, quia sua prava natura, & voluntate sunt inclinati ad peccandum; aut sint ità probi, ut sit moraliter certum, tuum malum exemplum eis potiùs displiciturum, quàm placiturum; non peccas peccato Scandali, quia in his circumstantiis tuum peccatum non trahit Proximum in ruinam: Si verò sint imbecilles, ut Adolescentes, & similes, quos probabiliter advertis tuo exemplo peccaturos, peccas peccato Scandali. Ità Bussembaum lib. 2. tr. 3. cap. 2. dub. 5. art. 1. num. 5. Castropalaus trac. 6. de Charitate disp. 6. punct. 1. num. 4. Bonaccina disp. 2. de Peccatis quæst. 4. punct. 2. §. unico num. 43. & alii communiter.

V. Ex his infertur Primò, quòd si ex tuo facto, vel dicto minùs recto nihil aliud oriatur in Proximo, quàm rumor, & admiratio, non peccasti peccato Scandali, quia quando aliis præbuisti fundamentum admirationis, & rumoris, illi vituperando tuum dictum, vel factum non peccarunt, atque adeò tu non fuisti eis causa ruinæ spiritualis. Ità Castropalaus ibidèm, cum Joanne Sanchez in Selectis disp. 48. num. 45. Si verò peccando coram aliis, præbeas occasionem liberiùs vivendi, contemnendi Religionem, vel graviter murmurandi, tum peccas peccato Scandali: & sic regulariter hoc modo peccaret, qui feria sexta carnes publicè comederet, aut coram aliis turpia patraret, vel frequenter Fœminam invisendo, præberet occasionem Populo detrahendi, maximè si hæc Persona esset Clericus, aut Religiosus. Ità Navarrus in Summa cap. 14. num. 131. Sylvester V. *Scandalum* quæst. 2. in fine, & alii.

VI. Infertur Secundò, quòd ille, qui scandalum præbet

bet, præter peccatum Scandali committit etiam peccatum illius ſpeciei, ad quam alterum induxit, vel probabiliter inducere poterat. Hoc tamen intellige, quando ex intentione Scandalum dediſti, non autem, ſi præter intentionem, ut ex Cardinali de Lugo docet Buſſembaum loco cit. num. 3.

VII. Infertur Tertiò, ei qui Scandalum paſſivum ſumpſit, ſatis eſſe, ſi confiteatur peccatum, quod alterius exemplo patravit, v. g. Si ad exemplum, vel ſuaſionem alterius furatus eſt, ſatis erit, ſi confiteatur ſe furatum eſſe; non autem requiritur, ut fateatur Scandalum, quia reſpectu ipſius hæc non eſt circumſtantia ſpeciem mutans. Layman ubi ſupra cap. 13.

VIII. Infertur Quartò, quòd qui alium ad furandum induxit non mandato, neque conſilio, ſed nudo exemplo, peccat peccato Scandali contra Charitatem, non verò contra Juſtitiam, ac proindè ad reſtitutionem rei per alium ſublatæ non tenetur. Leſſius loco cit. cap. 9. dub. 16. num. 113.

IX. Infertur Quintò, eſſe opinionem probabilem illam Patris Vaſquez quæſt. 91. de Pœnitentia art. 1. dub. 4. & dub. 5. num. 34. docentis in peccato, quòd ſinè complice patrari non poteſt, v. g. in fornicatione, &c. non eſſe obligationem confitendi inductionem, ſed ſufficere ſi fateatur peccatum, v. g. fornicatio: undè ſecundùm hanc ſententiam non tenetur Confeſſarius interrogare Pœnitentem, an ipſe induxerit alium. Communis tamen Sententia eſt, talem circumſtantiam neceſſariò explicandam ab eo, qui induxit, quia dicendo *fornicatus ſum*, non intelligitur ſufficienter peccatum Scandali, quo peccavit inducens, præſertim ſi Mulier induxit Virum, licet in Viris ſatis intelligatur, quia regulariter ipſi ſolent eſſe inductores. Ità Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 6. num. 14.

X. Infertur Sextò, quòd ſi non auferas alteri occaſionem peccandi ob hoc præcisè, ut ille deprehenſus in peccato puniatur, peccas, quia cum pœna non ſit per ſe digna, ut appetatur, & cum ſolùm ob peccatum poſſit imponi, non eſt ſufficiens cauſa cohoneſtandi permiſſionem pec-

peccati: Si autem non auferas occasionem, ut deprehensus in peccato corrigatur, non peccas. Ità Bonaccina disp.2. de Peccatis quæst.4. punct.2. §.1. num.28. qui num. 33. affirmat, te pariter non peccare, si permittas alterius peccatum, ut te serves indemnem, v. g. si non tollas clavem à Scrinio, ut videas quis ille sit, qui pecunias furari solet, dummodò tamen aliam viam non habeas, qua commodè possis te ab illa injuria liberare: quod etiam concedit Molina tract.3. de Justitia disp. 55.

XI. Infertur Septimò, non esse licitum *positivè* offerre alteri occasionem peccandi, ut deprehensus emendetur: verbi gratia, non licet Patri mandare Famulo, ut proponat Filio furtum ad experiendum, an Filius in furtum inclinet: similiter non est licitum Viro, mandare Uxori, ut Amasium invitet ad suum cubiculum eo fine, ut deprehensus corrigatur: quia talis oblatio positivæ occasionis esset moralis cooperatio peccato illius. Ità cum communi Bonaccina disp.2. de Peccatis quæst. 4. punct.2. §.1. num.28. & 34., Sanchez lib. 10. de Matrimonio disp. 12. num.53. Castropalaus tract.6. de Charitate disp. 6. punct. 5. num.5. contra Petrum Navarrum lib.3. de Restitutione cap. 4. part. 1. dub. ultimo num. 104. in 2. editione, & Layman lib.2. tract.3. cap.13., cujus opinionem probabilem putat Bussembaum lib.2. tract.3. cap.2. art.2. in fine.

XII. Infertur Octavò, Mulierem, quæ scit, aliquem sumpturum occasionem ipsam turpiter concupiscendi ex ornatu congruo suæ conditioni, teneri ad breve tempus à tali ornatu abstinere, vel conspectum hujusmodi hominis vitare: dixi *ad breve tempus*, quia per longum tempus ad hæc non teneretur, cum hoc esset ipsi nimis grave. Ità Bossembaum loco cit. art. 2. num. 10.

XIII. Infertur Nonò, quòd si Mulier probabiliter timeat, ornatu superfluo se scandalum alicui particulari Personæ allaturam, tenetur sub mortali illum deponere, quia nullum habet jus ad illum, & ex alia parte obligatur, cum commodè potest, vitare peccatum Proximi. Ità Doctores communiter, ut notat Bussembaum ubi sup. num. 9.

XIV. Infertur Decimò, excusari à mortali Mulieres, quæ ex loci consuetudine se ornant, dummodò majoris pulchritudinis ostendendæ, & non libidinis procurandæ gratia id faciant. Ita ex Navarro Laymano, Bonaccina, & aliis refert Bussembaum loco cit. art.2. num.9. & 10.

XV. Infertur Undecimò, quòd si Mulier non aliquam Personam in particulari, sed in genere tantùm credat Scandalum accepturam, si ipsa se ornatu superfluo, & pigmentis pulchriorem reddat; rectè notant Layman, & Bonaccina ubi supra, eam graviter non peccare, quia hoc est Scandalum non datum, sed acceptum: sicuti enim naturalis pulchritudo vultus magis movet, quàm pulchritudo artificialis, & tamen non peccant pulchræ Feminæ exeundo in publicum, licèt putent, se ab aliquo esse desiderandas, ità in casu nostro.

XVI. Infertur Duodecimò, graviter eos peccare, qui turpia pingunt, scribunt, vel repræsentant. Ità Doctores communiter apud Bossium tom.2. Moral. titulo 10. & Tamburinum in Decalogum lib. 7. cap. 8. §. 5. Dixi valdè turpia, nam secùs, levitèr tantùm peccaretur, quia esset levis, & remota ad libidinem provocatio.

XVII. Infertur Decimotertiò, quòd si quis parato facere majùs malum, suadeat minùs, quando potest utrumque impedire, peccat: similiter si volenti occidere Petrum suadeat, ut occidat Paulum, vel volenti furari centum à Petro suadeat, ut furetur quinquaginta à Paulo, peccat, & ad restitutionem obligatur, quia cooperatur damno Pauli, quòd hic non tenebatur subire ad servandum Petrum indemnem. Ità cum communi Lessius lib. 2. de Justitia cap. 13. dub.3. num. 19. sicuti etiam alicui determinato ad furandum, dubitanti verò an furetur à Paulo divite, vel à Petro paupere, non potest quis sine peccato suadere, ut potiùs à Paulo divite furetur, quàm à Petro paupere, quia dèterminando furem ad Pauli damnum esset causa illius damni. Posset tamen aliquis ei generaliter dicere, esse minus peccatum furari à divite, quàm à paupere; & casu, quo velit omninò furari, suadere illi, ut peccet minùs, quàm potest. Ità Castropalaus

laus tr.6. de Charitate disp.6. punct. 6. num. 4.

XVIII. Infertur Decimoquartò, quòd volenti omninò explere libidinem, vel simplici fornicatione, vel adulterio, non licet positivè suadere fornicationem, quia etiam hanc suadendo malum suadetur, quod numquàm licet: Licebit tamen proponere ei esse minùs malum fornicari, quàm adulterare, quia sic non inducitur directè in fornicationem. Cajetanus in 2. 2. quæst. 87. art.4. notabili tertio. Sanchez lib.7. de Matrimonio disp.11. num. 19. apud Castropalaum loco cit. num. 5.

XIX. Infertur Decimoquintò, peccare eum, qui vendit res, quæ regulariter in malum usum destinari solent, vel semper, vel occasione loci, & temporis, nisi ipsi certò moraliter constet, eum, cui venduntur, illis non usurum in malum: sic illicitum est vendere venenum petenti illud occultè; præparare medicinam directè tendentem ad procurandum abortum, & his similia. Tunc autem constat moraliter de bono usu, si Personæ sint prudentes, & piæ; si non petant secretò; si credi possit eas haberi privilegium, vel justam aliam causam, ut si quis à Caupone petat carnem in die jejunii; si publicè accedat ad Pharmacopolam, & venenum poscat sibi vendi. Ita ex Cajetano 2. 2. quæst. 147. art. 4. Suarez disp. 10. de Charitate sect. 4. num.3. & Sanchez lib.1. in Decal. cap.7. num. 3. E' contrario verò si res aliquæ indifferentes ordinariè soleant in bonum usum adhiberi, licitum est eas vendere, quoties non constat de futuro abusu petentis, quia de nullo debet præsumi malum sine causa urgenti. Ità ex D. Thoma Suarez dict. disp. 10. de Charitate sect. 4. num.10. & alii communiter. Quòd si prudenter putes, Proximum malè usurum re indifferenti, & possis eam sinè tuo magno incomodo ipsi non vendere, obligaris ex Charitate id facere: obligat enim nos Charitas ad peccatum Proximi impediendum, cum commodè possumus, & consequenter ad non ministrandum illi materiam peccati: Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 7. num.35. Dixi si *commodè possis*, nam si non vendendo rem indifferentem, esses te privaturus magna utilitate, vel si haberes necessitatem

vendendi, tunc non obligareris à venditione abſtinere, nec cenſereris cooperari peccato alterius, ſed tuo jure uti. Ita Thomas Sanchez lib.1. in Decal. cap. 7. num. 9. & 11. Bonaccina diſp. 2. de Peccatis quæſt. 4. punct. 2. §. unico num. 17. Undè Cajetanus 2. 2. quæſt. 147. art. 4. Ledeſma tom.2. tr.27. cap.2. dub. 4. Salonius 2. 2. quæſt. 7. art.4. controv.6. poſt. 3. concluſionem: & alii dicunt, poſſe Tabernarios, Caupones, &c. liberè vendere, & miniſtrare cibaria illis, qui jejunium ſolvunt, quia neque inducunt eos ad non jejunandum, & ex alia parte actionem ſecundùm ſe non malam, & inſervientem humanæ ſuſtentationi faciunt. Puto tamen cum Caſtropalao loco ſuperiùs citato id eſſe probabile, ſi præſumant eos ex legitima cauſa petere talia cibaria, non autem ſi deſit fundamentum id rationabiliter præſumendi: nam ſi homo parùm Dei timoratus, & notus tamquam guloſus petat, cum Caupo poſſit impedire ſine ſuo gravi incommodo, ne ſolvat jejunium, non ſubminiſtrando cibaria, utique tenebitur non ſubminiſtrare. Ita Valentia 2. 2. diſp. 9. quæſt.2. punct. 3. Leſſius lib. 4. de Juſtitia cap. 2. dub. 4. num. 24. Sanchez in Decalog. lib. 1. cap. 7. num. 35. & alii.

XX. Rogabis, an licitum ſit miniſtrare Proximo indifferentia, quibus ſcis eum peccaturum, quando tibi conſtat, quòd, ſi tu non miniſtres, alius miniſtrabit, & ille nihilominùs peccabit?

Exiſtimant aliqui, te non peccare: ratio ipſorum eſt, quia illæ actiones de ſe malæ non ſunt, alioquin nunquàm poſſent cohoneſtari, quod eſt falſum: ſolùm igitur malæ ſunt, quatenus movent, & adjuvant ad malam operationem; ſed hoc non contingit, quando ipſe operans eſt eodem modo malè operaturus ſecluſa tua actione; undè ſi aſſocies furem ad furandum, aut homicidam ad occidendum, quando furtum, & homicidium æquè extitiſſent, etiam ſi non aſſociares, dummodo tamen aſſociando non augeas animum furi, vel homicidæ, non teneris ad reſtitutionem, quia tunc non cenſeris cauſa furti, & homicidii. An autem alio genere peccati peccare

poſſis,

possis, de hoc videri potest Pater Viva in Explicat. 51. Propositionis ab Innocentio XI. damnatæ num.5.

XXI. Certum tamen est, te graviter peccaturum peccato Scandali. Ratio est, quia, quòd alius sit ea ministraturus, si tu non ministres, non facit, ut hæc tua ministratio non adjuvet peccantem ad peccandum, præsertim in illis circumstantiis, in quibus res illæ sunt proximæ peccato alterius, quales sunt admovere scalam volenti furari, humeris aliquem sustentare, ut ingrediatur per fenestram ad fornicandum, præbere gladium ei, qui determinavit occidere, invitare ad cœnam illum, qui est paratus solvere jejunium, &c. Ita Sanchez lib.1. in Decalog. cap.7. num.16., & in strictioribus terminis Castropalaus tract.6. de Charitate disp.6. punct.10. n.4. Undè ab Innocentio XI. in suo Decreto, die 2. Maji anno 1697. promulgato damnata est illa Propositio, quæ dicebat: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat Hærum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, multotiès eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Hoc idem dicendum est de Famulo scribente literas turpes, & amatorias, vel provocantes ad duellum; licèt hoc in dubium revocare videatur Castropalaus loco citato punct.11. num.7.

XXII. De Christianis remigantibus in Triremibus Turcarum, porrigentibus scalas, aut arma ad Rem Christianam expugnandam, putarunt quidam, eos peccare mortaliter, & non posse excusari etiam ob periculum mortis. Ita Ugolinus de Censuris Papæ reservatis §.2. post cap.3. versu *Omnes eorum*, Toletus in Summa in expositione Bullæ Cœnæ Excommunicatione 5. Navarrus in Summa cap.27. num.63., & Suarez tom.4. in 3. part. disp.21. sect.2. num.60. cum aliis; quorum ratio est, quia cooperari Bello injusto, rapinæ, & occisioni Innocentis est intrinsecè malum; cum autem illis actionibus Bello injusto, & occisioni Christianorum innocentium coope-

ren-

rentur, utique eos illicitè ſe gerere certum videtur.

XXIII. Alii tamen probabiliter eos à peccato excuſant, quando id faciunt timore mortis, vel graviſſimi damni : quia prædictæ actiones non ſunt de ſe malæ, ſed indifferentes ; cum illis adhuc poſitis, poſſint verè, ſi nolint, non nocere Chriſtianis, atque adeò cohoneſtari poſſunt, urgente mortis, vel alterius graviſſimi damni periculo. Ita Leſſius lib.2. de Juſtitia, & Jure cap.9. dub.18. n.122. Rebellus 1. par. de Obligationibus Juſtitiæ lib.2. quæſt.14. ſect.7. n.52. Vaſquez quæſt.43. art.8. de Scandalo dub.7. Molina t.1. de Juſtitia diſp.115. concl.1. Sanchez lib.1. in Decalog. cap.7. num.18. Corduba quæſt. 137. dub.2. & alii. Non sic dicendum eſt, ſi emittant ſagittas, aut explodant Bombardas in Chriſtianos, quia hæ actiones directè tendunt ad occiſionem Innocentium, atque adeò ſunt intrinſecè malæ.

XXIV. Addenda tamen eſt limitatio, quam ferè præcitati omnes Doctores apponunt, ſcilicet illos non excuſari timore mortis, quando prævident eas actiones indifferentes magnum damnum Chriſtianæ Reipublicæ fore allaturas, tunc enim tenentur potiùs mori, quàm tale damnum etiam indirectè inferre.

XXV. Inquires, an imminente mortis timore, prædicti captivi apud Turcas facere poſſint alias actiones directè injurioſas Proximo, quales ſunt juſſu Dominorum perfringere portas, devaſtare agros, ſurripere ſubſtantias Chriſtianorum, &c.

Reſpondeo, quòd quamvìs Coninck, & Lorca apud Caſtropalaum dicant, eos peccare ſi illas faciant; communis tamen, & vera ſententia eſt, non peccare, quia ſicut omnes in extrema neceſſitate poſſumus vitam noſtram conſervare ſurripiendo rem alienam, ita etiam in hoc caſu licebit rem Chriſtianorum ſurripere, cum ad conſervandam Captivorum vitam ſit neceſſaria. Ita Molina t.2. de Juſtitia diſp.115. concluſ.4., & Caſtropalaus tr.6. de Charitate diſp.6. punct.11. num.12.

XXVI. Advertendum eſt contra Caſtropalaum ibidem punct.16. eſſe communem ſententiam Theologorum, quòd ceſſet

cessent obligatio Præcepti affirmativi ob scandalum vitandum: verbi gratia, cessat obligatio faciendi Confessionem materialiter integram, audiendi Missam die festo, jejunandi in Quadragesima, &c.; si ex ejusmodi Præceptorum observatione prudenter timeas vel tibi, vel Proximo grave aliquod detrimentum obventurum. Ita Covarruvias in Regula *Peccatum* par.1. num.4. Suarez disp. 10. de Scandalo sect.4. num.9. & 10. Valentia tom.3. disp.3. punct.4. quæst.10. §.2. Emanuel Sa verb. *Missæ auditio* num.3. Lorca quæst.43. in Summa n.10. Sylvester verb. *Confessio* 1. quæst.18. Sotus in 4. dist.18. quæst.2. art.5. Medina Codice de Confessione quæst. *De integritate Confessionis semper servanda*, Navarrus cap.7. num.3. Canus in Relect. de Pœnit. punct.5. & alii: quia cum obligatio vitandi scandali sit juris naturalis, debet utique in hujus concursu obligatio juris positivi cessare.

XXVII. Ex quibus inferes primò, quòd si scias, vel prudenter credas ex tuo peccato in Confessione manifestato Confessarium sumpturum occasionem ruinæ spiritualis, vel suæ, vel aliorum, teneris illud tacere. Ita cum citatis Layman, cui subscribit Bussembaum lib.2. tr.3. cap.2. art.2. num.3. Secundò, si prævideas te eunte ad audiendum Sacrum die festo, excitandam esse gravem rixam, aut cædem, teneris non ire. Tertiò, si Uxor prævideat gravem orituram discordiam inter ipsam, & Maritum, si jejunet in vigilia, tenetur non jejunare. Quartò si Superior præcognoscat, ex correctione peccati Subditi oritura majora mala, debet à correctione abstinere. Quintò, pingentes turpia ad libidinem provocantia, & hæc scribentes, aut repræsentantes mortaliter peccant, quando non subest causa justa hæc, & similia faciendi: sic non peccant Medici, & Theologi de materiis Venereis in suis libris tractantes, cum justa causa eos ad hos scribendos moveat. Sextò, peccat mortaliter Sponsa contrahens cum eo, quem scit habere votum Castitatis, quia concurrit ad contractum illicitum: Sanchez lib.7. de Matrimonio disp.11. num.11. Non peccat verò contrahens cum illo, quem scit esse in mortali, si non possit illius pec-

peccatum impedire juxta ea, quæ diximus ſupra, quia tantùm materialiter illi cooperatur: *Buſſembaum* loco citato art.3. num.1. Septimò denique, Peccatori, Excommunicato, & Hæretico occultis, ſi publicè petant, debet Parochus Euchariſtiam adminiſtrare, imò etiam ſi petant privatim, quando ex ſola Confeſſione illorum indignitatem novit: *Buſſembaum* ibidem num.3.

F I N I S

Opuſculi de Charitate Dei, & Proximi.

OPU-

OPUSCULUM QUARTUM.

DE JURAMENTO.

CAP. I.

Quid ſit Juramentum, & quot conditiones requirantur ad illius licitum uſum.

I. JUramentum eſt invocatio Divini Nominis in teſtimonium alicujus dicti, vel facti: conſentit Divus Chryſoſtomus Homil.9. in Act. Apoſtolorum, inquiens: *Jurare eſt Deum vocare teſtem, & quaſi Fidejuſſorem dare dictis.*

II. Hæc invocatio alia eſt explicita, quandò ſcilicet invocatur ipſe Deus; alia eſt implicita, quæ fit, cum Deus invocatur non in ſe, ſed in aliqua Creatura, quæ dignitatem, & excellentiam habet ſingularem, redigentem nobis in memoriam ipſum Deum: verbi gratia, quandò juratur per Sacramenta, per Crucem, per Beatam Virginem, per Sanctos, per Cœlum, per Terram, &c.

III. Juramentum eſt actus Religionis, & cultus Latriæ: in illo enim implicitè agnoſcimus Deum, ut primam Veritatem, Omniſcium, Providum, Gubernatorem Univerſi, &c. Ipſa nihilominùs Religionis Virtus inclinat ad non facilè, nec frequenter jurandum, ſed raro, & parcè, neceſſitate ſcilicet exigente: nam Juramentum inter ejus generis Bona recenſetur, quæ non ſemper, ſed ſolùm in caſu alicujus neceſſitatis ſunt Bona; ut ſunt etiam Medicamenta, Sectio venæ, Bella, &c., quæ non

in omni caſu ſunt Bona, ſed tunc ſolùm, quandò aliqua neceſſitas urget.

IV. Ut autem Juramentum licitum ſit, tres conditiones requiruntur, videlicet Veritas, Juſtitia, & Judicium, ſeu Neceſſitas: ut habetur Jeremiæ 4. *Jurabis in Veritate, in Judicio, & Juſtitia.*

V. Veritas in eo conſiſtit, ut nulla in ipſo falſitas, ſeu mendacium contineatur; ſi enim ſinè veritate fuerit vel in re gravi, vel etiam in leviſſima, erit Perjurium, & ſemper mortale peccatum, niſi excuſet defectus plenæ advertentiæ, aut deliberationis. Ita Suarez lib.3. de Juramento cap.4. n.6., Bonaccina de Juramento punct.3. num.6., & alii communiter.

VI. Juſtitia verò conſiſtit in hoc, quòd id, quod juratur, ſit aliquid juſtum, licitum, & honeſtum: undè ſi quis juret, ſe non facturum aliquod opus Conſilii, verbi gratia, non ingreſſurum in Religionem, non commodaturum cuiquam,&c., aut ſi juret rem venialiter malam, Juramentum eſt temerarium; quod in rebus levibus, ut ſi quis juret, ſe dicturum mendacium officioſum, eſt peccatum veniale; in rebus verò gravibus, ut ſi quis juret, ſe fornicaturum, aut blaſphematurum, eſt peccatum mortale; & hoc duplicem malitiam continet, alteram ſcilicet illius mali, quod jurat, alteram verò eoquòd abutitur auctoritate Dei, qui odio habet omne malum: & utraque hæc malitia eſt aperienda in Confeſſione.

VII. Judicium, ſeù Neceſſitas exigit, ut non juretur de re, quæ parvi referat, ut Juramento confirmetur: ut ſi quis juret deambulaſſe, luſiſſe,&c.: defectus hujus conditionis facit Juramentum incautum, & ſolùm venialiter peccaminoſum.

VIII. Undè liquet, quòd defectus Veritatis conſtituit Perjurium, quod ſemper eſt mortale. Defectus Juſtitiæ conſtituit Juramentum temerarium, & conſequenter leviter, vel graviter peccaminoſum, prout res, quæ juratur, eſt leviter, vel graviter injuſta, & illicita. Defectus denique Judicii, ſeu Neceſſitatis conſtituit Juramentum incautum, ac proindè ſolùm venialiter peccaminoſum.

CAP.

CAP. II.

De Divisionibus Juramenti, & variis Jurandi formulis.

I. Inter multas divisiones Juramenti celeberrima est illa in Assertorium, & Promissorium. Assertorium est illud, quo confirmamus id, quod dicimus: verbi gratia, juro, me audivisse Sacrum, me habere aliquem librum, &c. & sic hoc Juramentum respicit tempus, aut præteritum, aut præsens, pro ut res, quæ juratur, aut præterita, aut præsens est.

II. Promissorium est, quo confirmamus id, quod promittimus: ut cum quis jurat, se daturum alicui Eleemosynam, &c. In Promissorio etiam continetur illud, quod aliqui appellant Comminatorium, quo scilicet juramus, nos aliquod malum alicui esse allaturos: verbi gratia, Juro, me tibi alapas inflicturum, &c., nam etiam hæ comminationes sunt promissoriæ.

III. Aliud Juramentum dicitur Execratorium, in quo Deus invocatur, non solùm ut Testis, sed etiam ut Vindex: ex. gr., si hoc scelus patravi, Deus non me adjuvet, Deus me à sua gloria excludat, &c. In utroque foro, tam Ecclesiastico, quàm Civili pro Juramento usitatissima est hæc formula: *Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

IV. Juramenta tam Assertoria, quàm Promissoria ex communi Doctorum sententia sunt ejusdem speciei, & ideo, per se loquendo, non est necesse in Confessione exprimere circumstantiam Assertorii, vel Promissorii. In Perjurio Execratorio tamen, si ex animo fiat, adest specialis malitia contra Charitatem sui: & quod in Comminatorio adsit duplex malitia, una contra Charitatem, alia contra reverentiam Dei, rectè notat Felix Potesta num. 1558.

V. Dixi *per se loquendo*: nam per accidens fieri potest, ut superveniat aliqua circumstantia mutans speciem, & ita teneatur Pœnitens hanc aperire, ut si quis juravit, se occisurum, fornicaturum, &c., aut si Juramento Execratorio Deum vindicem contra proprium Patrem invocavit: sicuti etiam si in aliqua Diœcesi adsit reservatio Juramenti Execratorii. In his enim, & similibus casibus diversitas Juramenti est necessariò in Confessione aperienda.

VI. Promissio de re mala, verbi gratia, de fornicando, & promissio de re vana, aut indifferenti non sunt implenda: imò si promissio sit de re mala etiam venialiter, & impleatur hoc animo, quòd Deo placeat illam impleri, est Blasphemia Hæreticalis: si autem impleatur, quasi ex obligatione Juramenti, est veluti Superstitio.

VII. Non est Juramentum, si jures per Creaturas non repræsentantes specialiter Divinam Bonitatem, & excellentiam: verbi gratia, si dicas, *Juro per hanc Barbam, per hunc Panem, &c.* Si verò jures per Creaturas, quæ habent specialem repræsentationem Dei, ut per Cœlum, quod est habitatio Dei, per Terram, quæ est Scabellum pedum ejus, per Sacramenta, quæ sunt vasa Gratiæ ab ipso constituta, est juramentum. Ita cum communi Doctorum Bussembaum lib.3. tr.2. de Secundo Præcepto Decalogi dub. 1., num.11.

VIII. Minus malum est jurare, se facturum rem venialiter malam, vel vanam, vel indifferentem animo exequendi, quàm sinè hujusmodi animo; quià in priori casu committitur solùm culpa venialis, in posteriori verò committitur culpa mortalis: quia cùm desit animus exequendi, deest in Juramento Veritas, cujus defectus est semper peccatum mortale Perjurii: Stoz lib.1. p.3. quæst. 3. art. 2. §. 1. num. 188.

IX. Illæ formulæ, *Deus novit: Deus testabitur suo tempore: loquor coram Deo: Deus videt meam conscientiam &c.* non sunt Juramenta, quia tantùm narrativè, & non invocativè proferuntur: Layman lib.4. tr. 3. cap. 1. num. 4., & alii. Si tamen sic loquens credat se jurare, verè jurat

jurat ex Suarez lib.2. de Juramento, cap.6. apud eumdem Layman.

X. Illæ pariter formulæ *per conscientiam meam: per fidem meam: fide boni Christiani, Sacerdotis, vel Religiosi: hoc est tam verum, quàm est verum, quòd sol lucet: quod dico, est Evangelium, est instar Fidei, est de Fide: mihi amputetur lingua, si hoc non est verum, &c.* non sunt verè, & proprie Juramenta, cum eis non competat vera ratio, & definitio Juramenti: Bussembaum loco citato num. 9. & sequentibus.

XI. Non jurat etiam qui dicit: *hoc est verum, ut est verus Deus: est tam verum, quàm est verum, quòd Christus est in hostia consecrata: quàm verum est Evangelium: sum innocens, quàm Christus, quàm Beata Virgo, &c.* quia per nullum ex his invocat Deum in testem. Ita citatus Bussembaum loco citato num.10., ubi etiam notat, quòd quamvis tales formulæ videantur continere Blasphemiam, hanc tamen regulariter non continent; quia regulariter animus proferentis non est significare, quòd sit tanta veritas in suo dicto, quanta est in Deo, veritate Fidei, aut Evangelio, si enim vellet significare perfectam æqualitatem profectò foret Blasphemia; sed sic loquens vult significare aliquam similitudinem, nempè ut hoc sit verum suo modo, sicut suo modo est verus Deus.

CAP. III.

An liceat exigere Juramentum ab eo, qui creditur pejeraturus?

I. QUI exigit sinè gravi causa Juramentum ab eo, quem scit pejeraturum, peccat mortaliter: si verò justam exigendi causam habeat, non peccat, quia utitur jure suo, & alter potest non pejerare, si velit: sic Suarez lib. 3., cap. 13., & 14., Tamburinus tom. 1. lib.

1. lib. 3. cap. 1. §. 6., & alii plurimi.

II. Ipſorum tamen doctrina locum habet regulariter in judicio tantùm, non verò extrà. Nam in judicio licet aliquando Juramentum exigere ab eo, qui creditur pejeraturus, quià in hoc adeſt aliquando neceſſitas illud exigendi, ut enim Judex ordinem juris ſervet, debet etiam aliquando juramentum exigere: extrà judicium verò non licet privatæ Perſonæ à pejeraturo juramentum exigere, quià regulariter non poteſt ſubeſſe neceſſitas, & juſta cauſa exigendi: nam juſtæ cauſæ, quæ, paſſim adducuntur ab Auctoribus contrariæ ſententiæ, ſunt [in Perſona privata] tuitio ſui juris, detectio fraudis, aut firmatio pacti; ſed per Juramentum delatum illi, quem certò ſcis pejeraturum, nihil ipſorum potes obtinere, immò ſi ille falſum juret, perdis id, pro quo tuendo, recuperando, aut firmando Juramentum exegiſti; ergò inducis illum ſinè neceſſitate in perditionem animæ ſuæ. Nec eſt par ratio de petente mutuum ab Uſurario in neceſſitate, quià hic obtinet pecuniam, qua ſuæ neceſſitati conſulit; at tu exigens Juramentum à pejeraturo nihil obtinere potes per illud falſum Juramentum, ac proinde nullam habes juſtam cauſam exigendi, cum tibi nullum poſſit reſultare commodum, & illi reſultet Animæ detrimentum. Ità ex S. Thoma, & aliis docet Bonaccina in Decalogum tom. 2., diſp. 4. quæſt. 1. punct. 11.

III. Attamen tam publicæ, quàm privatæ Perſonæ licet, juſta de cauſa, verbi gratia, ad jus ſuum tuendum, ad firmandum pactum, ad conſulendum Bono publico, aut privato, exigere Juramentum ab Idololatra, quem certò omnes ſciunt juraturum per Idolum: nam in illo Juramento Chriſtianus non habet rationem venerationis Idoli, ſed ſolius exterioris confirmationis verborum Pagani; quæ confirmatio cum de ſe non ſit mala, ideò Chriſtianus illam tantùm exigens non peccat. Ita Doctores communiter cum D. Thoma, & Bonaccina locis citatis.

CAP.

C A P. IV.

Varii Cafus in materia Juramenti refolvuntur.

I. PRò majori claritate eorum, quæ in refolutione diverforum cafuum in materia de Juramento infrà dicentur, advertendum eft, quòd Veritas ad Juramentum requifita poteft effe certa, vel ex parte rei juratæ, vel ex parte Jurantis. Eft certa ex parte rei juratæ, quandò res, de qua juratur, eft vera in fenfu, quem communiter Homines confueverunt accipere: ex. gr. fi Parochus per aliquos paucos dies abfit à refidentia, & juret, fe aflidué refidere, verum jurat, quià communiter Homines fentiunt, eum affiduè refidere, qui toto anno refidet, paucis exceptis diebus: Et fic fufficit, quòd res jurata folùm moraliter fit talis, qualis juratur, nec eft neceffe, ut fit quoque phyficè talis.

II. Ex parte Jurantis veritas eft moraliter certa, quando Jurans prudenter putat, rem ita fe habere, ductus certa, vel verîfimili, vel valdè probabili conjectura: Undè fi à Parocho petat quis informationem de vita, moribus, aut bona fama alicujus habitantis in ejus Parochia, & Parochus non noverit, eum notatum fuiffe in Tribunali de aliquo delicto, nec quidquam malè de ipfo audierit; habet moralem certitudinem de ejus honeftate, poteftque eam Juramento teftificari. Imò fi agatur de favorabilibus, hæc moralis certitudo fufficit etiam ad jurandum in Judicio; in illo enim, ut ait Tamburinus in Decalogum lib. 3. cap. 2. §. 1. num. 6. & 7., non femper exigitur Juramentum de vifu, fed aliquando etiam folùm de auditu à Perfonis fide dignis; ut quandò petitur informatio vitæ, ac morum alicujus Perfonæ. Si verò agatur de odiofis, nempè de iis, in quibus Tertio damnum immineat, non po-

poteſt quis licitè jurare propter eam ſolam certitudinem moralem, ſed requiritur certitudo phyſica, & de viſu; ut rectè notat cum Scoto Pater Fælix Poteſta in ſuo examine Confeſſariorum tom. 1. p. 2. de ſecundo Decalogi Præcepto cap. 2. num. 1588.

III. Ex hactenus dictis ſequentium caſuum reſolutio infertur.

Primò: poteſt quis licitè jurare, ſe ſcire Petrum Sacerdotem hodiè Miſſam celebraſſe, ſi hoc à viris fide dignis audierit.

IV. Secundò: Creditor per acceptilationem intendens habere perceptam pecuniam, cujus eſt Creditor, poteſt licitè jurare, ſe illam recepiſſe à Debitore, quia in comuni Hominum æſtimatione cenſetur recepiſſe à Debitore creditum, qui illud habet pro recepto.

V. Tertiò: Petrus creditor Pauli centum aureorum metuit, ne Antonius prætenſione incerta, & dubia, quam habet contrà ipſum Petrum, intentet ſequeſtrum; poteſt per acceptilationem habere illos centum aureos prò receptis à Paulo, & jurare, ſe illos recepiſſe, quià Petrus habet jus certum ad illos centum aureos, undè poteſt tale jus contrà Antonium, cujus jus eſt incertum, tueri.

VI. Quarto: qui jurat, ſe obſervare Conſtitutiones, vel Statuta non obligantia ad culpam, ſed ad pænam tantùm, ſi poſteà non obſervet, non peccabit: ſi verò ea obligent ad culpam tantùm levem, peccabit ſolùm venialiter non obſervando, nam Juramentum eſt accipiendum juxtà naturam actus, cui adjungitur. Ita cum communi Doctorum Pater Andræas Mendo Societatis Jeſu in ſuo eruditiſſimo opere de Iure Academico lib. 2. quæſt. 13., ubi præcipuè citat Bonaccinam, Sanchez, Salas, Caſtropalaum, & Machadum.

VII. Quintò: qui jurat, non ludere, ut vitet prodigalitatem, aut nimiam temporis jacturam, poteſt nihilominùs ſinè peccato cum moderatione ludere, quia ludus moderatus honeſtus eſt, Jurantis autem intentio fuit, ſe privare ludis otioſis, & malis: qui autem juravit non ludere, ne nimiam temporis jacturam faceret, non peccabit

bit mortaliter, si per duas tantùm horas ludat, quia duæ horæ respectu unius diei sunt parvitas materiæ, ut in simili de Laborantibus in die Festo nonnulli Doctores admittunt. Si verò jurasset non ludere, ut in Divinum obsequium, & augmentum meriti se privaret honestà illà recreatione, tunc peccaret etiam moderatè ludendo, quia licet moderatus ludus sit honestus, melius tamen est in Dei honorem, & Animæ utilitatem ab illo abstinere, sicuti etiam Matrimonium est honestum, & tamen Cælibatus votum obligat, quia utriusque voti materia est honesta, & melior opposita.

VIII. Sexto: qui jurat non dare mutuum, non obligatur tali Juramento, cum opponatur Misericordiæ: si tamen tale Juramentum fecisset in gratiam Tertii (verbi gratia, Pater in gratiam Filiorum egentium) & Tertius ille acceptasset, teneretur Juramento: posset illud nihilominus ante acceptationem revocare. Obligat pariter Juramentum de non dando mutuum inconsideratè, quià melius est vitare inconsiderationem, ut potè malam, quàm dare mutuum: non sunt enim facienda mala ut eveniant Bona.

IX. Septimo: Juramentum, quo quis aliquid alteri promittit, non obligat in foro Conscientiæ antè acceptationem, quia sequitur naturam promissionis, quæ non obligat, antequàm acceptetur. Aliud dicendum est de Voto, quo quis vovet aliquid alteri donaturum, nam hoc, cum fiat Deo, statim obligat ratione promissionis Deo factæ: potest tamen ante alterius acceptationem ab habente potestatem commutari. Similiter si quis acceptavit promissionem juratam, & renunciet promissioni, Jurans liberatur à Juramento.

X. Octavò: Qui jurat de materia reservata Summo Pontifici, verbi gratia, de Religione, & de Castitate perpetua, ejus Juramentum, sicuti votum, est Summo Pontifici reservatum. Ita Mendo in Epitome opinionum moralium verbo *Juramentum* n. 9., quamvis contrarium etiam probabiliter doceant Layman, Pellizzarius, & alii apud Tamburinum lib.3. c.7. §.3. n.7. Si verò juretur de

materia indifferenti, vel impeditiva majoris Boni, Juramentum eſt nullum.

XI. Nonò: Captus ab Infidelibus, ſi cogatur jurare, ſe rediturum, vel miſſurum pretium Redemptionis, tenetur implere, alioquin ſequeretur Scandalum, & contemptus Eccleſiæ. Non tenentur tamen alii, qui vi, vel metu gravi coguntur jurare, vel vovere in favorem etiam Tertii; quia cum deſit perfecta ratio voluntarii, Votum, & Juramentum ſunt invalida: Mendo ubi ſupra n.5.

XII. Decimò: Juramentum ſolvendi uſuras tenet, ſed cum Uſurario nullum Jus ſit acquiſitum, poteſt Jurans ab Epiſcopo, vel ab alio habente privilegium diſpenſari, ut clarè colligitur ex Cap. *Debitores* de Juramento.

XIII. Undecimò: Qui etiam fictè jurat ducere Puellam, quæ propterea conſentit in copulam, obligatur eam ducere, niſi tanta ſit Natalium diſparitas, ut illa facilè cognoſcere potuerit fictionem, & conſequenter voluerit decipi. Ita Joannes Allozza verb. *Juramentum*, n.52.

XIV. Duodecimò: Qui jurat ſine animo jurandi, ſed cum animo implendi, peccat mortaliter, ſi hoc in Judicio faciat; quia juridicè deferenti Juramentum adeſt obligatio reſpondendi Juramento vero: ita Doctores communiter. Extra judicium verò, & extra Contractus, hunc peccare ſolùm venialiter probabiliter docet Suarez tom.2. de Religione Tract. de Juramento lib.3. cap.17. Caſtropalaus tom.3. tract.14. diſp.1. punct.8. n.4. Thomas Sanchez lib.3. Summæ cap.6. num.10., & Leonardus Leſſius lib.2. de Juramento cap.42. dub.8. num. 42. Ratio ipſorum eſt, quia jurare verum ſine animo jurandi (extra Judicium, & extra Contractus) eſt mendacium non perniciosum Homini, quia cum adſit animus implendi, nullum ei affertur præjudicium: neque eſt perniciosum Deo, quia quamvis exteriùs afferatur teſtimonium Dei, illud affertur in materia vera; ergò remanet, quòd ſit ſolùm mendacium non perniciosum, atque adeò leve. Oppoſitum docuerunt Cajetanus 2. 2. quæſt. 89. art. 7. Armilla verb. *Perjurium* n.3. Covarruvias de Pactis 1. par. §.5. num.2., & noviſſimè Filgueira in Expoſitione Propo-

positionis 25. ab Innocentio XI. damnatæ, quæ dicebat: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis:* quorum opinionem fusè refutat Cardenas differt.18. cap.2. & 3., ostendens sententiam communem primo loco relatam esse veram, & nullo modo cadere sub damnationem Innocentianam; quia hæc intelligitur de Juramento quovis modo facto, idest etiam sine animo implendi. Secundò: quia Innocentius damnat Propositionem affirmantem esse absolutè licitum, & consequenter, neque esse venialiter peccaminosum jurare sine animo jurandi; at communis sententia, quæ dicit esse peccatum mortale, si juretur sine animo implendi, dicit etiam esse peccatum veniale, si juretur sine animo jurandi, licèt habeatur intentio implendi, undè non docet, hoc esse absolutè licitum, cum peccatum veniale sit semper illicitum: quarè immeritò conatur Filgueira hanc sententiam damnationi supponere.

XV. Decimotertiò: In dubio Juramentum est restringendum, ut minùs gravet Jurantem: nam, quando de aliqua obligatione agitur, semper est facienda restrictio, ex L. *Quidquid* ff. de Obligationibus verborum: & notat Mendo in Epitome loco citato, num.10.

XVI. Qui Juramento Promissorio se obligavit, excusatur ab ejus impletione: Primò: si materia Juramenti fiat illicita, aut impeditiva majoris Boni: verbi gratia, si jurasti donare Petro hunc Equum, quem credebas tuum, & nunc sis certior esse alienum, non teneris implere Juramentum, quia materia est illicita: si jurasti hoc mane nunquam discedere ab Ecclesia, sed si non discedas ad assistendum Moribundo, periclitabitur ejus salus; Iuramentum te amplius non obligat, quia impediret majus Bonum: Secundò: si status rei sit notabiliter mutatus: verbi gratia, jurasti punire delinquentem, & hic jam sit emendatus, & supplex veniam petat, non teneris stare Juramento: Tertiò: si res jurata reddita sit inutilis ad finem Jurantis: verbi gratia, jurasti corripere Proximum, ut melior fieret, videns postea per correctionem evasurum pejorem, non debes corripere: Quartò: si sic ferant

conditiones, quæ tacitè inſunt promiſſioni : verbi gratia, ſi juraſti Matrimonium contrahere cum Berta, & hæc cum alio fornicetur, non teneris Juramento, quia in promiſſione Matrimonii ita fuerunt conditiones, quæ tacitè inſunt : Quintò denique, ſi rem juratam mutes in evidenter meliorem. Ita Doctores communiter apud Sanchez in Decalogum tom.1. lib.3. de Juramento.

XVII. Notandum eſt hìc, quòd Juramentum interpretandum eſt juxtà naturam actus, ſuprà quem cadit, juxtà regulam Juris. 42. in 6. *Acceſſorium ſequitur naturam Principalis* : undè imbibit eoſdem ſenſus, intelligentias, conditiones, & reſtrictiones, quas ſecundùm naturam, jura, conſuetudines, & acceptationes Hominum habet actus, cui adnectitur : undè ſi Puellæ diviti, Virgini, bonæ famæ juraſti, te illam ducturum in Matrimonium, ſi fiat pauper, vel defloretur ab alio, vel evadat malæ famæ, non teneris ſtare Juramento, ſicuti non teneris ſtare actui illam ducendi in Uxorem : ſimiliter ſi juraſti non revelare ſecretum naturale, poteris illud revelare, ſi ex non revelatione tibi, vel alteri grave damnum immineat : Diana par.6. tract.6. reſol.60., cum aliis : intellige tamen niſi poſſis alia via illud grave damnum vitare, tunc enim ad ſervandum Juramentum obligareris.

C A P. V.

An in Juramento licitum ſit Amphibologiis, & Æquivocationibus uti.

I. CEleberrimum dubium eſt inter Morales Theologos, an in Juramento liceat uti æquivocationibus, & amphibologiis poſt damnatas ab Innocentio XI. has Propoſitiones, nempè 26., quæ ſic habet : *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis gratia, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe*

fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam, ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud abditum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. Vigesimam septimam, quæ est hujusmodi: *Causa justa utendi his amphibologiis, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* Denique vigesimam octavam, quæ dicebat: *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare Juramentum, quod de mandato Regis & similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

II. Supposita itaque damnatione hujusmodi Propositionum facta à Summo Pontifice, qui sicut in rebus Fidei, sic in materia morum errare non potest, certissimum est, non esse licitum uti restrictione mentali: verbi gratia, quòd qui occidit Petrum, dicat exteriùs, se non occidisse, intelligendo interiùs in Indiarum regionibus: quia hic modus restringendi per solum mentis conceptum id, quod exteriùs profertur, facit, ut aliud dicatur exteriùs, aliud interiùs retineatur, quod est propriè mendacium, semper intrinsecè malum.

III. Videndum ergò superest, an licitæ sint amphibologiæ, seù æquivocationes absquè restrictione mentali: pro quo advertendum est, aliqua verba esse per se talia, ut plures, diversasque significationes in se contineant, & appellantur a Dialecticis æquivoca, vel analoga: verbi gratia Canis per se significat tam Canem terrestrem, quàm Cælestem, quàm marinum: sanitas significat sanitatem Corporis, & sanitatem mentis. Verbum *Scio* propriè acceptum significat habere cognitionem, seù Scientiam certam, & evidentem; latè acceptum significat quamcumque notitiam, quam vel ex probabili ratione, vel ex fide humana habemus: sic dico, *me scire Petrum esse mortuum*, quia hoc audivi à Paulo. Alia verò verba unam per se habent significationem, sed ex circumstantiis exter-

ter-

ternis poſſunt determinari ad aliam, ab audiente fortaſſè non obſervatam. Sic S. Franciſcus, quærentibus ab eo quibuſdam, an Homo ab eis quæſitus ad necem indè tranſiſſet, manum in manicam intromittens, reſpondit, hinc non tranſiit: determinavit enim per illum actum ea verba ad tranſitum per manicam; & illi Homines eadem intellexerunt de tranſitu per illum locum.

IV. Ad has circumſtantias pertinet jus in interrogante, nam quandò Judex interrogat in Judicio Reum, requiritur, ut interrogatio ſit juridica, undè Reus, cui non conſtat hanc eſſe juridicam, poteſt uti æquivocatione, & ſic ſi neget, negabit ſe commiſiſſe delictum, juxtà illam juridicam interrogationem. His poſitis.

V. Conveniunt omnes Theologi, teſte Cardinali de Lugo diſp. 4. de Fide ſect. 5. num. 68. eſſe ſaltem veniale peccatum uti talibus amphibologiis, ſinè ulla cauſa: quia licet illud non ſit mendacium, aliquod tamen detrimentum affert humano convictui, humaniſque colloquiis, ac propterea eſt venialiter peccaminoſum; ſi tamen cum aliqua cauſa fiat, etiam veniale peccatum vitabitur: undè Sotus adductus à Sanchez ait, excuſari à culpa illum, qui in jocis ridiculis amphibologicè recreationis cauſa loquitur: Hoc tamen intelligendum eſt, niſi addatur Juramentum, quia ad hoc rèquiritur gravior cauſa, ſeù neceſſitas propter reverentiam Divini Nominis, licèt idem Auctor credat etiam in hoc caſu non futurum peccatum mortale, ſed aliquod veniale grave.

VI. Communis igitur, ac vera ſententia eſt, eſſe licitum ex cauſa juſta, & rationabili uti his amphibologiis: ratio eſt, quia qui profert verba amphibologica, modo nuper explicato; profert verba habentia vel ex ſe, vel ex ſua inſtitutione, vel ex circumſtantiis, & modo interrogandi veram ſignificationem, atque adeò non mentitur; ſed ſolùm occultat veritatem, quam occultare aliquando eſt utile, aliquando etiam obligatorium, ut conſtat ex D. Auguſtino in Pſalmum 5. & refertur in capite Ne quis 2. p. 2. his verbis: *aliud eſt mentiri, & aliud veritatem occultare: Siquidem aliud eſt falſum dicere, aliud ve-*

verum tacere, ut si quis fortè non velit ad istam visibilem mortem hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur. Quòd verò audiens ea verba eadem accipiat in alio sensu, non provenit ex loquente, tamquàm ex causa, sed tamquàm ex occasione, quam loquens non tenetur vitare cum suo incommodo: Et si enim aliquod detrimentum indè sequatur circà humanum commercium, tale detrimentum non sequitur per se ex amphibologica locutione, sed per accidens, nempè ex ignorantia auditoris, qui negligit examinare, & penetrare sensum omnium verborum: loquens enim satisfacit, conformando verba externa cum sua mente, nec obligatur gerere vices Procuratoris illius, qui audit, præsertim cum proprio incommodo, & damno: sibi itaque, & suæ imperitiæ imputet audiens, si intelligit verba in diverso sensu ab eo, in quo proferuntur, ad commercium enim humanum satis est, si proferantur verba conformia menti, & sinè causa non utatur Homo amphibologiis. Ita Eminentissimus de Lugo loco citato num. 70. Hanc doctrinam axpresse tradit S. Augustinus in lib. contra Mendacium cap. 10. affirmans, *loquentes per metaphoram, & Allegoriam occultare quidem audientibus veritatem, sed non mentiri. Undè Jacob non est mentitus cum dixit Patri: Ego sum Primogenitus tuus Esau, propter mysticam, & metaphoricam significationem, quam Isaac tunc non intellexit. Jacob autem quod Matre fecit auctore, ut Patrem fallere videretur, si diligenter, & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium; quæ si mendacia dixerimus, omnes etiàm parabolæ, ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia, quod absit omninò: Nam qui hoc putat tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam, ità ut hæc ipsa, quæ appellatur metaphora, possit ista ratione mendacium nuncupari.*

VII. Ex his patet, quomodò Christus Joannis 7. dixerit: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum im-*

impletum eſt. Nam S. Auguſtinus loco citato, ait. *Quid videtur contrarium, quandò tunc non aſcendit, quandò negavit, ſed aſcendit poſted?* Equivocatio itàque, & amphibologia fuit in verbo *aſcendo*, quod Chriſtus dixit pro præſenti, & Diſcipuli acceperunt pro futuro: rursùs dum dixit, *non aſcendo ad diem feſtum hunc*, ſtatim ſubdit rationem, *quia meum tempus nondum advenit:* cum quo ſignificavit, ſe non celebraturum ut ſuum diem feſtum illum, ad quem Diſcipuli eum invitabant, ſed alium, in quo per Paſſionem ſuam erat redempturus Humanum Genus: Undè ibidem Auguſtinus addit: *Et aſcendit non quaſi ad diem feſtum, ſed quaſi ad perfruendas delicias diei feſti: certum eſt ergò quia non aſcendit ad diem feſtum Salvator: Is autem illi fuit dies feſtus, qua Paſſione ſua Mundum redemit*.

VIII. Juxtà hanc doctrinam ſi quis mortem minetur Confeſſario, niſi dicat, an audierit aliquod peccatum, quod verè audivit in Confeſſione, poterit jurare, ſe non audiviſſe, quià in circumſtantiis Confeſſionis, cum non audierit ut Homo, ſed ut gerens Perſonam Dei, verum jurat cum neceſſitate.

IX. Secundò: qui occultè novit Adulterium Fæminæ, quod jure naturali tenetur non manifeſtare, ne famæ, vitæque ejus noceat, jurare poteſt, ſe neſciſſe adulterium, quia verè illud neſcit, veritate propriè tali: &, ut vult Suarez illud neſcit juxta ſenſum, quem habere debet interrogatio, ſcilicet per notitiam convenientem ad reſpondendum: non enim eſt conveniens reſpondere contrà Divinum Præceptum.

X. Tertiò: ſi Adultera minanti Marito, niſi aperiat Adulterium, quod ſi aperiat, occidetur, juret, ſe non violaſſe fidem, aut ſe non vulneraſſe ejus honorem, aut ſe non commiſiſſe adulterium, intelligendo de Fide Catholica, de vulnere corporali, vel de Idolatria, quæ in Divinis Scripturis frequentiſſimè ſignificatur nomine adulterii, utetur verbis amphibologicis abſque ulla reſtrictione mentali.

XI. Quartò: Reus Judici non juridicè interroganti, po-

poterit cum Juramento respondere, se nescire in sensu interdicto, vel etiam se non commisisse delictum, quod videlicet obligetur manifestare vi talis interrogationis non juridicæ, quia qui jurat in Judicio se responsurum veritatem Judici, jurat de responsione, non quacumque, sed de illa, ad quam tenetur, hoc est de ea, quæ interrogationi juridicæ debetur: ac proindè si Judicis interrogatio non sit juridica, Juramentum Rei ipsum non obligat ad dicendum verum apertè, & clarè, sed potest illud æquivocationibus occultare: sic verbi gratia si interrogetur Servus, an ejus Dominus reperiatur Domi, poterit sine mendacio quærentibus respondere, illum egressum fuisse Domo, quamvis aliàs Domi maneat: quia cum illa verba sint capacia significativa egressus præteriti æquè ac præsentis, faciunt, ut verum dicatur, cum referri possint ad tempus præteritum, in quo verum fuit, quòd Dominus Domu egressus sit.

XII. Quintò: Pœnitens, qui ritè jam confessus est adulterium, quod commisit, si de hoc iterum interrogetur ab alio Confessario, & respondeat, se non commisisse, verum respondet, si ab ultima Confessione non commisit, quia interrogatio Confessarii est de adulterio spectante ad præsentem Confessionem, non de adulterio jam per absolutionem remisso: excipe tamen, quando Pœnitens teneretur illud iterùm fateri ob manifestandam peccandi consuetudinem, juxta doctrinam Patris Cardenas dissert. 37. cap. 5., tunc etenim obligaretur illud expresè, & sinè æquivocatione fateri.

XIII. Similiter si quis petat mutuam à me pecuniam, qua ego indigeo, vel quam prudenter credo, ipsum nunquam, vel saltèm difficilè restituturum, possum respondere, me non habere, videlicet juxtà intentionem, quam habet Petens, seu quam debet habere ex vi petitionis mutui, aliquando reddendi, & sine difficultate restituendi, quando illius indigentiam habeat ipsemet mutuans.

C A P. VI.

An Reus juridicè interrogatus reſpondere poſſit cum Æquivocatione, quando agitur de periculo propriæ vitæ?

I. RESpondeo, quòd non pauci Doctores putant, etiam in hoc caſu Reum teneri aperire veritatem, nec poſſe uti amphibologiis pro ea occultanda. Hi ſunt S. Thomas, Henriquez, Gabriel, D. Antoninus, Arragonius, Corduba, Paludanus, Fumus, Tabiena, Martinus Navarrus, Toletus, Valentia, Graffius, Salonius, Sayrus, Petrus de Leueſma, Philiarcus, Bannes; quibus ſubſcribunt Thomas Sanchez lib. 6. Conſiliorum cap. 3. dub. 29., & Gonet. tom. 3. in diſſertatione de Opinionum Probabilitate num. 95.

II. Fundamentum ipſorum eſt, quia inter partes Juſtitiæ legalis potiſſima eſt obedientia, qua Subditus tenetur obedire Superioribus juſtè præcipientibus; ſed quando Judex juridicè interrogat, juſtè præcipit Reo, ut ſuum delictum aperiat; ergo tenetur hic aperire, alioquin, ſi non teneretur, non poſſet licitè Judex eum cogere tortura ad illud fatendum, quia iniquum eſt cogere quemquam ad præſtandum id, ad quod non tenetur.

III. Oppoſitam tamen ſententiam, quòd poſſit Reus veritatem amphibologiis occultare, quando agitur de propriæ vitæ periculo, ſuſtinent Petrus Navarrus, Sylveſter, Panormitanus, Rodriquez, Villalobos, Filliucius, Fagundez, Alcozer, Reginaldus, Portella, Peyrinus, Diana, Joannes Sanchez, Tamburinus, & alii, quibus adhæret Cardinalis de Lugo tom. 2. de Juſtitia, & Jure, diſp. 40.

disp.40. sect.1. num.14., ipsamque veram reputat Cardenas dissertat.19. cap.7. num.32.: ratio est, quia Lex humana nequit obligare in conscientia nisi ad rem humano modo possibilem, & humanæ infirmitati accommodatam, alioquin esset inutilis, & conscientiis illaqueandis tantummodò inserviens: est autem res humano modo impossibilis, & superans humanam infirmitatem, quòd Reus alioquìn certè non damnandus, dicat contra se testimonium, ut ad mortem damnetur: addo, quòd delicto etiam plenè probato, non tenetur in conscientia Reus citatus à Judice spontè comparere cum periculo vitæ, imò si sit in Carcere, potest licitè fugere etiam contra præceptum sibi à Judice factum non fugiendi, etiam sub pœna excommunicationis, quia jus naturale reddit licitam fugam ad tuendam propriam vitam; ergo idem jus excusabit illum in conscientia ab aperienda veritate, etiam si constet ipsi, se juridicè interrogari.

IV. Imò plures Doctores relati à De Lugo loco citato asserunt, non teneri Reum veritatem aperire, sed posse illam æquivocationibus occultare Judici interroganti juridicè, si timeat damnationem ad triremes, confiscationem omnium Bonorum, periculum amittendi honorem, & similia: quam sententiam probabilem, & practicè tutam in causis Capitalibus censeo, quidquid in contrarium asserat nimis rigidè Turrianus disp.50. dub.2. n.7., & in Selectis centuria prima dub.75. de Censuris Theologicis.

V. Fundamento oppositæ sententiæ respondetur, Judicem posse obligare Reum in causa semiplenè probata ad veritatem non occultandam sub pœna, non autem sub culpa, sicuti illum obligat ad non fugiendum è carcere sub pœna, non tamen sub culpa, ut etiam Adversarii fatentur.

CAP. VII.

De Irritatione, Remiſſione, Relaxatione, & Commutatione Juramenti.

I. Illi poſſunt Juramenta irritare, qui poſſunt & vota: ii autem ſunt Prælatus Regularis reſpectu Subditi, Pater reſpectu Filii, Vir reſpectu Uxoris, & Dominus reſpectu Servi, ſicut etiam Tutor reſpectu Pupilli: ita ex S. Thoma 2. 2. quæſt.89. art.9. colligunt communiter Doctores: excipe tamen quando irritatio cederet in damnum Tertii, tunc enim Juramenta etiam prædicti irritare non poſſunt, niſi in quantum ſint ſibi præjudicialia: & ſic Pater poteſt etiam nulla exiſtente cauſa irritare Juramenta Filii de dando alteri aliquam ſummam pecuniæ, niſi tamen Filius habeat proprium peculium, cum quo poſſit alteri, in cujus favorem juravit, ſatisfacere; tunc enim Pater irritare non poſſet Juramentum Filii, cum in proprium præjudicium non cederet. Ita Layman lib.4. tract.3. cap.11.

II. Circa remiſſionem verò Juramenti, ille ſolùm, in cujus favorem fuit emiſſum, poteſt remittere, ſeu condonare Juramentum. Quando autem hoc fuit præſtitum in favorem alicujus Perſonæ ſecundariò, primariò verò in Dei obſequium; tunc cenſent nonnulli, etiam remittente illa Perſona, adhuc Juramentum obligare, cum adhuc perſeveret motivum primarium, pro quo Juramentum emiſſum fuit, quamvis contrarium doceat Tamburinus in Decalogum lib.3. cap.7. §.2. n.2.

III. Tunc relaxari dicitur Juramentum, quando qui poteſtatem habet, à Juramento Subditum abſolvit: quod enim in Voto diſpenſatio dicitur, in Juramento magis pro-

propriè relaxatio appellatur. Possunt autem omnia Juramenta soli Deo præstita relaxari, justa tamen existente causa: Primò, à Summo Pontifice pro toto Orbe: Secundò ab Episcopis, aliisque Ecclesiæ Prælatis jurisdictionem habentibus respectu suorum Subditorum: Tertiò à Personis privilegium dispensandi, & relaxandi à Summo Pontifice habentibus, de quibus videri potest Tamburinus loco citato §.3. num.9.

IV. Dixi Juramenta soli Deo præstita; quia Juramenta facta in favorem Tertii non possunt ne quidem à Summo Pontifice relaxari, nisi ille, in cujus favorem juratum fuit, Juramentum remittat. Excipitur tamen quandò commune Bonum postularet talis Juramenti relaxationem, tunc enim posset Summus Pontifex relaxare, etiam invito eo, in cujus favorem Juramentum emissum fuit: Bonum namque publicum debet prævalere privato: Tamburinus ibidem num.2.

V. Justæ autem causæ relaxandi Juramenta hæ communiter assignari solent à Doctoribus: Prima, quando Juramentum metu, vi, aut dolo extortum fuit: Secunda, quando dubitatur de valore Juramenti: Tertia, quando adest dubium, an cedat in injustam læsionem Tertii: Quarta, quando adest dubium, an observando Juramentum possit dari in observante periculum, seu occasio peccandi: Quinta, quando Juramentum temerè, aut inconsideratè, vel ex iræ, aut doloris perturbatione factum fuit: Sexta denique, quando dubium est, an res jurata ampliùs bona non sit: Dixi *quando dubium est*, quia quando est certum, materiam juratam turpem evasisse, tunc relaxatione, aut dispensatione opus non est; Juramentum enim de se ampliùs non obligat, cum non debeat esse vinculum iniquitatis, ex Cap. *Non est obligatorium* 58. de Regulis Juris in 6. apud Lessium de Justitia, & Jure lib.2. cap.18. dub.4.

VI. Si verò aliqua causa adsit, sed, omnibus expensis, omninò sufficiens non videatur ad relaxandum totaliter Juramentum, tunc datur locus commutationi Juramenti in aliud opus, quod minùs gravet Jurantem, ut docet

San-

Sanchez in Decalogum tom.1. lib.3. cap.19. num.4.

VII. Ad commutandum Juramentum ſoli Deo præſtitum in opus evidenter meliùs neceſſarium non eſt adire Superiorem habentem poteſtatem commutandi, ſed poteſt ipſemet jurans commutare, cum non dicatur promiſſum infringere qui in meliùs illud commutat. Ita Toletus, Valentia, Sanchez, aliique apud Tamburinum lib.3. cap.7. §.4. num.5. Imò probabile eſt ex Reginaldo, Valentia, & Emmanuele Sa apud Bonaccinam tom.2. diſp.4. quæſt.1. punct.17. num.11., quòd poſſit etiam unuſquiſque commutare in opus æquale, cum tunc reddatur Deo, quòd æquè illi gratum eſt: in minùs verò nullatenùs poteſt quis ex ſe ipſo commutare, quia ad hoc requiritur poteſtas Juriſdictionis: undè ſolùm poſſunt Juramentum in minùs commutare, qui habent poteſtatem irritandi, & relaxandi, de quibus diximus num.1. & 3.

VIII. Notandum denique, quòd etiam commutatio in minùs ſine cauſa ab habente poteſtatem facta nec licita eſt, nec valida: quia commutatio in minùs eſt ſpecies diſpenſationis, quæ, ſi fiat in Lege Superioris ſine cauſa, nulla eſt, ut cum communi firmat Sanchez in Decalogum tom.1. lib.3. c.19. n.4. Verum tamen eſt, quòd minor cauſa requiritur ad commutandum in minùs, quàm ad totaliter relaxandum Juramentum: & sic ſolam majorem difficultatem, aut majus incommodum, quæ Juranti ſuperveniant ad Juramentum exequendum, eſſe cauſam ſufficientem ad illud in minùs commutandum, teſtatur Tamburinus in Decalogum lib.3. cap.7. §.4. n.12.

FINIS

Opuſculi de Juramento.

OPU-

OPUSCULUM QUINTUM.

DE BLASPHEMIA.

CAP. I.

Quid ſit Blaſphemia, & quomodo dividatur.

I. BLaſphemia eſt contumelioſa in Deum locutio: alia eſt in Deum immediatè, ut cum de ipſo dicitur, eſſe injuſtum, ingratum, &c.: alia eſt mediatè, ut cum malè loquendo de Creaturis, verbi gratia, dicendo, Sanctos non eſſe adorandos, hominem non eſſe Imaginem Dei &c., quis male loquitur indirectè de ipſo Deo. Si talis locutio fuerit merè interna, dicitur Blaſphemia Cordis; ſi fuerit externa dicitur Blaſphemia oris.

II. Ex Blaſphemiis alia eſt in Patrem, alia in Filium, alia in Spiritum Sanctum, juxta tria Specialia attributa Divinarum Perſonarum, nempe Omnipotentiam, quæ tribuitur Patri, Sapientiam, quæ Filio, Bonitatem, quæ Spiritui Sancto.

III. Contumelioſa in Deum locutio ex paſſione, & impotentia animi, dicitur Blaſphemia in Patrem: ut cum quis ex antecedente paſſione, & concupiſcentia dicit, non eſſe peccatum fornicari, ut ita in ſua libidine aliquem pertrahat. Dicitur Balaſphemia in Filium, cum quis contumelioſè loquitur in Deum ex ignorantia vincibili, ut ante Converſionem faciebat Paulus, qui ad Timotheum 1. cap.1. dicit ſe ignorantem fuiſſe blaſphemium.

Bla-

Blaſphemia in Spiritum Sanctum eſt locutio in Deum ex pura malitia, ideſt cum abſque paſſione, & ignorantia quis malè loquitur de Deo, ut faciebant Phariſæi, & Scribæ, qui dicebant Chriſtum in Beelzebub ejicere Dæmonia.

IV. Cæterùm dicitur peccatum Blaſphæmiæ eſſe in hanc, vel in aliam Perſonam Divinam, non quia ſit aliquando offenſivum unius Perſonæ, & non alterius, [nam cum ſit trium Divinarum Perſonarum unica Eſſentia, peccatum, quod eſt contra illarum unam, eſt contra omnes) ſed quia hæc vel illa Blaſphemia eſt contra certas perfectiones particulares Divinis Perſonis attributas. Sic Balphemia in Patrem opponitur Potentiæ, quæ peculiariter attribuitur Patri, Blaſphemia in Filium opponitur Sapientiæ, quæ ſpecialiter attribuitur Filio, Blaſphemia in Spiritum Sanctum opponitur Charitati, quæ peculiariter Spiritui Sancto tribuitur.

V. Dividitur pariter Blaſphemia in Hæreticalem, quæ importat falſitatem contra Fidem: exempli gratia, dum Deo, vel Sanctis tribuitur aliquod indecens, ut ſi quis dicat; Deus eſt crudelis, invidus, &c.: Sancti ſunt ſuperbi, mendaces, &c.: vel dum aliquid iiſdem negatur, quod eis competit, verbi gratia, Deus non eſt juſtus, miſericors, &c.: Maria non eſt Mater Dei: Sanctus Petrus non fuit Vicarius Chriſti: vel dum Creaturæ tribuitur aliquid, quod ſoli Deo debetur, ut ſi quis diceret: Diabolus eſt fidelior Deo: vel denique quando vera quidem dicuntur, ſed quæ in vilipendium & dehonorationem Dei, & Sanctorum redundant: ut ſi quis irriſoriè cum Judæis diceret Chriſto: ave Rex Judæorum.

VI. Dividitur etiam Blaſphemia in ſimplicem, quæ dicitur verbum Deo contumelioſum, non tamen ſonans aliquam falſitatem contra Fidem: ut ſi quis dicat: faciam hoc ad deſpectum Dei, ideſt licèt Deus prohibeat pereat Deus, ſi non ita eſt: maledictus, &c. de quibus videatur Stoz lib. 1. p. 3. q. 3. art. 2. §. 1. num. 170.

VII. Notandum, quòd ſi Blaſphemia Hæreticalis ſit conjuncta cum errore intellectus, ideſt, ſi eam exteriùs cre-

credat, quod ore profert, eſt Hæreſis, & ſic Blaſphemans eſt Hæreticus.

VIII. Si quis blaſphemet expreſſa intentione, & animo Deum in ſe, vel in ſuis Creaturis dehonorandi, dicitur Blaſphemia formalis, quæ non niſi in perditiſſimis hominibus datur. Si verò quis blaſphemet ſine dicta intentione, cum advertentia tamen plena, quòd ea verba ſint Deo contumelioſa, dicitur Blaſphemia materialis: & utraque eſt ſemper peccatum mortale, licèt prima ſit hac ſecunda valdè gravior.

IV. Unus eſt Caſus, in quo Blaſphemia poteſt eſſe aliquando venialiter peccaminoſa, nempe cum non adeſt in Blaſphemante plena advertentia, ut accidit in ſubita, & vehementi animi commotione, aut inveterata conſuetudine, quam quis conatur removere. Undè cum frequentiſſimè deſit plena advertentia, fit, ut talia verba Blaſphemiæ rarò ſint mortaliter peccaminoſæ. Leſſius lib. 2. cap. 45. dub. 5. num. 32. Diana in Summa Verbo *Blaſphemia* n. 5. & 6. apud Stoz lib. 1. p. 3. q. 3. art. 2. §. 1. num. 173. & Buſſembaum lib. 3. tract. 2. de Secundo Præcepto Decalogi cap. 1. num. 8.

CAP. II.

Quæ nam ſit dicenda Conſuetudo Blaſphemandi in ordine ad Reſervationem: & de obligatione talem Conſuetudinem extirpandi.

I. ALiqui Doctores apud Patrem Jacobum de Graffis in Praxi Caſuum Reſervatorum lib. 1. de Blaſphemia Cap. 10. tenent conſuetudinem induci per tri-

plicem actum, non autem per unicum tantum, aut per duplicem, quia tunc dicitur actus rarò fieri juxta Bartolum in L. *Jura* num. 1. ff. de Legibus.

II. Graffium ſequitur Floronus 1. 2. de Caſibus reſervatis caſ. 3. num. 10., ubi ait, tunc aliquem dici Blaſphemum Conſuetudinarium, quando ab ultima Confeſſione per tres vices blaſphemavit, modò tamen illas Blaſphemias non eodem impetu, ſed in diverſis actibus protulerit: nam ſi quis eodem impetu, & in eodem actu pluries blaſphemaverit, non dicetur per hunc authorem Blaſphemus Conſuetudinarius, quia licèt illæ Blaſphemiæ ſint materialiter plures, unam tantùm Blaſphemiam in genere moris conſtituunt, cum ex eodam Paſſionis impetu procedant.

III. Janſon verò in L. *Ait Prætor* §. *jurari* num. 14. ff. de Jurejur. ubi agit, qua pæna puniendus ſit Blaſphemus Conſuetudinarius, dicit non ſufficere binos, aut ternos actus, ut aliquis dici poſſit Blaſphemus Conſuetudinarius, licèt alias bini, aut terni actus Conſuetudiem inducant, ſed requiri multò plures reiterationes: quod etiam aſſerit Menochius de Arb. Jud. caſ. 375. n. 31. apud eumdem Floronum loco citato.

IV. Finellus tamen, in ſua erudita lectione de Caſibus Reſervatis Caſu 3. num. 28. & ſequentibus dicit, quòd cum hìc ſimus in foro Conſcientiæ, in quo mitiùs agitur, quàm in foro externo, ille dicitur Blaſphemus Conſuetudinarius in ordine ad Reſervationem, qui cum aſſidua actuum frequentatione Blaſphemiis eſt adictus, & ob id non ſat eſſe ſi ſemel, aut iterum blaſphemaverit, ſed multò pluries. Ubi etiam notat, quòd non poſſit certò determinari numerus Blaſphemiarum, quæ requirantur ad Conſuetudinem reſervatam inducendam, ſed id eſſe relinquendum arbitrio prudentis Confeſſarii, qui ex diverſis circumſtantiis judicabit, an hic, & nunc ſuus Pænitens aſſidua actuum frequentatione blaſphemaverit. Undè ait, non dici Blaſphematorem Conſuetudinarium illum, qui etiam deciès blaſphemaverit unico, vel altero die, ſi tamen non fuerit antea blaſphemare aſſuetus: & poſſe dici con-

Consuetudinarium illum, qui duabus tantum vicibus in singulos menses continuos blasphemaverit, maximè si per plures annos hujusmodi Blasphemiis fuerit assuetus. Et ex hac doctrina facile poterunt Confessarii cognoscere, quando nam poterunt, & quando non poterunt, blasphemos Pænitentes absolvere, ubi adest reservatio Consuetudinariæ Blasphemiæ.

V. Quod verò attinet ad obligationem tollendi Consuetudinem blasphemandi, dico, quòd si quis ex Consuetudine culpabiliter blasphemet, nullum dubium est, quòd tenetur sub mortali talem Consuetudinem, in quantum poterit, à se amovere: si verò illa prava Consuetudo sit inadvertenter blasphemandi, tunc non conveniunt Doctores, an sit sub mortali extirpanda. Castropalaus enim tr. 14. de Juramento disp. 1. punct. 9. n. 4. Sanchez lect. 3. Moral. c. 5. num. 11. Suarez de Juramento l. 3. c. 6. num. 6. Bonaccina de Juramento quæst. 1. punct. 13. n. 5. & Bussembaum l. 3. tr. 2. cap. 1. n. 7., censent habentem talem Consuetudinem obligari sub mortali eam extirpare. Fundamentum ipsorum est, q. Consuetudo sæpe est occasio etiam culpabiliter blasphemandi, ergo qui illam tollere non conatur, cum possit, censetur velle Blasphemiam culpabilem, tamquam effectum ex sua causa.

VI. Oppositum nihilominus benigniùs sentiunt (an autem probabiliter alii judicent) Joannes Sanchez in Selectis disp. 9. num. 5. Gabriel Vasquez tom. 8. in 3. p. quæst. 91. art. 1. disp. 3. num. 3. aliique, quos citat, & sequitur Matthæus Stoz in suo Tribunali Sacramenti Pœnitentiæ l. p. part. 3. quæst. 3. art. 2. §. 1. num. 176. Ratio ipsorum est, quia falsum esse asserunt, Consuetudinem esse occasionem peccandi: non enim idem sunt Consuetudo, & Occasio, alioquin qui haberet Consuetudinem consentiendi cogitationibus malis, se polluendi, & similium, esset in Occasione peccandi, quod nemo dicet: corruit ergo in istorum sententia fundamentum contrariæ sententiæ, quæ confundere videtur Occasionem cum Consuetudine.

VII. Rursùs certum communiter est, neminem teneri in Confessione explicare Consuetudinem, ex qua pecca-

vit, niſi de illa à Confeſſario interrogetur. Ità Bonacclna de Sacramentis diſp. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. diff. 3. num. 22. Suàrez de Pænitentia diſp. 21. ſect. 4. num. 15 Reginaldus l. 6. num. 138. & Diana part. 1. tract. 7. de Circumſtantiis reſol. 15. & 55. Sed ſi Conſuetudo aſſet Occaſio, obligaretur eam confiteri, ut de proxima Occaſiane voluntaria, docent communiter omnes; ergo manifeſtum videtur Conſuetudinem prædictam non poſſe dici Occaſionem.

Quod ſi quis, terminis abutens, velit hanc vocare Occaſionem internam, non externam, qualis eſt retentio Concubinæ domi, quæ ſi poſſit expelli, grave peccatum eſt ab actu fornicationis diſtinctum illam retinere: & ſi quis dicat eſſe obligationem talem habitum extirpandi; reſponderi poteſt talem obligationem eſſe indiſtinctam ab obbligatione non peccandi, atque adeò ſufficere, ſi ſic Blaſphemans curet non blaſphemare, quod non ſufficit in externa Occaſione voluntaria; illam enim habens non ſolum obligatur, verbi gratia non fornicari, ſed etiam alia obligatione tenetur Concubinam domo ejicere.

IX. Si quis autem illum habitum blaſphemandi expreſsè vellet retinere, ut haberet majorem blaſphemandi facilitatem, tunc utique tam perverſa voluntas eſſet novum peccatum: ſed hoc accidere nequit, niſi quis ſit diabolicè malus.

CAP. III.

De variis Generibus Blaſphemiarum: & ad quos nam pertineat Blaſphemorum punitio.

I. QUi iratus non contra Deum, ſed contra hominem, nominat membra, vel mortem Chriſti, ejus Vulnera, Sacramenta, & ſimilia, dummodo abſit con-

contemptus, & scandalum, non blasphemat, sed vanè usurpat Divinum Nomen, & venialiter peccat: Stoz loco citato num.179., & Bussembaum ubi supra n.9.

II. Imprecans alteri fulmina, grandinem, Dæmonem, mortem, &c., ob subitam iram usum rationis aliquatenus avertentem, quæ tamen mala extra iram ipsi nollet evenire, non blasphemat, neque mortaliter peccat: Si tamen Filius Parentibus, & Subditus Superiori ea in faciem imprecaretur, esset gravis irreverentia, atque adeò mortalis, ut omnes communiter docent. Similiter maledicens Vento, Pluviæ, Tempestati, Brutis, &c. peccat peccato imprecationis, & est culpa tantum venialis, nisi fortè fieret cum expressa Relatione ad Deum, aut cum animo deliberato gravis damni Proximi, in his enim casibus esset culpa mortalis: Thomas del Bene de Officio SS. Inquisitionis par.2. dub.218. sect.6. n.9.

III. Blasphemiæ contra Deum, & Sanctos sunt omnes ejusdem speciei, quia opponuntur uni, & eidem Virtuti Religionis, quæ sola obligat ad cultum Dei, & Sanctorum propter Deum. Ita Cajetanus in Summa verbo *Blasphemia*: & in 2. 2. quæst.13. art.1. ad 2. & 3., aliique plurimi, quos citat, & sequitur Thomas del Bene loco citato sect.7. n.1., qui n.10. infert, sufficere in Confessione dicere se totiès blasphemasse, absque necessitate explicandi, an Blasphemiæ fuerint vel contra Deum, Beatam Virginem, aut Sanctos prolatæ: contrarium probabiliùs existimat De Lugo de Pœnit. disp.16. sect.5.

IV. Blasphemiæ tamen, quæ continent Hæresim, ratione Hæresis, opponuntur Fidei, & Religioni, atque ideò circumstantiam mutantem speciem includunt: sicuti Circumstantiam hujusmodi includunt Blasphemiæ prolatæ ex desperatione, vel ex odio Dei, quia hæ non modo Religioni, sed etiam Charitati, & Spei opponuntur, atque ideò sunt necessariò in Confessione explicandæ. Ita Doctores communiter.

V. De Blasphemiis Hæreticalibus solùm Inquisitores cognoscunt privativè quoad omnes alios Judices, etiam Ecclesiasticos. Ita doctissimus Thomas del Bene de Officio SS.

SS. Inquisitionis par.2. dub.210. sect.15. num.1., & cum eo communiter Doctores.

VI. Aliæ verò Blasphemiæ sunt mixti fori, daturque propterea locus præventioni inter Judices Ecclesiasticos, & Seculares, sicuti per textum in cap.2. de Maledicis, docent Abbas ibidem n.9. Royas de Hæreticis 2. par. assert.12. n.172., & Joannes Azorius tom.1. Institutionum Moralium lect.9. cap.28. quæst.5.

CAP. IV.

De obligatione denunciandi Blasphemos.

I. Audiens Blasphemantem tenetur intra triduum illum denunciare: ita præcipitur in Concilio Lateranensi, & in Cap. *Si quis per capillum causa* 22. quæst.1., & à Julio III. in Constitutione, quæ incipit *In multis*, ubi non denuncians punitur iisdem pœnis, quas incurrit Blasphemans.

II. Advertendum tamen, quòd Blasphemi Hæreticales denunciandi sunt solis Inquisitoribus, quia ipsi soli de talibus Blasphemis cognoscunt. Blasphemi verò non Hæreticales denunciandi sunt vel Judici Ecclesiastico, vel Seculari, ita ut, qui denunciavit Seculari, satisfecerit suæ obligationi, nec tenebitur denunciare Ecclesiastico, & è converso. Notandum etiam, quòd denunciatio adhuc est facienda de Blasphemia etiam sub conditione prolata. Ita Royas de Hæreticis 2. par. assert.12., & alii, quos sequitur Arzeved. l.8. recapit. lib.4. n.14.

III. In crimine Hæresis speciale est, ut fiat denunciatio sine præmissa correctione Evangelica, quia in Hæresi magnum est periculum, ne alii eadem inficiantur: & ex alia parte Hæretici correctio est difficillima. At in Blasphemia, si sit secreta, & prudenter speretur emendatio ex

ex correctione fraterna, probabilius eſt, hanc eſſe præmittendam, dummodo Blaſphemia non ſit Hæreticalis. Ita Manuel in Summa tom.1. cap.34. num.6. Ludovicus Lopez 1. par. Inſtructorii cap. 282. Medina in Summa lib.1. cap. 14. §.2., quibus ſubſcribit Thomas del Bene loco citato ſect.21. num.7., ubi ex his rectè infert, quòd edicta Inquiſitorum præcipientia Blaſphemos ſtatim denunciari, intelligenda ſunt, ſervata Evangelica Correctione. Si verò Blaſphemia fuerit publica, poteſt fieri denunciatio etiam ante factam correctionem, imò etiam poſt ſecutam emendationem, quia judicialis denunciatio non tendit principaliter in hoc caſu ad emendationem delinquentis, ſed ad conſulendum Bono publico, ut ex punitione publici delicti timeant cæteri, & à Blaſphemiis abſtineant: Covarruvias lib. 2. Variar. Reſol. cap. 10. num.3. Sayrus in Clavi Regia l.6. cap.13. n.18., & Azorius tom.1. lib.9. cap.28. quæſt.8. & 13.

IV. Si pœna inflicta Blaſphemo ſimplici à Judice Eccleſiaſtico non fuerit competens, poterit Blaſphemus accuſari apud Judicem Laicum, & hic ipſum punire in ſupplementum pœnæ omiſſæ à Judice Eccleſiaſtico: atque hoc idem poterit Judex Eccleſiaſticus facere contra Reum non condignè punitum à Judice Laico: nec obſtat Capitulum *De his accuſationibus*, ubi dicitur, non poſſe accuſationem replicari, nam Textus intelligitur, quando Reus fuit ab alio Judice condignè punitus, non autem quando primus Judex pœnam competentem non inflixit. Abbas in Cap. de Officio Ordinarii circa finem. Felinus in Cap. *Quod olim* de Judæis in fine, Clarus in §. final. quæſt.75. verſ. penult. Gomoz lib.3. Variar. cap.1. n.40. Marc. in Practica par.4. titul. *an ſit Judicium Civile* n.27., & patet ex textu in Cap. *Felicis* de Pœnis circa finem.

CAP.

CAP. V.

De Pœnis pro delicto Blasphemiæ tam quoad forum externum, quàm quoad internum imponendis.

I. PÆnæ Blasphemo impositæ in foro externo olim fuere gravissimæ, nam ex Levitici 24. debebat lapidari: Jure Civili plectebatur capite: patet ex Authent. *Ut non luxurientur homines*, & ibidem docet Glossa verb. *Ultimis suppliciis* in cap. finali de Cler. Maledico, & in Cap. *Si quis per capillum*, Clarus in §. *Blasphemiæ* vers. sed quæro: Covarruvias de Pœnis par.1. §.7. num.10. Prædicta verò Authentica intelligitur de his, qui ex Consuetudine blasphemant, ut docent Albertinus de Agnoscendis Assertionibus quæst.16. n.19. Brunus in Consiliis Criminalibus Diversorum tom.2. consil.115. n.15. & 16. Hæ tamen pœnæ in desuetudinem abiere, ut testatur Lucas de Penna in L. *Omnes Judices*. Codice de Delatoribus lib.1. col.3.

II. Jus Canonicum verò præcipit Blasphemos plecti pænis gravissimis. In citato cap. *Si quis per Capillum* 22. quæst. 1. si Blasphemus sit Clericus deponi jubetur, si sit Laicus anathematizari præcipitur. Insuper in cap. *Statuimus* de Maledicis imponitur pæna, ut Blasphemus septem Dominicis diebus, dum solemnia Missarum peraguntur, stet præ foribus Ecclesiæ, quòd Eleemosinas pro sua facultate eroget in pauperes, quòd certis diebus in pane, & aqua jejunet: quæ pœnæ intelligentur de Laico, nam Clericus deponi debet ab Ordine, & Honore Ecclesiastico: nec quilibet Blasphemans, sed tantùm Consuetudinarius illis subjacet. Ita Covarruvias part. 1. §. 7. num.10. Has tamen in desuetudinem abiisse testantur Meno-

nochius de Arbitr. lib. 2. cent. 4. caſu 375. Azorius, & alii. Sicuti pariter non ſunt uſu receptæ pænæ decretæ in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. celebrato ſect. 9. in §. *Ad abolendam*, & repetitæ in Bullario tom. 1. conſtitu. 7. Leonis X. num. 23. pag. 477. ubi habetur, quòd Clericus Blaſphemus pro prima vice punitionis perdet redditus omnium Beneficiorum unius anni: pro ſecunda privetur uno, vel altero Beneficio: pro tertia privetur omnibus Beneficiis, & reddatur inhabilis ad alia conſequenda, & obtinenda. Laici verò puniantur pæna pecuniaria, damnentur ad Triremes, vel ad perpetuum carcerem. Sicuti etiam non ſunt in uſu illæ, quas ſtatuit Julius III. in ſua Conſtitutione, quæ incipit *In multis*, & eſt in Bullario tertia inter Conſtitutiones hujus Pontificis tomo 1., ubi Blaſphemos vult haberi infames, & inhabiles ad quælibet Beneficia, honores, & dignitates, & decernit, quòd non poſſint eſſe Teſtes in Judicio. Quas pænas renovavit S. Pius V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Cum primum Apoſtolatus*, & habetur in Bullario tom. 2. conſtit. 5. dicti Pontificis. Non eſſe autem dicta Jura in uſu teſtantur Azorius tom. 1. lib. 9. cap. 28. dub. 6. & Sayrus in Clavi Regia lib. 6. c. 13. n. 18.

III. Unde hodie pænæ contra Blaſphemos ſunt Judici arbitrariæ, ut pluribus citatis firmat Thomas Delbene de Offi. SS. Inquiſitionis p. 2. dub. 118. ſect. 22. n. 21.

IV. In foro autem conſcientiæ præcipit idem Summus Pontifex Leo X. loco cit. non licere Confeſſario abſolvere Blaſphemos abſque graviſſima pœnitentia. Unde Comitolus lib. 4. Reſponſi Moral. quæſt. 9. cap. 9. Navarrus in Summa cap. 12. num. 83. Lopez 1. p. Inſtructorii cap. 15. Petrus de Ledeſma in Summa tom. 1. tract. 1. cap. 8. putant Confeſſarium non poſſe Blaſphemos abſolvere, niſi impoſita eiſdem graviſſima pœnitentia. Probabiliùs tamen ſentiunt oppoſitum Layrus in Clavi Regia lib. 6. cap. 13. num. 10. Azorius tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæſt. 9., & Armilla v. *Blaſphemia* num. 5. quos citatos ſequitur Thomas Delbene ubi ſupra ſect. 23. num. 1. & ſequentibus, quia, ſi tale Decretum, ut ſupra oſtendimus, non fuit uſu

receptum, vel eſt per contrariam Conſuetudinem abrogatum, ampliùs non obligat. Nec obſtat, quòd in fine ipſius dicatur, quòd per nullam contrariam Conſuetudinem ei derogari poſſit, quia, etiam ſi Lex ſit Concilii Generalis, & habeat iſtud Decretum irritans, non obligat, ſi non ſit uſu recepta, aut ſi ſit contraria Conſuetudine abrogata. Ita Alexander Conſil. 132. volum. 1. Ruinus Conſil. 13. num. 27. volum. 2. Rochus in cap. final. de Conſuetudine ſec. 7. n. 15. Duenna Regul. 144. *limit.* 2. Rodriquez in Quæſt. Regular. quæſt. 6. art. 11. & alii apud iſtos. Ratio eſt, quia eſſentiale eſt Legi, ut ſit in bonum, non autem in damnum Communitatis, debetque eſſe ſuavis, atque Subditorum fragilitati accomodata. Thomas Delbene, ubi ſupra num. 3. Talis autem eſſe non cenſetur, quando ex juſta cauſa uſu non recipitur, aut legitima in contrarium Conſuetudine abrogatur, atque adeò in his caſibus non obligat ſub mortali.

V. Dicet fortaſſe aliquis, quòd Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. inquit, debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & Pænitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere, ne, ſi forte indulgentiùs cum Pænitente agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem: Ratio ulterior eſt, quia cum Confeſſarius ſit Judex, debet pœnitentiam proportionare peccato: & ſicut malè faceret, qui pro leviſſima Culpa graviſſimam imponeret Pœnitentiam; ita etiam malè faceret, ſi pro Blaſphemia, quæ graviſſimum eſt peccatum, graviſſimam non imponeret pœnitentiam.

Reſpondeo: Concilium non dicit abſolutè, quòd Confeſſarius imponat pænitentiam proportionatam Culpæ, ſed prout ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate. Quæ verba ſi-

significant Confessarium debere in hoc prudenter, & Spiritu Christi, qui est mitis, & suavis, se gerere, considerata fragilitate, & imperfectione Pœnitentis, nempe illum ita onerare, ut ei onus Salvatoris non grave, sed leve videatur: sic enim gravissimam imponere pœnitentiam non esset salutare, sed damnosum Pœnitenti, ut enim, inquit citatus Thomas Delbene ibidem num. 5. Salus Spiritualis Pœnitentis periculo exponeretur, cum illam pœnitentiam vel non faceret, vel à Confessionibus frequentandis averteretur, vel in desperationem incideret, vel alio modo in pejus rueret. Concilium autem juxta Christi Domini doctrinam vult, ut in hoc Sacramento Pœnitentiæ habeatur ratio Spiritualis Boni Pœnitentis juxta prudens arbitrium Confessarii, & ut non servetur magnus rigor, sed judicetur cum magna misericordia, ne avertantur homines ab usu Sacramenti. Quare in cap. Alligant 26. quæst. 7. dicitur, quòd prudens Confessarius debeat potiùs in mitiorem partem inclinare, & quòd melius sit Sacerdotem judicari de nimia misericordia, quàm de nimia severitate. *Ubi enim Paterfamilias largus est, dispensator non debet esse teneax. Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis apparere Sanctus? Circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.* Ita S. Joannes Chrysostomus relatus in dicto cap. *Alligant*: quod etiam notavit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 26. circa finem.

VI. Poterit igitur, ut notat Divus Thomas in addition. quæst. 18. art. 4., Confessarius sinè Scrupulo imponere pro sua prudentia pœnitentiam levem pro peccatis gravibus, monendo interim Pænitentem, quòd licèt mitiùs tractetur, gravissimam tamen pœnitentiam mereatur, ut ex tali monitione sumat occasionem meliùs penetrandi gravitatem suorum peccatorum, & voluntarias pœnitentias suscipiendi. Ita Navarrus cap. 26. num. 19. Silvester V. Confessor 4. quæst. 2. Vivaldus de Satisfactione num. 10. Ægidius de Coninck disp. 10. de Sacramentis dub. 8. de Satisfactione num. 73. & alii communiter.

VII. Ex his infertur, quòd Pœnitenti nolenti ex rationabili, & justa causa acceptare gravem pœnitentiam te-

teneatur Confeſſarius illam ei minuere in tantum; ut illam acceptet: ita ex Monaldo Sylveſter V. *Confeſſor* 3. quæſt. 12. Navarrus cit. cap. 26. num. 20. Et à fortiori debent hoc concedere omnes illi Doctores, qui tenent (an autem probabiliter, alii judicent, cum talis opinio à Suario temeraria, à Vaſquez Hæretica, & contra communem à de Lugo reputetur tom. de Pœnitentia diſp. 25. ſect. 5 num. 68. §. *Tertia Sententia*) qui tenent, inquam, quòd Pœnitens non teneatur acceptare pœnitentiam, paratus in Purgatorio ſatisfacere: & ſunt Sotus, Gabriel, Medina, Navarrus, Armilla, Sylveſter, Tabiena, Hoſtienſis Panormitanus, Cajetanus, aliique apud Reginaldum in Praxi Fori Pœnitentialis lib. 7. c. 1. num. 15. & Tamburinum in Methodo Confeſſionis lib. 4. c. 2. §. 1. num. 7., qui ait, quòd ſi daretur Pœnitens, qui nollet pœnitentiam acceptare paratus in Purgatorio ſolvere, non eſſet ex hoc præcisè cenſendus indiſpoſitus (niſi fortè recuſare Pœnitentiam, etiam parvam, eſſet ſignum non veri doloris, quod facile poteſt contingere) nec propter hoc ſolum eſſet ſinè abſolutione dimittendus.

VIII. Notandum eſt hìc obiter, multos, & graves Doctores probabiliter cenſere, quòd poſſit Pœnitens oneratus pœnitentiis (dummodo non ſint medicinales, ſeu præſervativæ) ſe illis exonerare, lucrando Indulgentiam plenariam. Undè Confeſſarius pro gravibus peccatis levem pœnitentiam injungens poterit Pœnitentem hortari, ut plenariam Indulgentiam lucrari ſatagat. Ita S. Thomas in in 4. diſt. 20. queæſt. 1. art. 3. Cajetanus in Opuſculo de Indulgentiis cap. 7. & in Summa V. *Indulgentia*, ſicuti etiam Sylveſter eodem V. quæſt. 9. Tabiena quæſt. 12. Angelus num. 1. Armilla num. 17. Corduba de Indulgentiis quæſt. 10. Suarez tom. 4. de Pænit. diſp. 57. ſect. 2. Beja p. 1. caſu 38. Reginaldus lib. 7. num. 150. Filliuccius tom. 1. tract. 8. cap. 8. quæſt. 2. num. 175., & alii. Hanc tamen opinionem numquam, vel raró in praxi deducendam rectè advertit Pater Viva in Explic. 15. Propoſitionis ab Alexandro VII. Damnatæ n. 8.

FINIS Opuſculi de Blaſphemia.

OPU.

OPUSCULUM SEXTUM.

DE VOTO.

CAP. I.

Quid sit Votum, & quot conditiones requirantur ad illius valorem.

I. VOtum est promissio voluntaria, & deliberata, facta Deo, de meliori Bono. Dicitur *deliberata*, idest cum perfecto usu Rationis, cum plena advertentia, & notitia obligationis, quam sibi Vovens imponit. Ita Doctores communiter: quare invalida sunt Vota emissa ab eo, qui non habet usum Rationis sufficientem ad peccatum mortale. Item facta in ebrietate, quamvis fuissent anteà prævisa, & sic volita in causa; quia cum Voti obligatio sit gravissima, debet esse volita directè, & in se ipsa.

II. Invalida pariter sunt Vota emissa ob metum ad hoc injustè incursum, si metus gravis sit, dummodò quis solùm ex tali metu moveatur ad vovendum: si verò quis in aliquo periculo sibi imminente, vel ab hominibus, vel ab alia causa, verbi gratia, ab infirmitate, voveat, validum est Votum.

III. Nullum pariter est Votum emissum ex errore, si error sit circa substantiam rei promissæ, vel circa conditionem substantialem, vel circa motivum formale: verbi gratia, si quis voveat hunc suum Calicem donare Ecclesiæ, credens esse argenteum, & inveniat esse au-

reum:

reum : vel ingredi aliquod Monasterium, quod putat esse strictæ Observantiæ, & reperit esse indisciplinatum : vel peregrinationem ad Sanctum Sepulcrum, putans distare centum millia passuum, cum distet plusquam octingenta millia : vel si putans Patrem recuperasse sanitatem, voveat decem aureos pro gratiarum actione, & ille mortuus sit.

IV. Qui voveret, sed nollet se obligare, nulliter voveret : Lessius lib.2. cap.20. dub.1. n.6. ; si verò haberet animum vovendi, & se obligandi, non tamen implendi Votum, validè voveret, sed mortaliter peccaret.

V. Potest fieri Votum implicitè, quando scilicet quis deliberatè vult aliquid, cui necessariò Votum annexum est, ut cum quis vult Ordinem Sacrum. vult etiam Votum in ipso imbibitum.

VI. Materia Voti debet esse melior, quàm suum oppositum, quare non valet Votum de re vana, inutili, imò nec indifferenti, verbi gratia, si quis voveat deambulare, venari, &c. : si tamen res indifferens vel ex fine, vel ex circumstantiis fieret bona, verbi gratia, venari ad capiendam feram pro sustentatione infirmi, tunc Votum valeret.

VII. Multò minùs valet Votum de re mala, verbi gratia, de mentiendo, aut de re moraliter impossibili, ut de non committendo ullo veniali.

VIII. Vovere rem venialiter malam non est, juxtà communem Doctorum sententiam, grave peccatum, licèt Cajetanus, & Lessius sentiant oppositum : vovere autem rem mortaliter malam, certò est mortale. Ita Bussembaum lib.3. tit.2. c.3. de secundo Præcepto Decal. dub.3. num.3.

IX. Peccat pariter, & invalidè vovet, qui adjungit Voto finem, vel circumstantiam malam, ut qui voveret eleemosynam pro vincenda lite injusta, vel pro fornicatione obtinenda, quod Votum includeret Blasphemiam, quia Deus peccata non promovet : Layman lib.4. tit.4. cap.2. num.6.

X. Si verò finis, vel circumstantia mala non se teneat

neat ex parte materiæ, ſed ex parte Voventis, verbi gratia, ſi quis ex impulſu vanæ gloriæ voveat donare Calicem argenteum Eccleſiæ, vel eleemoſynam Pauperi; Votum eſt de re bona, licèt conjunctum ſit cum vana gloria, quæ eſt mala: & in hoc caſu adeſt abſolutè obligatio illud implendi, non tamen ex illo pravo fine.

XI. Idem dic, ſi Votum ſit de fine bono, conjunctum verò cum cauſa mala: verbi gratia, ſi quis voveat Religionem, ſi evaſerit incolumis ex duello; Eleemoſynam, ſi ſibi naſcatur filius ex adulterio, quod vult committere: Buſſembaum loco citato dub.3. n.6. ex Layman, & Navarro.

XII. Votum Matrimonii regulariter invalidum eſt, quia ejus oppoſitum, nempe Cælibatus eſt quid melius. Dixi regulariter, nam aliquando validè voveri poteſt Matrimonium: verbi gratia, ſi ſine injuria, vel infamia Sponſæ, vel ſine gravi damno Liberorum ab ea ſuſceptorum, non poſſit quis à Sponſalibus recedere: ſi valdè Bono publico expediat, &c. addunt aliqui valdè probabiliter, ſi quis ex propria fragilitate prudenter timeat frequentem lapſum carnis, ac conſequenter ſit in periculo amittendi æternam Salutem, niſi nubat. Ita Tamburinus in Decalogum lib.3. cap.15. §.3. n.4., licèt contrarium ſentiant aliqui relati à Buſſembaum loco citato n.9.

C A P. II.

De vi, & obligatione Voti tam abſoluti, quàm conditionati.

I. CUm Votum ſit Lex privata pendens ab intentione Voventis, tantùm obligat, quantùm Voventis fuit intentio juxtà materiæ quantitatem. Ita Doctores communiter.

II. Qui vovit materiam gravem, regulariter cenſetur ſe

ſe obligaſſe ſub gravi : ſi tamen etiam ad illam intendiſſet ſolùm ſe obligaſſe ſub veniali, non obligaretur pluſquam venialiter.

III. Qui poſtquam vovit, dolet, ſe voviſſe, non peccat graviter, modò retineat animum implendi Votum: Sa verb. *Votum* num.5.

IV. In materia levi nemo obligatur niſi ſub veniali: undè qui vovit quotidiè recitare Salutationem Angelicam, vel quid ſimile, non peccat niſi venialiter, omittendo etiam per totum annum talem recitationem, quia materia unius diei non coaleſcit cum alia alterius diei. Ita Doctores communiter, quos ſequuntur è Societate Jeſu Adamus Tannerus 2. 2. diſp.4. dub.3., & Hermannus Buſſembaum cit. cap.3. dub.4. n.1.

V. Si Pater vovit pro Filio, vel ſi Communitas aliquid vovit, (ut hìc Florentiæ jejunium Vigiliæ Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis) & Filius, & Poſteri non conſenſerunt in illud Votum, non tenentur ad illam materiam ex Voto, ſed aliquando vi Pacti, Statuti, vel longæ Conſuetudinis: undè Canones, qui indicant, Filium obligari ad Religionem, quam Pater pro ipſo vovit, intelligendi ſunt, quando Filius Patris Votum ratificavit: Layman loco cit. cap.5. n.6.

VI. Quando quis vovet factum alterius, ad aliud non obligatur, niſi ad curandum, ut ille faciat, ſi velit, id, quod ipſe vovit: verbi gratia, ſi Pater vovit Religionem, vel peregrinationem pro Filio, tenetur ſuppeditare ipſi neceſſariam pecuniam, ut per ſe non ſtet, quominùs Votum Filius adimplere poſſit, ſi velit. Ita Doctores communiter apud Sanchez tom.1. in Decalogum lib.4.

VII. Quando conſtat de Voto, & dubitatur, an vovens habuerit animum ſe obligandi, poſſeſſio ſtat pro Voto, & Vovens ad illud obligatur: ſi verò dubitatur de ipſo Voto, an fuerit emiſſum nec ne, debet fieri interpretatio juxtà proprietatem verborum, quibus uſus fuit, & ſecundum quod ea verba ſolent communiter accipi. Ita cum communi Andræas Mendo in Epitome verb. *Votum* num.2.

Vo-

VIII. Votum personale cessat, si Vovens non possit per se illud implere; non cessat autem Votum reale, sed debet impleri etiam per alium, si possit.

IX. Infirmus, qui dicit: *si convaluero, volo Religionem ingredi*, non emittit Votum, sed solùm ostendit propositum, quod ex communi Doctorum sententia non est per se obligatorium, saltèm sub mortali.

X. Nullum est Votum factum sub conditione impossibili, vel turpi, quæ se habet, ut finis Voti: verbi gratia, si voveas Religionem, si volabis, aut si injustam litem vinces: si verò conditio turpis non sit finis, sed mera occasio Voti, verbi gratia, si aliquod grave delictum perpetravero, voveo Religionem, tunc Votum tenet. Ita Doctores supra citati.

XI. Vovens sub conditione pendente à propria voluntate, verbi gratia, se daturum Ecclesiæ Virginis Lauretanæ Calicem argenteum, si quando iverit Lauretum; non peccat impediendo conditionem, verbi gratia, non eundo Lauretum; quia ad adimplendam eam conditionem non se obligavit, & ea non impleta non tenetur ad Votum.

XII. Similiter certò probabile est, non teneri ad Votum, quando conditio pendet ab alterius voluntate, & ille impedit, etiam vi, aut dolo, ne alter illam conditionem adimpleat, licèt peccet inferendo vim, aut dolum. Ita Major in 4. dist.88. quæst.1. Filliucius cap.6. de Voto num.158. Layman, Suarez, & alii citati à Mendo in Epitome verb. Votum n.57.; licèt ipse probabiliùs putet oppositum, quòd scilicèt teneatur ad Votum, non modò quando vi, aut dolo, sed etiam quomodocumque impediat. Alii verò censent nec peccare, nec teneri ad Votum, si impediat precibus, & suasionibus; quia quærere modo licito, se non obligari ad Votum, non est peccatum, secùs verò quærere modo illicito. Ita Felix Potestà loco supra citato n.1796.

XIII. Vota, in quibus tempus præfigitur, verbi gratia, jejunandi in Adventu, audiendi Missam quovis Sabbatho, sunt implenda eo tempore, nec satisfit in alio,

jejunando, verbi gratia, ante Adventum, aut Miſſam audiendo feria ſexta, & tranſacto tali tempore ceſſat obligatio. Si verò aliquis voveat hoc pacto, deſignando tempus ad ſollicitandam, non verò ad finiendam obligationem; tunc non ceſſat obligatio, ſed durat, etiam eo tempore tranſacto: verbi gratia, voviſti dare Eleemoſynam intra Menſem, peccas, ſi intra illum Eleemoſynam non tribuas; teneris tamen adhuc eam dare tranſacto Menſe, quia illa deſignatio temporis apponi communiter ſolet ad ſolicitandam, non ad limitandam, & finiendam obligationem. Si tempus ſit hoc pacto præfixum, datur parvitas materiæ in dilatione, verbi gratia, trium vel quatuor dierum. Iidem, qui ſupra.

XIV. Si fiat Votum diſiunctivum, cujus una pars ſit bona, altera mala, verbi gratia, vel jejunandi, vel furandi, eſt omnino irritum, quia promiſſio cadit ſupra utrumque, ita ut detur locus electioni: in Voto autem non poteſt dari locus electioni alicujus rei illicitæ. Mendo ubi ſupra num.65.

C A P. III.

Varii Caſus particulares in materia Voti reſolvuntur.

I. QUi partem principalem Voti implere non poteſt, non tenetur ad acceſſoriam: verbi gratia, voviſti recitare Roſarium flexis genibus, ſi non potes recitare, non teneris genua flectere pro illo temporis ſpatio, quod in Roſarii recitatione inſumpſiſſes: Suarez de Voto lib.2. cap.2. & 10.

II. Quando voviſti materiam, quæ commodè dividi poteſt, ſi non potes implere totum Votum, teneris ad partem, quam potes: ut ſi voviſti Eleemoſynam decem aureorum, & poſſis tantùm dare quinque, ad hos obligaris:

garis: Thomas Sanchez in Decalogum lib.4. cap.10. n.7. cum Sylvestro, Navarro, Valentia, & aliis.

III. Si voveris dare Ecclesiæ Calicem, aut Planetam, & horum unum periit, vel tempore, quo vovebas, vel antequam voveres, ad nihil teneris, quia cum Voti tempore altera pars facta sit impossibilis, cum non habeas, quod possis eligere, nullum est Votum: At si post emissum Votum perierit, teneris dare Ecclesiæ vel id, quod superfuit, vel pretium illius, quod periit. Ita cum Bonaccina Pater Mendo loco citato num.68. Si tamen post Votum emissum fecisses electionem ejus rei, quæ periit, verbi gratia, Calicis, dummodò sine tua culpa perierit, non obligareris dare superstitem, scilicèt Planetam: quia jam per electionem determinasti rem, quam tradere intendebas Ecclesiæ, ergo si hæc pereat, ad aliud non obligaris.

IV. Qui vovit rem aliquam, non determinando impletionis tempus, tenetur Votum implere, quamprimùm commodè poterit, data scilicèt occasione, & opportunitate juxta prudens arbitrium: Ledesma putat in Voto Religionis dilationem duorum, vel trium Mensium post datam occasionem, & commoditatem, non esse peccatum mortale: Castropalaus censet esse mortale in hoc casu differre ultra sex Menses: Cajetanus, Navarrus, & alii dicunt, omnia illa Vota, in quibus tempus præfixum non est, posse differri, quamdiù voluerit Vovens, dummodò non sit periculum non adimplendi: Tamburinus lib.3. cap.12. §.3. n.10. existimat, in Voto Religionis considerandam esse ætatem Voventis, nam si ætas sit quadraginta annorum, dilatio trium annorum, esset notabilis, secus verò, si esset sexdecim annorum.

V. Unicum est peccatum, frangere sæpius renovatum Votum de eadem re, quia illa renovatio non constituit aliud Votum, sed est ratificatio illius prioris.

VI. Emittens Votum, accedendi ad Sacram Eucharistiam quolibet Mense, non peccat mortaliter, si etiam sine causa differat Communionem per duos, vel tres dies post elapsum Mensem; quia etiam sic moraliter accipitur

Mensis, ut colligitur ex Azorio in Institutionibus Moralibus lib.11. cap.15.

VII. Qui per comestionem alicujus cibi, vel potionem vini fregit jejunium, quod voverat in pane, & aqua, ad nihil ampliùs eo die tenetur, quia reddidit sibi impossibile, quod voverat.

VIII. Si vovisti Religionem cum intentione ibi Sacerdotio fungendi, & Religiosi nolint te recipere nisi pro Laico, liberaris Voto, quia supervenit notabilis mutatio in ejus materia.

IX. Cessante fine principali Voti cessat Votum: verbi gratia, si vovisti non adire Domum aliquam particularem; non conversari cum aliqua determinata persona, ut vites periculum incontinentiæ; si totaliter cesset tale periculum, potes domum illam petere, & cum illa persona conversari.

X. Hæres repræsentat personam Defuncti, ac propterea, sicut tenetur solvere alia debita illius, tenetur etiam implere Vota realia ejusdem, non tamen Personalia, quia hæc solum obligant Personam Voventis, & non aliam.

XI. Si quis voveat aliquid sine determinata quantitate, verbi gratia, erogare in Eleemosynas pecuniam, frumentum, &c. potest dare quantitatem, quam pro libito voluerit, dummodò non sit tam parva, ut videatur irridere Votum: Bussembaum loco citato dub.4. n.17.

CAP. IV.

Quot modis tollatur Obligatio Voti, ubi de Cessatione materiæ, de Interpretatione, ac de Irritatione Votorum.

I. Quinque modis tollitur obligatio Voti: Cessatione materiæ, Interpretatione, Irritatione, Dispensatio-

tione, & Commutatione: Ita Tamburinus in Decalogum lib.3. cap.16. n.1. In præsenti autem capitulo de primis tribus agemus, reliquos duos in sequentibus explicandos reservantes.

II. Tollitur itaque Voti obligatio per Cessationem materiæ, hoc est quando materia evadit turpis, aut indifferens, vel majoris boni impeditiva, aut physicè, aut moraliter impossibilis.

III. Tollitur per Interpretationem, idest quando Vir in Morali Theologia versatus judicat in his, vel illis circumstantiis Votum non obligare: Ita Mendo in Epitome verb. *Votum* num.10.

IV. Tollitur denique per Irritationem, hoc est quando Votum ab eo, cui persona, vel res est subjecta, annullatur: si hoc fiat ab eo, cui subjecta est persona, dicitur irritatio directa, & Votum directè irritatum nunquam reviviscit: si verò fiat ab eo, cui non est subjecta persona, sed res, dicitur irritatio indirecta: & in hoc casu obligatio Voti aliquandò tantùm suspenditur, ut ex dicendis constabit. Ad hoc autem ut Votum irritari possit, debet subjectio Voventis esse perfecta: Ita Mendo ubi supra num.9.

V. Possunt ergo irritare vota Pater, & hoc deficiente, Avus Paternus, atque his deficientibus, Mater respectu Filiorum; Vir Vota Uxoris, & Uxor Viri; Summus Pontifex, Generales, Provinciales, Abbates, Priores, Guardiani, Præsidentes, & alii Religionum Superiores locales Vota Religiosorum: denique Domini vota Servorum.

VI. Pater irritare potest omnia Vota, etiam Castitatis perpetuæ, & Religionis, emissa à Filiis ante pubertatem, quia tacitè inest in ipsis conditio, si Pater non irritaverit: & hoc facere potest etiam, quando Filius, qui impubes vovit, est adeptus pubertatem, dummodò hic ea Vota post pubertatem non confirmaverit.

VII. Filiorum item puberum potest Pater irritare omnia Vota realia, quæ patriæ potestati repugnant, qualia sunt, quæ Familiam perturbant, ut longa peregrinatio,

nimia

nimia jejunia, ex quibus probabiliter timentur infirmitates obventuræ, & similia, dummodò tamen Filii adhuc sint sub patria potestate. Vota verò puberum non præjudicantia patriæ potestati nequit Pater irritare, quia in his Filius est sui juris.

VIII. Quòd si Pater Filio impuberi facultatem vovendi concesserit, adhuc poterit illius Vota irritare, quia illa facultas intelligitur concessa sine præjudicio proprii juris; & hoc verum est, quamvis promisisset Filio non irritare, licèt quidam putent, quòd tunc irritando peccaret mortaliter, sed meliùs tenet Castropalaus peccare solùm venialiter contra Fidelitatem, quia hæc tantùm virtus in hoc casu violatur.

IX. Mater, etiam mortuo Patre, nequit irritare vota Filiorum, nisi sit ipsorum tutrix, aut curatrix, quia Filii non sunt in potestate Matris. Oppositum etiam probabiliter docent Sayrus in Clavi Regia Sacerdotum lib. 6. cap. 10. in fine, Emmanuel Sa in Summa expurgata verb. *Voti irritatio* n. 1. Azorius, Lopez, Navarrus, & alii apud istos, quando non adsint Tutores, aut Curatores Filiorum.

X. Dominus potest irritare ea tantùm Vota Servorum, quæ ejus servitio præjudicant; undè non potest irritare Vota emissa tempore Servitutis, sed implenda post Servitutem: quæ verò emisit servus ante servitutem, nequit Dominus irritare, sed dumtaxat suspendere quantùm ad ea, quæ ejus Servitio obsunt.

XI. Maritus potest irritare Vota Uxoris emissa tempore subjectionis, si ipsius juri præjudicent: Ita Doctores communiter. Imò probabiliter docet Sanchez, posse irritare omnia etiam sibi non præjudicialia, propter totalem subjectionem Uxoris, quia censentur emissa cum ea conditione, si Vir non irritaverit. Excipe Votum Religionis, si emittatur ab Uxore tempore, quo potest illud implere, invito Viro, verbi gratia, infra primum bimestre, nondum consummato Matrimonio: sicuti etiam si Vir adulterium commisit, quia in hoc casu subjecta non est Viro. Ita Doctores communiter.

XII. Uxor directè vota Mariti irritare nequit, quia Maritus quoad voluntatem non eſt Uxori ſubiectus, non enim Uxor Viri ſed Vir Uxoris eſt caput: poteſt tamen irritare indirectè, ſcilicet quoad materiam promiſſam, ſi hæc ſibi, vel ſtatui Matrimoniali præjudicet: talis autem irritatio indirectè non tollit abſolutè Votum, ſed ſuſpendit, undè mortua Uxore, Vir obligaretur ad Votum.

XIII. Si quis voveat ante pubertatem, & poſtea non ratificet Votum, poteſt Pater illud Votum irritare: at ſi ratificet poſt pubertatem, nequit Pater ampliùs irritare. Dubitatur autem, an cenſeatur ratificare Votum, ſi illud poſt pubertatem ſervet, aut formet intentionem ſervandi. Ad hoc reſpondeo talem obſervantiam, & intentionem, non ſufficere, ut dicatur ratificaſſe, & confirmaſſe Votum; ſed requiri, ut denuò voveat, vel expreſsè intendat confirmare Votum jam emiſſum. Ita Leander de SS. Sacramento tom. 2. tr. 1. diſp. 16. quæſt. 77. ubi citat Suarium Navarrum, Cajetanum, Leſſium, & alios.

XIV. Putavit Raphael de la Torre 2. 2. quæſt. 88. art. 9. diſputatione 1. num. 6. in Patre, Viro, & quovis alio Superiore requiri ad validam Votorum irritationem, ut cognoſcat in ſpecie Votum emiſſum: communis tamen, & verior ſententia eſt, hoc non requiri, ſed ſufficere ſi dicat, *irrito quæcumque vota à te emiſſa de materia mihi ſubiecta*. Ita Baſilius Pontius Auguſtinianus lib. 10. de Matrimonio cap. 17. §. 2. num 22. Tamburinus in Decalogum lib. 3. cap. 10. §. 3. num. 1. ratio eſt, quia qui habet poteſtatem irritandi Votum, poteſt etiam ſine cauſa irritare, ergo non requiritur ſpecialis cognitio. Non ſic dicendum de Diſpenſante, aut Commutante, quia nequeunt id facere niſi cum cauſa, ac proindè requiritur, ut cognoſcant ſpeciatìm Votum, ut ſcire poſſint, an habeant juſtam cauſam diſpenſandi, vel commutandi, necne.

XV. Quid verò dicendum, ſi tam Vir, quam Uxor ex mutuo conſenſu Caſtitatem voveant, poterunt ne viciſſim validè ſibi hanc obligationem remittere, & Votum irritare?

Re-

Reſpondeo: Negat ab eis hoc poſſe fieri Sanchez, cui ſubſcribit Præpoſitus, ſi quæſtio intelligatur de licita remiſſione obligationis, quam putat fieri non poſſe ſine peccato ſaltem veniali inconſtantiæ: at ſi ſermo ſit de valida, cenſet probabilit. idem Præpoſitus valere talem remiſſionem, quia per mutuum conſenſum in Votum Caſtitatis neutur ademit ſibi poteſtatem irritandi Votum alterius: huic ſententiæ adhæret etiam Diana p. 4. tr. 4. reſol. 110. cum aliis.

CAP. V.

De Diſpenſatione in Votis.

I. Diſpenſatio Voti eſt relaxatio, qua tollitur vinculum ejuſdem per poteſtatem à Chriſto Domino relictam Eccleſiæ; undè ad diſpenſandum requiritur in Diſpenſante Eccleſiaſtica Juriſdictio: quare Vovens, qui intendit ita vovere, ut ſuum Votum ſit indiſpenſabile, non redditur per hoc incapa diſpenſationis, quia nullus Subditus coarctare poteſt Superioris Juriſditionem.

II. Habet poteſtatem diſpenſandi in Votis Summus Pontifex pro toto Mundo: Epiſcopus in ſua Diæceſi, exceptis tamen quinque Votis Papæ reſervatis, quæ ſunt Religionis, Caſtitatis perpetuæ, & trium peregrinationum, eundi videlicèt devotionis cauſa Romam, Jeruſalem, & Compoſtellam: Superiores Regulares exempti habent hanc poteſtatem reſpectu ſuorum Religioſorum, & Novitiorum, etiam circa Vota, quæ in Novitiatu, vel in Sæculo emiſerunt: denique ſimplices Sacerdotes, & Parochi ſecundum conceſſionem tantùm ſibi à ſuis Superioribus factam; quod idem valet de Confeſſariis Ordinum Mendicantium. Ita ex Leſſio, Suarez, Layman, & Bonaccina, tradit Buſſembaum lib. 3. tr. 2. cap. 3. dub. 8.

III. Ad diſpenſandum juſta cauſa requiritur, ut eſt Bonum Eccleſiæ, vel Reipublicæ, Notabilis difficultas in obſer-

observatione Voti, levitas, & facilitas, ex qua processit Votum, &c. undè sine justa causa invalida est dispensatio, cum Deus non approbet solutionem Voti temerè, & sine rationabili motivo factam. Ita ex S. Thoma, Soto, Suario, & Navarro Tamburinus in Decalogum lib. 3. cap. 16. §. 4.

IV. In Votis Summo Pontifici reservatis potest aliquandò Episcopus dispensare: Primò, cum Voti valor est dubius; Secundò si Votum emissum sit ex metu etiam levi illato ab extrinseco; Tertiò in gravi necessitate, si Pontifex adiri non possit; Quartò in Voto disjunctivo materiæ partim Reservatæ, partim non Reservatæ, si pars Reservata adhuc non sit electa, cum possit eligi non Reservata: item si materia non Reservata effecta sit impossibilis, nam tunc tale Votum ex natura sua non obligat ad Reservatam; Quintò, quando Pontifex commutavit materiam Reservatam in non Reservatam; Sextò, quando Vovens intendit se obligare solùm ad culpam venialem, item in Voto ad tempus, [dummodò non sit ad centum annos, hoc enim reputatur perpetuum] quia talia Vota sunt imperfecta; Septimò potest Episcopus dispensare in Voto vovendi Castitatem, quia hoc non est Votum Castitatis: idem dicendum in Votis Castitatis partialis, ut non nubendi, non fornicandi, & similibus; Octavò, potest etiam Episcopus dispensare cum eo, qui post Votum Castitatis nubit, ut possit, non obstante Voto, petere debitum: dixi *petere*, quia illud reddere jam tenetur; Nonò potest etiam cùm Successoribus eorum, qui emiserunt Votum, quia Successores non tenentur ex Voto, sed ex præcepto, vel consuetudine, in quibus Episcopus habet potestatem, sicut in suis præceptis; Decimò in Voto facto in gratiam alterius, si hic nondùm acceptaverit; quia post acceptationem nequit dispensare sinè consensu illius, qui jus acquisivit; Undecimò in Voto ingrediendi Religionem strictiorem dispensare potest, ut Vovens ingrediatur minus strictam, quia hoc non pertinet ad substantiam Voti: idem dic in circumstantiis Voti, verbi gratia ut eat in curru Romam ille,

qui voverat pedester ire: similiter in Voto eundi Romam non causa visitandi Limina Apostolorum, sed ut osculetur pedes Pontificis; Duodecimò in Votis conditionalibus, etiam post impletam conditionem, verbi gratia illius, qui vovit ire Romam, si prosperè liti finem imponat, &c. nam cum Vovens feratur affectu non ad rem importatam in materia, quæ vovetur, sed ad importatam in conditione, Votum est imperfectum. Idem valet in Votis pœnalibus, nam etiam posito delicto potest Episcopus dispensare, ne proficiscatur Romam, &c. quia cum in suo principio hoc Votum non fuerit perfectum, non cadit sub Reservationem, quæ cum non sit favorabilis, non est amplianda; Decimotertiò, quando dubium est, an Votum sit reservatum, Reservatio enim ad Vota tantùm certa extenditur; Decimoquartò in Voto Religionis non approbatæ, quia verè Religio non est; Decimoquintò in Voto Religionis, & Castitatis ad duos, vel tres annos, cum hæc non sint Vota perfecta Religionis, & Castitatis, undè & reservationi Pontificiæ non subjaceant. Ita colligitur ex Sanchez in Decalogum tom. 1. lib. 4. de Voto.

C A P. VI.

De Votorum Commutatione.

I. COmmutatio Voti est substitutio alterius operis honesti loco ejus, quod per Votum promissum erat sub eadem obligatione.

II. Potest quilibet commutare suum Votum in materiam evidenter meliorem, quia sic non frangit promissionem, sed in rem meliorem, & Deo magis gratam commutat. Potest etiam quilibet commutare in materiam æqualem, si æqualitas sit evidens; quia tamen rarissimè constat de tali evidentia, propterea communis sententia est non posse Voventem suum Votum commutare in æquale. Ita Suarez, Bardi, aliiq. quos citat Andreas Mendo in Tract. de Bulla Cruciatæ disp. 26. num. 38. Qui-

III. Quicumque habet poteſtatem diſpenſandi, cum in hoc non includatur poteſtas diſpenſandi poteſt etiam commutare Votum in minus, jungendo poteſtatem diſpenſandi cum poteſtate commutandi: ſi enim per diſpenſationem poſſet omninò auferre Votum, multò magis ipſum poterit in minus commutare. Mendo in Epitome v. *Votum* num. 28. E' contrario verò, qui habet poteſtatem commutandi, non poteſt commutare in minus: Æqualitas autem materiæ non eſt ſcrupuloſè æſtimanda, ſed ſecundum Hominis prudentis arbitrium. Mendo ubi ſupra.

IV. Si materia, in qua commutatum eſt Votum, fiat impoſſibilis, vel indifferens, non tenetur ille redire ad prius Votum, quia obligatio illius fuit extincta per commutationem: onus quippè obſervandi Votum tranſiit in materiam commutatam: Buſſembaum cum aliis lib. 3. tr. 2. de Secundo Præcepto Decalogi cap. 3. dub. 7. in fine.

V. Quando conceditur facultas in Jubilæo commutandi Vota, commutari poſſunt etiam illa, quæ durante Jubilæo emiſſa ſunt; quia in privilegiis verba indefinita, & generalia extenduntur, quantum fieri poteſt, ſalva verborum ſignificatione: cum autem in Jubilæo non reſtringatur commutandi facultas ad ea tantùm Vota, quæ ante Jubilæum fuerunt emiſſa, ſequitur poſſe etiam ea commutari, quæ durante Jubilæo facta fuerint. Ita docet ex Navarro, & aliis Andræas Mendo ubi ſupra num. 37.

VI. Votum ſibi in melius, vel, ſecundùm probabilem opinionem, in æquale commutans non eget juſta cauſa, ſed ſufficit ejus voluntas: ita Villalobos, & alii contra Layman: ratio eſt, quia ponit id, quod æquè gratum eſt Deo; ergo ſine ulla cauſa poteſt hoc facere. Quando autem ab habente poteſtatem in minus commutatur, requiritur juſta cauſa, quæ ſufficiens erit ex Leſſio lib. 2. cap. 40. dub. 11. n. 96., ſi res ſubrogata ſuaviùs, hilariùſq. implenda acceptetur: juxtà verò Sanchez apud Dainam p. 2. tr. 2. Miſcellan. reſol. 8. erit cauſa ſufficiens ſola petitio Voventis.

VII. Dubitari ſolet, an ſit valida diſpenſatio, vel commutatio facta ab habente poteſtatem, quando hic putat adeſſe cauſam diſpenſandi, vel commutandi, cum re vera

non adſit: Reſpondeo: negat Caſtropalaus tom. 3. tr. 15. diſp. 2. punct. 9. num. 4. ſed probabiliùs affirmant Leſſius lib. 2. cap. 40. dub. 17. num. 119. Trullenck in Decalogum tom. 1. lib. 2. dub. 33. num. 24., & Sanchez apud Dianam p. 6. tr. 7. reſol. 23., quia ſic exigit recta Eccleſiæ adminiſtratio; ſi enim aliter eſſet, ſemper poſſet tum Vovens, tum Commutans angi dubio, & ſcrupulo, an extiterit cauſa legitima diſpenſandi, vel commutandi, nec ne.

VIII. Quæres, an qui vovit non ludere, poſſit diſpenſari ab habente poteſtatem diſpenſandi in Votis?

Reſpondeo: S. Pius V. requiſitus, ut in tali Voto diſpenſaret, noluit diſpenſare, dicens non adeſſe cauſam diſpenſandi in hoc Voto, ut refert Lopez p. 2. cap. 35. quæſt. 7. nihilominùs poſſe etiam in hoc Voto diſpenſari, vel fieri commutationem ex juſta cauſa, qualis eſſet ſubtractio occaſionis peccandi in illo, qui ludendo contra Votum ſæpiſſimè graviter peccaret propter conſuetudinem ludendi, eſt communis ſententia, quam docet cum Bonaccina Diana p. 7. tr. 9. reſol. 55. in tantum autem S. Pontifex Pius noluit diſpenſare, quia ludens non adducebat pro cauſa niſi magnum deſiderium ludendi, quod certè non videtur ſufficere ad diſpenſandum. Ceterùm poteſt in hoc diſpenſari, vel commutari, ſicut in aliis Votis, etiam ſi Vovens voviſſet ſub conditione, niſi à Pontifice diſpenſaretur, quia cum hujuſmodi Votum ex natura ſua non ſit de Reſervatis Pontifici, non poteſt Vovens Epiſcopo, & aliis juriſdictionem, & poteſtatem in eo diſpenſandi auferre. Ita Trullenck in Decalogum tom. 1. lib. 2. cap. 11. dub. 5., & Diana p. 7. tr. 9. reſol. 59.

IX. Inquires deniq., an qui voluntariè, vel ex oblivione non petit tempore Jubilæi commutationem Voti, poſſit illam poſt tranſactum Jubilæum obtinere, ſi fecit omnia opera in Jubilæo præſcripta.

Reſpondeo: negant Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. cap. 16. Bonac. in Decalogum diſp. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 3. Filliuccius tom. 2. tr. 26. cap. 10. num. 30., & alii. Probabiliùs tamen affirmativè reſpondent Sayrus in

Cla-

Clavi Regia lib. 6. cap. 12. num. 17. Henriquez in Summa lib. 7. de Indulg. cap. 11. num. 4. Lessius lib. 2. c. 40. dub. 16. num. 109. in ultima editione, Diana p. 2. tr. 16. resol. 9. & alii: ratio est, quia quamvis opera in Jubilæo injuncta alligentur tempori in eo designato, privilegium tamen, ut quis absolvatur à Reservatis, ut dispensentur, vel commutentur illi Vota usq. ad tempus Jubilæi emissa, non est alligatum certo tempori, ut patet ex Bulla cujusdam Jubilæi apud Dianam ubi supra, in qua sine ulla temporis limitatione sic habetur: *Concedimus, ut possint pro una vice tantùm idoneos Presbiteros approbatos eligere, qui, eorum Confessionibus diligenter auditis, licitè valeant ipsos absolvere, nec non, & Vota commutare.* Quando igitur facultas absolvendi, & commutandi Vota in Jubilæis expressè non restringitur ad tempus, quo durat Jubilæum, poterit exerceri etiam extra tempora ipsius circa casus, & Vota, quæ tempore Jubilæi habebat Pænitens.

X. Hic obiter adverto, quòd si quis intendens lucrari Jubilæum absolutionem à Reservatis, vel commutationem Votorum obtinuit initio Jubilæi, & deindè, mutata voluntate, non fecit opera præscripta, nec lucratus est Jubilæum, securus est in Conscientia ab illis peccatis, & Votis; quia Summus Pontifex in Jubilæo nulla conditione apposita absolutè concedit potestatem absolvendi à Reservatis, & commutandi Vota; ergo cum semel legitimè hæc facta fuerint, absurdum est dicere, non obtento postea Jubilæo, peccata absoluta, & Vota extincta reviviscere. Ita contra Nugnum, & Torre Diana p. 2. tr. 16. resol. 10. ubi pro se citat Suarez, Bonaccinam, Sanchez, Filliuccium, Molfesium, & alios.

FINIS
Opusculi de Voto.

OPU-

OPUSCULUM SEPTIMUM.

DE FAMA, EJUSQUE RESTITUTIONE.

CAP. I.

Quid sit Fama, & quanti facienda.

I. FAma à fando dicta est, quia est id, quod fando vulgatur: & quoniam loquendo vulgari potest aliquid tum de re, seu aliquo negotio, tum de Homine, propterea illam, ut ad utrumque communis est, describit Speculator Tit. de notitia Criminum, *est vehemens Vulgi, & majoris partis opinio rei, de qua quæritur, consentiens, & consonans*. Quatenus verò ad Hominis laudem tantùm spectat, & in bonam partem accipitur, describi potest communis extimatio de alterius excellentia, seu multorum existimatio de vita, & moribus alterius. Undè patet, quòd Fama principaliter consistit in opinione Dignitatis, seù Virtutis, & Sapientiæ alterius, per quam præcipuè laude dignus est Homo.

II. Differt Fama ab Honore, quia Honor est externa testificatio alienæ excellentiæ animo conceptæ; tunc enim aliquem honoramus, quandò externis signis nos ipsos illi submittimus, testificando opinionem, quam interiùs habemus de ipsius virtute. Undè Azorius in Explicatione quarti Præcepti Decalogi dicit, quòd Honor est reverentia, quæ impenditur alicui in testimonium virtutis, vel dignitatis, vel potestatis, vel alicujus alterius excellentiæ.

III. Differt tamen Honor à Reverentia, quia hæc à ver-

verbo *revereor* derivata est quidam Honor, qui verendo, seù quodammodo pavendo alteri exhibetur.

IV. Famam inter res temporales esse bonum præstantissimum docent communissimè Theologi cum D. Thoma 2.2. quæst. 73. art. 2. ubi ait: *Inter res temporales videtur Fama esse pretiosior, per cujus defectum impeditur homo à multis benè agendis, propter quod dicitur Ecclesiastici* 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni:* Et ibidem art. 3. *Fama præeminet divitiis, eo quòd proprinquior est spiritualibus bonis: undè dicitur Proverbiorum* 22., *melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ;* ratio est, quia bona Fama est per se medium reddens Hominem idoneum ad officia humana, ad se præservandum à peccatis, & ad juvandos alios, ne scandalizentur, & ne malum exemplum ad peccandum assumant; imò potiùs excitentur ad sectandam Virtutem, & ad fugienda vitia, quod non competit divitiis, quæ potiùs ad malum alliciunt; & si fortè Bonum aliquod causent, id quodammodò per accidens præstant, undè Christus Dominus eas assimilavit spinis, quæ exortæ suffocaverunt triticum Divini Verbi; ergò Fama præeminet divitiis.

V. Imò non defuere, qui putaverint bonam Famam præeminere Bono vitæ; quibus favere visus est Apostolus dicens: *malo mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet.* Et hoc videtur judicium plurimorum, qui potiùs esse sinè vita, quàm sinè Fama cupiunt.

VI. Communis nihilominùs, & vera sententia est, quòd licèt fama sit Bonum valdè affine Bono vitæ, est tamen vita Bonum superioris ordinis ad Famam, cum Fama sit Homini Bonum extrinsecum, & accidentale, vita verò intrinsecum, & essentiale: Fama autem, de qua loquebatur Apostolus, non erat nuda Fama, sed hæc ut conjuncta cum ministerio Apostolatus, quod ministerium, si per malam Famam vituperatum fuisset, valdè inutile ad Dei gloriam, & Proximorum salutem promovendam redditum fuisset: cum id autem desiderare debeamus, ut deficiat potiùs nostra vita, quam aptitudo ad Dei servitium, &

& ad salutem Proximi promovendam; propterea rectè cupiebat Apostolus mori potiùs, quàm per infamiam fieri ineptus ad tam excellens opus, ad quod fuerat à Deo assumptus.

VII. Hinc tamen colligi potest Primò, quòd bona Fama eorum Hominum, qui bono publico prosunt, vel privato salutis Proximorum commodo sunt addicti, debet pluris, vel saltem tanti, quanti vita æstimari.

VIII. Colligitur Secundò, diversi ponderis, & pretii esse famam unius, ac alterius, nam cum bonitas, & æstimabilitas mediorum mensuretur à bonitate, & æstimabilitate finis, ad quem ordinantur, & cum Fama medium sit ad Hominis bona, tum temporalia, tum spiritualia promovenda, eò æstimabilior est Fama, quò majus est Bonum, ad quod promovendum est ordinata, & applicata: cum ergò fiat, ut quidam sibi solis in Republica vacent, quidam verò etiam aliorum regimini, & saluti consulere debeant, quod sinè bona Fama vix facere possunt, sequitur proindè, ut horum Fama sit longè æstimabilior, quàm Fama illorum: quarè cæteris paribus pretiosior est regulariter Fama Nobilium, quam Plebejorum hominum, Dominorum, quàm Servorum, Patrisfamiliàs, quàm Domesticorum, Principis, quàm Subditorum, Sacerdotum, quàm Secularium, & Prælatorum Ecclesiæ, quàm aliorum Hominum.

IX. Colligitur Tertiò, quòd sicut in furto, & quavis injusta læsione fortunarum, eò gravius est peccatum, quò gravior est materia, quam quis injustè aufert, quò gravius est damnum, quod quis alio infert; ità in læsione Famæ eò gravior erit culpa, quò pretiosior est Fama, quæ læditur, & quò majus est damnum, quod aliis ex ea læsione resultat.

X. Quare ad dignoscendam enormitatem criminis, ejus, qui Famam alienam lædit, inspicienda est non solùm injustitia, quæ contra ipsum, tamquam Personam privatam committitur; sed etiam attendenda sunt damna, quæ Bono publico, tum temporali, tum spirituali aliorum inferuntur: nam vel illi, apud quos de aliquo detrahitur, sunt homines mali, vel boni; si mali, alacriores reddun-
tur

tur ad malè agendum, &, ut experientia docet, exemplo alieni lapsus, suam malitiam tuentur, gaudent alieno dedecore, insultant Proximo, & quià unus cecidit, omnes vituperant: si verò boni sunt, audientes alium cecidisse, ponuntur in magno periculo vitiis se tradendi, discunt mala, quæ fortassè potiùs ignorabant; vel deniquè vana gloria capti Pharisaico fastu dicunt, *non sumus sicut cæteri Homines*, & ità miserè labuntur. Qui verò crimen suum vulgatum audit, abjecto pudoris fræno, sæpè sæpiùs in pessima ruit: & qui non infamatus unum, aut alterum admisisset crimen, infamatus ad omnia se applicat: non pauci enim à peccatis abstinent potiùs timore infamiæ, quàm amore Virtutis, ut ait Plinius lib. 2. ep. 20. *multi Famam, pauci Conscientiam verentur*: & Tiberius apud Tacitum lib. 4. animadvertit, contemptu Famæ contemni Virtutes: & D. Gregorius Nazianzenus cecinit:

Multa vident, quæ se fingunt non cernere, multa
Dissimulant audiße Patres, licet auribus hausta,
Ne tenerum abrumpat reprehensio dura pudorem,
Auxilium Patribus, quo nullum firmius unquam est;
Probra etenim affrontes faciunt, &c.

Quarè magnus hic Theologus monebat, ne ostendamus, malam habere opinionem de occultè peccantibus, & hanc reddit rationem, *ne, dissoluto tandem pudore, ad quodvis facinus audaciores reddantur.*

XI. Concluditur ergò, quòd qui occultè peccat, regulariter Deo, & sibi peccat: qui verò Proximum de occulto crimine infamant, peccant Deo, peccant sibi, peccant quamplurimis, tam bonis, quàm malis; peccant ipsi infamato, quem ad peccata multiplicanda impellunt. Undè patet, quàm grave sit detractorum scelus: Quarè Paulus ad Rom. 1. d. 30. dicit: *Detractores Deo odibiles*: & Proverb. 24. habetur: *Cum Detractoribus ne commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum.*

CAP. II.

Quid sit Dubitatio, Suspicio, & Judicium temerarium.

I. Dubitatio est Ambiguitas, seù Suspensio mentis, nec assensus, nec dissensum ulli parti præbentis. Si talis Suspensio oriatur ex eo, quòd intellectus nullum habeat fundamentum adhærendi alterutri parti, dicitur Dubium negativum: exempli gratia si quis dubitet, an stellarum numerus sit par, aut impar; si verò oriatur ex eo, quòd Intellectus habeat rationes hinc indè probabiles, adeò tamen æquilibratas, ut in neutram partem inclinet, dicitur Dubium positivum, quod à D. Thoma in 3. dist. 27. appellatur contrariarum rationum æqualitas.

II. Dubium aliud est juris, aliud est facti: Dubium Juris est, quandò quis dubitat, an Jus prohibeat, vel præcipiat aliquam actionem: Dubium facti est, cum quis dubitat de facto aliquo, exempli gratia an Petrus occiderit Paulum, an Uxorem duxerit, an adulterium commiserit, &c.

III. Rursùs dubium Juris aliud est speculativum, & aliud practicum: Dubium speculativum est, cum quis in genere dubitat, an aliquid facere, exempli gratia ludere, venari, aut iter agere die Festo, sit licitum: Dubium practicum est, cum quis dubitat, an in his determinatè circumstantiis aliquid sit licitum; exempli gratia an sit licitum die Festo Sacrum omittere ad assistendum determinatè huic, vel illo Infirmo.

IV. Suspicio à suspicando dicitur, quod significat, cum nobis videmur cùm aliquo timore aspicere ea, de quibus dubitamus: est igitur Suspicio inchoatio quædam, seù debilis assensus inclinans potiùs ad unam partem cum actuali formidine de oppositam.

Tri-

V. Triplex est Suspicio, levis, gravis, seù vehemens, ut violenta. Levis dicitur, quæ ex levibus motivis orta, valdè debilem assensum generat, & multum dubitationis includit: exempli gratia si quis videns Virum, & Fœminam consanguinitate, aut affinitate non conjunctos simul ridere, & se invicem salutare, suspicietur id fieri ex pravo amore inter ipsos; sed de hoc multum dubitet, quia considerat id evenire posse etiam ex animi levitate, vel aliis pluribus causis sibi ignotis; hic dicitur levem Suspicionem habere.

VI. Gravis, seu vehemens Suspicio illa est, quæ orta ex motivis multum probabilibus habet multùm assensus, & parùm dubitationis: exempli gratia si quis literas amatorias alienæ Uxori misit, imò secundùm Sanchez lib. 10. de Matrimonio disp. 12. num. 47. si cum ea in osculis, & amplexibus deprehensus sit, præbent hæc motiva valdè probabile fundamentum, quòd adulterium commiserint, aut committere velint: quia tamen non excluditur aliqua prudens formido de opposito, hæc Suspicans dicitur habere Suspicionem gravem, seù vehementem.

VII. Violenta, seù gravissima Suspicio est, quæ ex motivis moraliter certis orta omnem ferè dubitationem, & formidinem de opposito excludit: exempli gratia si quis solus cum sola in eodem lecto, vel nudus cum nuda deprehendantur, oritur ex his motivis Suspicio violenta de copula, ut cum multis ibidem docet Sanchez num. 45.

VIII. Judicium deniquè temerarium est firmus, & indubitatus assensus de aliqua re sinè sufficientibus indiciis præditus: cum enim ad rectitudinem Judicii requiratur certitudo in cognitione causæ; quandò ex nullis, aut levibus indiciis de alicujus crimine judicamus (cum talis certitudo desit) temerè judicare dicimur.

C A P. III.

Utrum ſit Mortale Dubitare de gravi peccato Proximi?

I. PRiuſquam ad hujus difficultatis ſolutionem accedamus, prænotandum eſt, quòd ad Suſpicandum requiruntur majora indicia, quam ad Dubitandum, ſicuti etiam majora ſunt neceſſaria ad judicandum, quàm ad Suſpicandum; ita Doctores communiter, quos citat, & ſequitur Layman lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 2. num. 1. & 2. His poſitis dico.

II. Si quis advertens motivum Dubitandi non eſſe prudens, ſeù ſufficiens, velit nihilominus Dubitare, Proximum eſſe malum in re gravi, peccabit mortaliter: ſi autem ex quadam ſemiplena advertentia, & errore dubitet, peccabit ſolùm venialiter: ratio eſt, quià quilibet habet jus, ne alter ſibi gravem injuriam inferat; ſed quandò ſinè prudenti motivo dubitatur, quòd ſit malus, gravis ipſi infertur injuria, ſi fiat cum plena advertentia; levis verò, ſi cum ſemiplena advertentia, & ex errore; ergò peccatur mortaliter in primo caſu, & venialiter in ſecundo.

III. Confirmatur, & explicatur hæc ratio, nam ab eo, qui dubitat, Proximum eſſe malum, Judicatur, quòd Proximi probitas ambigua ſit; ſed ſic Dubitando infirmatur, & minuitur certa poſſeſſio, quam Proximus habet de ſua probitate; ergò infertur illi gravis injuria, conſequenter mortaliter peccatur. Ita Bannes quæſt. 60. art. 3. Salonius, & Arragonius apud Leſſium de Juſtitia, & Jure lib. 2. cap. 29. dub. 3.

IV. Oppoſitum nihilominus ſuſtinet cum Molina, Azorio, Cajetano, & aliis Pater Tamburinus in Decalog. lib. 9. cap. 1. à num. 11., cujus ratio eſt, quia dubium regu-

lari-

lariter loquendo (idem dicit de ſuſpicione) in genere judicii eſt actus imperfectus, atque adeò non eſt plenè temerarius, nequè neceſſariò conjunctus cum contemptu, ſaltem gravi, Proximi; ergò nec graviter peccaminoſus: ſicuti etenim cætera peccata ex imperfectione actus ſunt tantùm venialia, ita etiam dubium de malo Proximi.

CAP. IV.

Utrùm Suſpicio temeraria de gravi peccato Proximi ſit moraliter peccaminoſa?

I. QUia diximus, quòd Suſpicio inclinat potiùs in unam, quàm in aliam partem, ac propterea magis, quàm Dubitatio ad Judicium accedit, ideò de illa aliquantò fuſiùs in præſenti tractabimus.

II. Suppono itaque eſſe communem Doctorum Sententiam, teſte Azorio apud Layman lib.3. tr. 3. p. 2. cap.2. num.4. quòd Suſpicari, imò & Judicare malum de Proximo, ubi habentur gravia, & ſufficientia indicia, nullum ſit peccatum, quia reſpectu ejus, cui talia indicia ſunt manifeſta, Proximus non habet jus, quòd ille non ſuſpicetur, vel Judicet; ergò Suſpicando, aut Judicando, ei injuriam non infert.

III. Quòd autem in hoc caſu nequè etiam peccetur contrà Charitatem, probatur: quia Charitas obligat tantùm ad non admittendam malam Suſpicionem de Proximo, quandò ita ratio ſuadet; ſed ratio non ſuadet, quòd, qui gravia mali præbet indicia, non ſubjaceat Suſpicioni, vel Judicio; ergò qui Suſpicatur, vel Judicat de malo Proximi, quandò de hoc habet gravia, & ſufficientia indicia, contrà Charitatem non peccat. Ita Layman ubi ſuprà.

In

IV. In praxi autem tutius, & consultissimum est, etiam in eo casu abstinere à Suspicione, & Judicio, incertisque rumoribus contrà Proximi Famam nullo modo fidem hebere, nisi necessitas, vel magnà utilitas aliud exigat, nam in re tam lubrica facillimum est, ut decipiamur putando esse gravia, vel sufficientia Suspicandi, vel Judicandi indicia, quæ verè talia non sunt.

V. Rusus quià licèt certum sit, opus esse ex suo genere mortale, incerti tamen sumus de intentione Operantis, an scilicet opus illud ex ignorantia, indeliberatione, &c. processerit, & consequenter an ille ille mortaliter peccaverit, ut cum communi, & vera Sanctorum Patrum Sententia advertunt D. Augustinus tr. 4. lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 18. & D. Bernardus serm. 40. in Cantic. ad finem dicens: *Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius Judex: & si perperàm actum quid deprehendas, nec sic judices Proximum: magis autem excusa intentionem, si opus non potes, existima igitur ignorantiam esse, vel casum, vel subreptionem: quòd si omnem omninò dissimulationem rei certitudo recusat, dicito apud temetipsum: vehemens nimis tentatio fuit; quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?* Sanctus Chrysostomus in illud Apostoli prima Corint. 13. *Charitas non cogitat malum, Charitas non Suspicatur malum de Proximo*, & ibid. Theodor: *Charitas non cogitat malum, idest ignoscit iis, qui errant, existimans ea non esse facta malo animi proposito*.

VI. Suppono etiam, Suspicionem tunc esse temerariam, cum homo advertens se Suspiciari malum de Proximo, & causam Suspiciandi non esse gravem, seù sufficientem, vult nihilominus dare locum Suspicioni. His positis dico.

VII. Suspicio temeraria de gravi malo Proximi, idest per quam graviter læditur bona Proximi opinio, est per se, & ex genere suo peccatum mortale. Ita Arragonius, Salonius, & Bannes, quos refert, licèt non sequatur P. Layman lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 2. n. 6. ratio est, quia illud, quod

quod grave damnum per se infert Proximo, est per se, & ex genere suo peccatum mortale; sed hujusmodi Suspicio per se grave damnum infert Proximo, nam quilibet Vir prudens rationabiliter eligeret potiùs amittere ingentem pecuniæ summam, quàm tali Suspicione laborare; undè videmus, quòd honesti, & prudentes homines magnoperè contristantur, quandò audiunt alios de se graviter Suspicari; ergò sicut grave damnum infert Proximo, qui furatur ab eo ingentem pecuniæ quantitatem, & proindè mortaliter peccat; ita etiam qui prædicto modo Suspicatur, peccabit proculdubiò mortaliter.

VIII. Confirmatur hæc ratio, quia si aliquis suaderet alteri, ut ex insufficientibus indiciis Suspicaretur grave malum de Proximo, profectò peccaret mortaliter, non ob aliam rationem, nisi quia graviter læderet jus, quod habet Proximus ad Famam; ergò etiam peccabit mortaliter qui ita Suspicatur.

IX. Adde, quòd qui vult ita Suspicari graviter contemnit Proximum, qui gravis contemptus nequit esse sinè peccato mortali.

X. Deniquè non videtur minor injuria Suspicari temerè malum gravius de Proximo, quàm temere Judicare minus: exempli gratia non videtur minor injuria Suspicari, quòd sit Incestuosus, quàm Judicare quòd sit Fornicarius; sed sic temerè judicare est mortale; ergò erit etiam mortale sic temerè Suspicari. Ita Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 3. num. 21. Arragona in 2.2. D. Thomæ p. 60. concl. 2. & alii plurimi.

XI. Oppositum docuit Cajetanus, & cum ipso quidam alii, inter quos Tamburinus, in Decalog. lib. 9. cap. 1. num. 11. & apud ipsum Azorius, & Molina, qui putant, Suspicionem esse ex genere suo peccatum veniale.

XII. Fundamentum ipsorum est, quia, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 60. art. 3. primus gradus Suspicionis, qui est, quandò homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipit, est solùm peccatum veniale; pertinet enim ad tentationem humanam, sinè qua vita ista non ducitur; sed quævis Suspicio continetur sub hoc primo gra-

gradu, nam in nulla Suspicione adest certum Judicium; cum omnis Suspicio sit cum formidine de opposito; ergò nulla Suspicio est per se peccatum mortale.

XIII. Respondetur, quòd D. Thomas primum gradum Suspicionis constituit in eo, quòd homo dubitare incipiat, non autem in eo, quòd cum plena advertentia, & deliberatione Suspiciari velit, & ideò dicit, primum gradum Suspicionis pertinere ad tentationem humanam, sinè qua vita ista non ducitur: quæ verba ostendunt, quòd Sanctus Doctor loquitur de illo principio Dubitationis, quod, attenta humana fragilitate, & occasionibus, quæ se identidem præbent, difficilimum est, ut vitetur: Non est autem principium Dubitationis, nequè vitatu difficilis Suspicio illa, qua quis plenè advertens ad grave Proximi malum, & ad levitatem indiciorum, vult nihilominus malè Suspicari; sed est perfecta Suspicio temeraria, & actus plenæ malitiæ pertinens ad perfectum, & plenum consensum voluntatis, ideòque non continetur sub primo gradu Suspicionis, sed sub secundo, quem Sanctus Doctor dicit esse peccatum mortale.

XIV. Nec refert, quòd in tali actu adsit formido, & hæsitatio de opposito, nam, ut ibidem advertit Angelicus, in Moralibus ad constituendum secundum gradum Suspicionis, qui est peccatum mortale, non requiritur, ut quis credat, & judicet grave malum de Proximo cum perfecta certitudine; sed satis est, si illud Suspicetur, ità ut Proximo fiat gravis injuria, quod utique contingere in casu nostro manifestum est.

XV. Quæres, quæ nam sint causæ, quibus homo inclinatur ad temerè Suspicandum de Proximo?

Respondeo: causas temerè Suspicandi assignat D. Thomas loco citato his verbis: *Contingit temerariæ Suspicionis peccatum ex tribus, uno quidem modo ex hoc, quòd aliquis in se ipso malus est, & ex hoc ipso, quasi conscius suæ malitiæ, faciliter de aliis malum opinatur, juxtà illud Ecclesiastes* 10. *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat. Alio modo provenit ex hoc, quòd aliquis malè afficitur ad alterum: Cum enim aliquis* con-

contemnit, vel odit aliquem, aut irascitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur malè de ipso, quia unusquisque faciliter credit, quod appetit. Tertio modo provenit ex longa experientia: undè videmus, senes magis ad Suspicandum pronos esse, quàm Juvenes, quia, ut ait Philosophus in 2. Rhet. multoties experti sunt aliorum defectus.

CAP. V.

Utrum necessitas, vel utilitas propria sint motiva sufficientia ad licitè Suspicandum malum de Proximo?

I. HUjus dubii resolutio ad eos præcipuè spectat, qui aliis præsunt, & ratione sui muneris aliorum errores præcavere, & corrigere debent, ut Prælati respectu Subditorum, Patresfamiliàs respectu Domesticorum, &c. Dico itaquè si necessitas, vel magna utilitas propria, vel aliena hoc postulent, licitum est Suspicari suppositivè tamen, & non definitivè, malum de Proximo: ratio est, quia quoties existunt sufficientia mali indicia, ex quo imminet probabile damni periculum, jus habemus à tali periculo nos defendendi, & per consequens eligendi media efficacia ad illud præcavendum; sed unum ex hujusmodi mediis est Suspicari malum de Proximo, nam per hoc observamus ea, quæ possunt ad nostram defensionem conducere; ergò tunc licitum est Suspicari. Ità cum communi Doctorum sententia Molina tr. 4. disp. 14. Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 4. in fine, Layman lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 2. num. 4. versu *verumtamen*, &c., qui sapientissimè monet, ut caveant, qui præsunt, ne Suspicandi libidine nimii sint in inquirendis aliorum criminibus: ex hoc enim oriuntur in Subditis magnæ perturbationes,

odia, animorum alienationes, murmurationes, discordiæ, &c., quæ non rarò mala sunt longè pejora illis, quæ quis præcavere intendit, ac proindè tunc eos peccare contrà Prudentiæ regulas certum est: quinimò cum hujusmodi per Suspicionem cautio Charitati, & Justitiæ Christianæ adversetur, ab illa est omninò abstinendum. Verba tanti Doctoris hæc sunt: *Semper tamen caventes ne dum unum malum impedire conantur, alterius majoris mali causa existant, si videlicet plùs justo in vitam Subditorum inquirentes nimis Suspiciosi appareant, ideòque animos suorum alienent, & inquietos reddant: vel si Suspiciones suas, aut etiam crimina occulta Subditorum aliis extrà casum necessitatis, aut majoris utilitatis aperientes Famam suorum flocci pendere videantur.*

II. Advertendum tamen est, quòd quandò dicimus, licitum esse in prædictis terminis Suspicari malum de Proximo, non intelligimus per hoc, quòd liceat Suspicari, vel Judicare, ipsum esse furem, vel improbum, aut existimandum esse pro tali, sed solùm quòd possumus exteriùs ità nobis cavere, ac consulere, ac si ejus probitas esset dubia: exempli gratia si quempiam ignotum in nostris ædibus reperiamus, possumus ita cavere nostris rebus, ac si ejus probitas esset dubia; ac proindè licebit custodire januas, claudere Scrinia, Observatores ponere, &c. non debemus tamen illum existimare Furem, ideoque superiùs dixi, licere aliquando suspiciari malum de Proximo *suppositivè tamen, & non definitivè*. Quarè monet Lessius loco citato, quòd quamvis Superiores possint ad præcavendum, aut corrigendum ita se gerere cum Subditis, ac si aliquid mali egissent, eosque objurgare, & pœnitentias illis imponere; obligantur tamen in conscientia eos non habere pro malis, sed eorum facta, & intentionem intèriùs apud se excusare, exteriùs verò tam prudenter, & cautè se gerere, ut modum non excedant, eorumque Famam non lædant: sic etenim ibidem ait num. 43. *Cavere tamen debent, ne vel modum excedant, vel illos aliis suspectos reddant, vel de illorom virtute diffidere videantur.*

CAP. VI.

An quælibet mora in Suſpicione temeraria de gravi malo Proximi ſit peccatum mortale?

I. AD hoc dubium dicendum eſt, non quamlibet moram, ſed illam ſolam, quæ eſt perfectè voluntaria, & plenè deliberata; eſſe peccatum mortale: ratio eſt, quia peccatum mortale cum ſit malum graviſſimum (eſt enim perfecta averſio à Deo, & converſio ad Creaturas) requirit plenam deliberationem, & perfectum conſenſum voluntatis; ergò quamdiù hæc non adſunt, non datur peccatum mortale.

II. Quarè quamvis intellectus noſter formet cogitationes Hæreticas, vel Blaſphemas circà Deum, aut temerarias circà Proximum, ſi tamen voluntas plenè intellectui non conſentiat, non datur peccatum mortale, quamvis ſi aliqua interveniat negligentia in talibus cogitationibus expellendis, vel poſt imperfectam advertentiam, & ſemiplenam deliberationem, voluntas imperfectè, & potiùs per quandam aſſuefactionem præbeat aliquem imperfectum conſenſum, aderit culpa venialis. Ita Ludovicus Molina tr. 4. diſp. 13. quem citat, & ſequitur Layman lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 2. num. 3.

III. Pro timoratis tamen Conſcientiis, eorum ſcilicet, qui à peccato procul abeſſe deſiderant, & ſatagunt, eſt certum, & manifeſtum indicium, eos non conſenſiſſe tentationi, & in peccatum non indiciſſe, ſi temerarias de Proximo ſuſpiciones, ſicuti & alias quaslibet cogitationes illicitas odio habeant, eaſque in intellectu permanere nolint. Quarè qui non eſt propenſus ad inquirendam

aliorum vitam, & mores, regulariter timere non debet, se indicisse in mortale, quamvis aliquantulùm moratus sit in aliqua Suspicione de malo Proximi. Ita Layman loco citato num. 3. & Arragona sect. 6. de Judicio art. 3. versu *Est tamen*, *&c.*

IV. E' contra verò ille, qui est facilis aliorum vitæ censor, si dubius est, an malæ Suspicioni, aut Judicio Temerario consenserit, semper timere debet, se peccasse mortaliter, quia est valdè probabile, quòd qui nihili facit aliorum Famam, in pravis Suspicionibus, ac Temerariis Judiciis consenserit. Undè tales Personæ, ut rectè notat idem Arragonius loco citato, ut plurimùm sunt in malo statu, cum scientes, & volentes se exponant probabili periculo temerè Suspiciandi, & Judicandi de Proximo: illum autem, qui se exponit probabili per iculo peccandi lethaliter, graviter quoquè peccare docent communiter Doctores, & nos, Deo favente, probabilius in Opusculo de Occasione proximà peccandi.

CAP. VII.

An Judicium Temerarium sit peccatum mortale?

I. DIximus suprà Cap. 2. num. 8. tunc Judicium dici, & esse Temerarium, quandò ex levibus, & insufficientibus indiciis malum de Proximo Judicamus: nam si Judicemus ex indiciis sufficientibus, tunc Judicium non est Temerarium, sed rationabile: exempli gratia si videam aliquem frequenter nocturno tempore ad lupanar pergere, & Judicem esse Fornicarium, non Judico temerè, sed cum valdè probabili fundamento, atque adeò ratio nabiliter. Hoc posito.

II. Dico Judicium Temerarium de gravi malo Proximi si formetur cum plena advertentia, est peccatum mortale

tale contrà Justitiam: ratio est, quia quotiescumque gravis injuria irrogatur Proximo, committitur peccatum mortale cóntrà Justitiam; sed formando Judicium Temerarium de gravi malo Proximi irrogatur ipsi gravis injuria; nam Proximus habet jus, ne sinè justa causa improbus existimetur; ergò committitur peccatum mortale.

III. Adde, quòd sicut graviter læditur jus Proximi, quandò ipsi falsum crimen imponitur, ita etiam quandò in materia gravi de ipso temerè Judicatur, cum Judicare grave malum de Proximo sinè causa perindè sit, ac illi falsum crimen imponere; undè sicut graviter peccatur in primo casu, ità etiam in secundo.

IV. Confirmatur, quia SS. Patres communiter docent, quòd Matthæi 7. & Lucæ 6. dum Dominus dicit: *Nolite Judicare, & non Judicabimini, &c. nolite condemnare, & non condemnabimini*, prohibet inter cetera Judicium Temerarium, & condemnationem minatur illis, qui sic Judicant; sed quandò Sacra Scriptura minatur condemnationem pro aliquo scelere, evidens argumentum est (ut communiter docent Doctores) illud esse peccatum mortale; ergò Judicium Temerarium est peccatum mortale.

V. Insuper addendum, quòd ex Judicio Temerario gravia mala sequuntur, præsertim si exteriùs manifestetur, & licèt in animo retineatur, extinguit tamen bonam Proximi opinionem, bonamque Famam, parit contemptum, & Charitatem impedit.

VI. Colligitur deniquè hujus peccati malitia ex eo, quòd Homo sic Judicando sibi quodammodo usurpat Judicium Dei, cujus solius est de occultis Judicare; ita cum communi Lessius lib. 2. de Justitia, & Jure cap. 29. dub. 2. num. 12.

CAP.

C A P. VIII.

An Judicium Temerarium diſtinguatur Specie à Detractione, ità ut ſit tamquam quid diverſum in Confeſſione explicandum?

I. Reſpondeo, juxta aliquos Doctores, Judicium Temerarium, & Detractionem eſſe ejuſdem infimæ Speciei, ac proindè non eſſe neceſſarium in Confeſſione explicare, an quis læſerit Famam alterius per Judicium Temerarium, aut per Detractionem. Ratio ipſorum eſt, quia ejuſdem Speciei infimæ in genere moris ſunt illi actus, qui nec obiecto, nec motivo, nec fine differunt; ſed Judicium Temerarium, & Detractio ſunt hujuſmodi, non enim differunt obiecto, quia bona exiſtimatio, ſeù opinio de excellentia Proximi, quæ denigratur, & amittitur apud temerè Judicantem, eſt ejuſdem Speciei cum illa, quæ læditur per Detractionem, nec differunt fine, quia tam Judicium Temerarium, quàm Detractio ejuſdem virtuti, ſcilicet Juſtitiæ, opponuntur, nequè differunt motivo, cum hæc diverſitas motivi non ſit aſſignabilis; ergò ſunt ejuſdem infimæ Speciei in genere moris.

II. Quarè ſicuti, per ſe loquendo, qui detrahit alicui non eſt neceſſe, ut explicet in Confeſſione, an detraxerit apud Petrum, Paulum, aut Franciſcum, ſed ſatis eſt, ſi dicat, ſe detraxiſſe in re gravi de Proximo, ſeù læſiſſe Famam Proximi; ità sì Judicio Temerario læſit apud ſe ipſum, non erit neceſſe in Confeſſione dicere, ſe læſiſſe Famam alienam Judicio Temerario, ſed ſatis erit, sì dicat ſe infamaſſe Proximum. Ità Joannes Sanches in Selectis diſp. 5. num. 10., & alii apud Moyam in Selectis tr. 3. diſp. 3. quæſt. 3. cap. 14. num. 122.

III. Hic

III. Hic tamen oppositum docet ibidem num. 124. cum aliis, quorum fundamentum est, quia sicuti Rapina, & Furtum distinguuntur specie morali, cum diversus sit modus, quo res aliena aufertur per Furtum, ac per Rapinam. Ità etiam hæc duo videntur distingui specie morali, cum diversus quoquè sit modus, quo Fama per Judicium Temerarium, ac per Detractionem læditur.

IV. Sed ad hoc responderi posset negando paritatem, nam in Rapina fit specialis injuria Proximo, dum in ejus præsentia privatur re propria, atque adeò peculiari modo contemnitur ejus Persona; at in casu Judicii Temerarii, & Detractionis, non adest hæc specialis injuria potiùs in uno, quàm in alio, undè non potest dici quòd hæc duo specie morali distinguantur. Quia tamen hoc esse contra praxim tam Confessariorum, quam Pœnitentium, rectè notat de Lugo de Just. & Jure disp. 14. sect. 2. num. 32. ideo contrarium probabilius existimo.

CAP. IX.

Utrùm temerè Judicans aliquem esse Spurium, Filium Judæi, aut habere similes defectus inculpabiles, peccet mortaliter?

I. RESpondeo, quòd si homini, de quo tale formatur Judicium, grave sit tales defectus de ipso credi, erit mortale peccatum temerè Judicare eum tales defectus habere; si verò id ei grave non sit, erit solùm veniale. Ità cum communi Petrus Navarra lib. 2. de restitutione cap. 4. num. 450.

II. Ratio primæ partis est, quia quotiescumque alicui grave est, quòd ab aliis credatur Spurius, Filius Judæi, &c., fit ipsi gravis injuria, si absquè sufficienti fundamento

damento tale Judicium de ipſo formetur ; ergò etiam & graviter peccatur . Quarè optimè notavit Stephanus de Moya loco ſupracitato , quòd quia apud Hiſpanos eſt valdè infame à Judæis originem ducere , gravis etiam injuria eſt de quopiam illorum ſic temerè Judicare .

III. Ratio ſecundæ partis eſt , quia tunc leve aliquid cenſetur , cum careat vituperio apud Sapientes illud , quod caret culpa , atque adeò id judicare , etiam temerè , non eſt gravis injuria . Ità Leſſius lib. 2. cap. 29. dub. 2. num. 14. , & Diana p. 5. tr. 5. reſol. 68. cum Navarro , Azorio , & aliis, qui rectè cenſent , eamdem doctrinam veram eſſe in caſu , quo temerè Judicatur de aliquo crimen aliquod grave, quod tamen ille parvi æſtimat, ideſt ſibi magno dedecori non ducit : ut sì de Milite, aut de Juvene liberiorem vitam profitente Judices habere Concubinam . Ità Leſſius loco citato, qui meritò limitat hanc doctrinam , ut non procedat, ſi propter hoc ille contemnatur, infametur, aut ab aliquo Officio amoveatur, vel à magno aliquo Bono conſequendo impediatur : tunc enim ratione gravis damni eſſet culpa lethalis .

C A P. X.

Quid ſit Contumelia ?

I. Contumelia ſic dicitur à verbo *contumeo*, quia eſt injuria tota quaſi verbis tumens ex Superbia illam proferentis . Definitur communiter *manifeſta , & injuſta alicni honoris violatio , quæ verbis potiſſimùm fieri ſolet* .

II. Differt à Detractione, tùm ex parte obiecti , tùm ex parte modi : & quidem ex parte obiecti, quia Detractio lædit Famam , Contumelia honorem : differt autem ex parte modi, quia Detractio eſt veluti furtum, cum auferat Famam abſenti , & occultè ; Contumelia verò eſt quaſi quædam Rapina , quæ præſenti , & manifeſtè honorem lædit . Differt

III. Differt etiam Contumelia à Convitio, & Improperio, quia Convitium est injuria, qua objicitur Proximo malum sivè culpæ, sivè pænæ, sivè naturæ; ut cum aliquis appellatur vitiosus, excommunicatus, aut gibbosus. Improperium verò est injuria, qua redarguitur alterius ingratitudo, objiciendo ipsi beneficium antea collatum.

IV. Unde Contumeliæ affines sunt Irrisio, Subsannatio, & Imprecatio. Irrisio, seu derisio est injuria, qua quis alterum contemnendo ridet, ut in erubescentiam inducat. Subsannatio est injuria, qua quis nasi, vel capitis motu, tamquam signo, manifestat aliquem Proximi defectum, ut ruborem illi ingerat. Imprecatio, seu maledictum est, cum quis malum alicui per injuriam precatur, ut faciunt Mulierculæ, Muliones, & similes sordidi, & viles homines.

CAP. XI.

Utrùm peccet mortaliter, qui alium Contumelia afficit ob exercitium Virtutis?

I. TRibus modis fit contumelia, nempè verbo, scripto, & facto: fit verbo, cum Conviciis, Improperiis, aut Maledictis aliquis impetitur: fit scripto, quando animo infamandi Proximum libellus famosus in ipsum publicatur: fit facto, cùm aliquis verberibus afficitur, aliquo in loco concluditur, aut illius Domus violatur, &c. His positis,

II. Dico, quòd quomodocumque fiat Contumelia propter exercitium virtutis, est peccatum mortale. Ratio est, quia exponere ludibrio bonum opus est per se grave; ergò Contumeliam facere propter exercitium virtutis est peccatum mortale.

III. Rursùs hoc pacto ſolent Homines à virtute averti, & pertrahi ad vitia: nam experientia demonſtrat, multos ceſſare à rectè operando, & ſe ad vias malas convertere, quia propter bona opera deridentur ab Improbis; ſed hoc eſt grave malum, ut per ſe eſt manifeſtum; ergò etiam ex hoc capite erit mortale, Proximum contumelian afficere propter exercitium virtutis: quarè 1. Regum 2. de duobus Filiis, Heli, Ophni, & Phinees dicitur: *Erat peccatum Puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant Homines à Sacrificio Domini*. Ita cum communi Doctorum ſententia Layman lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 6. num. 3. in fine.

C A P. XII.

An ille, qui libello Famoſo contumeliam fecit, debeat in Confeſſione explicare in quo genere Proximum infamavit, ſicuti etiam an peccet qui Mortuo, vel ejus Cadaveri Imagini, ſtatuæ, &c. Contumeliam facit?

I. QUod attinet ad primum dubium, dicendum eſt, hujuſmodi Infamatorem non teneri in Confeſſione explicare genus delicti, de quo Proximum infamavit, ſed ſufficere, ſi confiteatur, ſe gravem illi Contumeliam feciſſe: ratio eſt, quia in genere Moris Fama ſemper eſt ejuſdem ſpeciei, & ipſam lædendo per Contumeliam cujuſcumque generis, læditur eadem Juſtitiæ virtus; ergò non eſt circumſtantia, quæ ſpeciem mutet, ſivè Fama lædatur uno, vel alio gravis delicti genere. Quare non erit neceſſe dicere, ſe Contumeliam feciſſe, publicando aliquem eſſe Furem, Blaſphemum, Uſurarium, &c.

Ita

Ita ex Cardinali de Lugo Bussembaum lib. 3. tr. 6. cap. 1. dub. 2. num. 17., & alii.

II. Placet hìc advertere, quòd non tantùm qui scripsit, aut edidit, sed etiam qui inventum libellum famosum non laceravit, aut combussit, pæna capitis est plectendus ex l. 5. §. *Siquis* ff. de Iniuriis, & l. 1. cod. de famosis libellis, quandò tamen delictum, quod in libello famoso continebatur, erat eadem pæna dignum. Hanc tamen pænam raró infligi notant Molina tr. 4. disp. 39. Clarus, & alii.

III. Quæres, an dari possit casus, quòd quis à prædictis pænis, & à culpa excusetur, scribendo libellum famosum?

Respondeo posse, nam si quis aliquo crimine, verbi gratia Hæresis, proditionis Patriæ, & similibus, publicum scandalum, aut detrimentum afferat, & alius efficax modus non suppetat adhibendi opportunum remedium, quàm scribendo famosum libellum, tunc nulla incurritur, pœna, nec culpa, committitur, si libello famoso notitia illius criminis Communitati detur, dummodò sic faciendo fructus, & remedium prudenter speretur. Ita cum communi Layman lib. 3. p. 2. cap. 6. num. 3.

IV. Quòd autem spectat ad secundum dubium in titulo hujus Capitis propositum, an scilicet peccet, qui Mortuo, vel ejus Cadaveri, Imagini, Statuæ, &c. Contumeliam facit? Dicendum est peccare, & quidem mortaliter, si in re gravi hoc faciat: ratio est, quia honor est Bonum, cujus possessione etiam Mortui gaudere moraliter censentur: quilibet enim honestus homo satagit etiam post mortem vivere per honorem in memoria Hominum, quia talis vita quædam species immortalitatis existimatur; ergò gravis Mortuo irrogatur injuria, si ipse, vel ejus Cadaver, Statua, vel Imago debito honore priventur. Ita Doctores communiter, quibus subscribit Lessius lib. 2. de Justitia, & Jure cap. 11. dub. 21. num. 124.

C A P. XIII.

Utrum fit peccatum mortale infamare fe ipfum?

I. REfpondeo dicendum effe, quòd infamare fe ipfum non fit per fe, & ex genere fuo peccatum mortale, per accidens tamen, & ratione alicujus gravis circumftantiæ poffit effe mortale.

II. Ratio primæ partis eft, quia quandò Infamia fui ipfius nullum aliud damnum infert, quàm jacturam Famæ propriæ, nec eft contrà Juftitiam, nec contrà Charitatem fibi Famam auferre: non contrà Juftitiam, quia unufquifque eft Dominus propriæ Famæ eo modo, quo eft Dominus fuarum facultatum, ergò ficut fe fpoliando fuis facultatibus non operatur contrà Juftitiam, quia nulli facit injuriam, ita nec operatur contrà Juftitiam fpoliando fe ipfum propria Fama: nec eft contrà Charitatem, quia Charitas nos non obligat, faltem fub gravi, ad quærenda, vel confervanda Bona hujus vitæ, nifi quandò neceffaria funt ad noftrum, vel Proximorum Spirituale Bonum; fed Fama propria, ut fupponimus, ad hæc non infervit; ergò per fe non eft peccatum, faltem grave, contrà Charitatem, Famam fibi auferre. Ita ex Soto, Navarro, & Ledefma Rebellus prima parte de Obligationibus Juftitiæ lib. 4. quæft. 5.

III. Ratio fecundæ partis eft, quia quandò ex mea infamia fequatur vel mihi, vel Proximo notabile damnum, ut fi ego reddar per hoc ad peccandum effrenatior, vel fi Proximus indè occafionem graviter peccandi defumat, aut fi mea infamia redundaret in aliorum dedecus, & detrimentum, tunc effet quid grave me propria Fama fpoliare, atque adeò effet etiam mortale peccatum. Ita cum communi Doctorum Sententia Leffius lib. 2. cap. 11. dub.

dub. 6., & Rebellus ubi suprà num. 4.

IV. Oppositum docet Cajetanus in Summa v. *Detractio*, ubi dicitur, esse per se peccatum mortale infamare se ipsum, quia homo non est Dominus suæ Famæ: undè sicuti gravius est occidere se ipsum, quàm occidere alium, ita etiam putat, gravius esse infamare se ipsum, quàm alium: ergò sicuti est mortale peccatum infamare alium in re gravi, à fortiori erit mortale infamare se ipsum.

V. Sed ad hoc respondetur, falsum esse, quòd homo non sit Dominus propriæ Famæ: nam Fama propria est subjecta cujusvis dominio, non secùs ac Bona fortunæ, atque adeò non facit sibi injuriam, qui se ipsum infamat: Vita verò non est sub dominio hominis, nisi quoad usum, atque adeò grave peccatum est illam sibi auferre, fit enim injuria, tum Deo, tum Reipublicæ. Ita ex D. Thoma, Soto, Navarro, & aliis colligunt communiter Doctores, ut videre est apud Rebellum loco supra citato quæst. 5. per totam.

CAP. XIV.

Utrum ad vitanda gravia tormenta possit quis sinè mortali sibi falsum crimen imponere; & an ob eamdem causam possit quis alterius delictum occultum, aut aliquod secretum aperire?

I. Respondeo Primò certum esse apud omnes, quòd qui sibi falsum crimen imponit, ne se subjiciat tormentis levibus, peccat mortaliter, si pro tali delicto sibi falsò imposito sit morte puniendus. Ratio est, quia unusquisque tenetur jure naturali & Divino sibi vitam conser-

servare subeundo aliquod incommodum, alioquin censetur se ipsum occidere; ergò si ne subeat levia tormenta, aliquis sibi falsum crimen imponat, per quod sit morte puniendus, se ipsum, moraliter loquendo, occidet, atque adeò mortaliter peccabit. Ita cum communi Doctorum sententia Lessius lib. 2. de Justitia cap. 11. dub. 7. num. 35., & apud ipsum Sotus de Justitia, & Jure lib. 5. quæst. 10. art. 2.

II. Respondeo Secundò, certum pariter esse, quòd ad vitanda levia tormenta confiteri suum occultum crimen, vel sibi falsum imponere, quandò nullum aliud damnum sequitur, quàm infamatio sui ipsius, non sit peccatum mortale, sed tantùm veniale. Ratio patet ex dictis cap. præcedenti, quia quilibet est Dominus suæ Famæ, ergò sicuti non est mortale illam sibi auferre sinè causa, si nullum aliud grave damnum sequatur; nec erit mortale ex majoritate rationis infamare se ipsum propter aliquam causam, qualis est ad vitanda levia tormenta. His positis,

III. Dicendum est, quòd ad vitanda gravia tormenta non est peccatum mortale sibi falsum crimen imponere, ex quo videat quis sibi mortem certò inferendam. Ratio est primò, quià tenetur quidem homo tueri propriam vitam, sed non cum tanto cruciatu, qui durior morte ipsa existimetur; ergò cum gravia tormenta existimentur aliquandò ipsa morte duriora, non tenetur homo tueri propriam vitam cum eorum incommodo; ergò non peccat graviter contrà præceptum tuendæ propriæ vitæ, si falsum crimen confiteatur propter illa vitanda.

IV. Secundò, quia si esset peccatum mortale, vel ideò esset, quia foret mendacium perniciosum sibi, vel aliis, vel quia foret perversio Judicii; sed ex neutro capite est mortale, non quia sit mendacium perniciosum (aliis enim non affert tale damnum, quod ipse teneatur cum tanto incommodo vitare, ut suppono; sibi pariter non infert tantum malum, quod longo, & intolerabili cruciatu obligetur avertere, cum nemo teneatur, pro una vitanda, plures mortes subire, quales moraliter censentur longi cruciatus) nequè quia fiat perversio Judicii, hæc enim consi-

stit

ſtit in eo, quòd quis pervertat aut Judicem, ut agat contrà proprium officium, aut Accuſatorem, aut Teſtes corrumpat, ut falsò accuſent, ſeu teſtificentur; qui autem ſibi falſum crimen imponit, nihil horum facit, cum Judex tuta conſcientia ſecundùm acta, & probata poſſit damnare Reum, ſibi falsò crimen imponentem, Accuſator verò, & Teſtes non inducuntur ab ipſo ad falſum dicendum, ſed ipſi ſponte ſua id faciunt; ergò cum nec Judici, nec Accuſatori, nec Teſtibus ullam faciat injuriam, nequè etiam mortaliter peccabit, qui ſibi ad vitanda gravia tormenta falſum crimen imponit.

V. Tertiò, quia vel interrogatur juridicè, vel non: ſi non juridicè, non facit injuriam Judici, ſed potiùs illam ab eo patitur; ſi juridicè, adhuc Judici injuriam non facit fatendo crimen falſum, quia non tenetur probare Judici propriam innocentiam, ſe ſubjiciendo tormentis tam gravibus; ergò dicendum eſt, non peccare mortaliter eum, qui ad vitanda gravia tormenta ſibi falſum crimen imponit.

VI. Hinc rectè infertur, quòd talis homo non tenetur ante mortem revocare ſuam falſam criminis confeſſionem, etiam ſi eam perjurio confirmaſſet, quandò prudenter timet rurſum gravibus tormentis ſe fore ſubjiciendum, ſi illam revocet. Ratio eſt, quia quamvis mortaliter peccaverit jurando falſum, nihil tamen medicinæ malo perjurii per revocationem confeſſionis affertur; perjurium enim ſola pænitentia deleri poteſt, & ex alia parte nemini fit injuria non revocando falſi criminis ſibi impoſiti confeſſionem; ergò non eſt ſub mortali obligatus ad ſe retractandum. Ita Leſſius lib. 2. cap. 11. dub. 7. citans Angelum, Sotum, & alios.

VII. Si tamen ex non retractatione confeſſionis falſi criminis ſequatur alteri grave damnum, tunc prudentis judicio conſiderandum eſt, utrum tale damnum præponderet tormentis illis, nec ne? Si præponderet, tunc obligatur Reus revocare illam falſam confeſſionem, & potiùs tormenta perpeti; ſi verò non præponderet, poterit ſinè mortali à tali revocatione abſtinere. Leſſius ubi ſuprà num. 50.

Leſ-

VIII. Hactenus traditæ doctrinæ oppoſitum docet primò Cajetanus v. *Detractio* cum aliis, ex eo fundamento, quòd ſupra capite 13. num. 5. refutavimus, videlicet quòd homo non ſit Dominus ſuæ Famæ.

IX. Secundò, Navarrus cap. 18. num. 29. Sylveſter, & alii. Fundamentum ipſorum eſt, quia homini in nullo caſu eſt licitum ſe ipſum occidere; ſed imponendo ſibi falſum crimen, ex quo ſit morte plectendus, ſe ipſum occideret, ergò illi hoc non licet. Rurſus non poteſt homo alteri falſum crimen imponere, ut eximat ſe à tormentis, ergò nec poterit etiam ſibimetipſi imponere.

X. Sed reſpondetur, falſum eſſe, quòd talis homo ſe in illis circumſtantiis infamans ſe ipſum occidat: non enim ſe occidit phyſicè, ut patet, nequè etiam moraliter, quia moraliter ſe ipſum occidit, qui ſinè juſta cauſa ſe exponit periculo, ut occidatur; hic autem, ut vidimus, exponit ſe periculo, ut occidatur, urgente gravi, & juſta cauſa, quæ eſt effugere gravia tormenta; ergò moraliter ſe ipſum non occidit. Ad ſecundum verò reſpondetur quòd homo non eſt Dominus famæ alterius, & ideò gravem illi faciat injuriam, ſi contrà veritatem ipſum infamet, præſertìm ſi ille credatur invitus: at unuſquiſque ſuæ Famæ eſt Dominus, & ideò nulli facit injuriam ſi eam ſibi auferat: undè ſemper ſtat quòd non peccet mortaliter qui ad vitanda gravia tormenta ſibi falſum crimen imponit.

XI. Prò ſolutione autem alterius dubii in titulo hujus capitis propoſiti, an ſcilicet poſſit quis ad vitanda gravia tormenta alterius delictum occultum, aut aliud ſecretum aperire? Prænotandum eſt, nomine ſecreti intelligi rem, quæ alicui clanculùm manifeſtata in plurium notitiam nondum pervenit.

XII. Triplici pacto poteſt homo obligari ad non detegendum ſecretum: primò ex Lege naturali de non nocendo Proximo in Anima, Corpore, Honore, Fama, & Bonis Fortunæ: ſecundò ex promiſſione præcedenti, quatenus qui ſecretum audit, expreſsè, vel tacitè promittit ſe illud ſervaturum; & hæc obligatio ſemper oritur, quandò

dò res ita, & cum talibus circumſtantiis alicui narratur, ut appareat loquentem eis ſub ſecreto committere id, de quo loquitur. Tertiò ex Lege Sacramentali Confeſſionis, quatenus omnia peccata, & ea, quæ ad peccatorum confeſſionem faciendam ſunt narrata Sacerdoti; cadunt ſub Secreto, ſeu ſub ſigillo Sacramentali, quod in nullo umquam caſu violare licet; de quo videri poteſt Hieronymus Onuphrius, qui integrum Opuſculum de Sacro Sigillo perdoctè quidem, & eruditè conſcripſit.

XIII. Certum eſt, quòd qui ſivè ex expreſſa, ſivè ex tacita conventione ſe obligavit ſervare aliquid ſub Secreto, peccat graviter, ſi Secretum cum gravi damno ejus, qui ſibi illud commiſit, audeat revelare. Ita docent cum communi Sententia Sotus de Secreto tegendo memb. 1. q. 1. concl. 2., Navarrus cap. 18. num. 62., Molina tr. 4. diſp. 5., & 6., & alii, qui dicunt obligari ad Secretum ex tacita conventione Conſiliarios, Belli Duces, Medicos, Advocatos, Obſtetrices, Viros doctos, quibus ad capiendam inſtructionem, & conſilium revelantur arcana; deniquè veriſimiliter etiam Propinquos, & Amicos, quibus eadem ad ſolatium capiendum, vel ad auxilium impetrandum manifeſtantur. His poſitis,

XIV. Dicendum eſt primò, ſi per hoc, quòd Secretum alicujus privatæ Perſonæ celetur, reſultaturum ſit grave Reipublicæ detrimentum, aut gravis injuria alicui Perſonæ innocenti, licitum eſt illud revelare, quantum ſatis eſt ad malum illud avertendum. Ratio eſt, quia publicum Bonum eſt anteponendum privato, & ex ordine Charitatis obligamur liberare Innocentem ab injuria Nocentis, etiam cum iſtius aliquo damno, ſi Innocens alia via à tali injuria liberari non poſſit, ut communiter docent ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 70. art. 1. ad 2. S. Antonius 3. parte, tit. 17. cap. 22. §. 2. Sotus memb. 2. quæſt. 7. concl. 4. Rodriquez, Guttierez, & alii apud Layman lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 5. num. 2.

XV. Dicendum eſt Secundò, sì per hoc, quòd à te celetur Secretum, immineat tibi grave damnum, quod aliter vitare nequeas niſi revelando Secretum; licitum

est illud revelare, quamvis ei, qui illud tibi commisit, immineat ex tali revelatione periculum vitæ. Quarè si Cajus exempli gratia, qui ad consilium capiendum revelavit tibi perpetratum à se fuisse homicidium, de quo posteà tu falsò ab alio accusatus periclitaris vita, honore, ac divitiis, poteris tunc (si alia via non suppetat evadendi periculum,) revelare homicidium fuisse à Cajo commissum. Ratio est, quia tum in hoc, tum in aliis debitis cessat suscepta obligatio, quando hec sinè gravi detrimento sustineri non potest: nullus enim præsumitur, se voluisse obligare ad tegendum Secretum etiam in casu, in quo propter illud celandum, sibi aliquod grave damnum, aut non leve periculum immineret. Imò præsumitur, quemlibet juxta ordinem Charitatis velle potiùs propriæ, quàm alienæ incolumitati consulere. Ita Molina tr. 4. dis. 37. Layman. lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 5., & Lessius lib. 2. cap. 11. num. 55.

XVI. Limitatur tamen hæc doctrina, ut non procedat in quibusdam circumstantiis propter disparitatem rationis. Primò itaque non procedit, si Secretum in Confessione Sacramentali, aut in ordine ad eamdem Confessionem revelatum sit; secundò si ex revelatione Secreti periclitetur vita illius, qui secretum commisit, & ex non revelatione periclitetur non tua vita, sed aliud Bonum inferioris ordinis, ut Fama, vel divitiæ: tunc enim debet pensari prudentis arbitrio, an is, cui Secretum commissum fuerat, voluerit, vel debuerit velle in se suscipere obligationem illud celandi, etiam cum jactura propriæ Famæ, & suarum divitiarum: poterit autem Vir prudens id considerare ex his circumstantiis, an scilicet qui Secretum commisit, sit Innocens, aut Reus; an commiserit spontè, vel rogatus; an commiserit in suum proprium commodum, aut etiam in commodum ejus, cui commisit: nam propter has circumstantias Famuli à Secretis, Ministri, & Advocati, quibus propter officium Secreta committuntur, & salarium propterea recipiunt, obligantur strictissimè ad Secretum celandum. Hinc si quis expresè promittit, se servaturum Secretum; etiam cum vitæ pericu-

lo

lo, putant communiter Doctores teneri ad illud servandum etiam cum tali periculo. Ita docet Molina loco citato disp. 37. cum aliis: quia, cum talis promissio sit de objecto honesto, servanda est, fietque alteri injuria, si non servetur.

XVII. Oppositam tamen in partem inclinat Layman lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 5. num. 4., qui sentit repugnare Charitatis Legi, vitam exponere pro altero homine privato, ideòque censet talem promissionem esse de objecto inhonesto: quarè concludit, quòd licèt sit probabilis, imò communior sententia Molinæ, eam nihilominus non admitteret in casu, quo non agatur de maximo incommodo committentis Secretum, quia tunc certum est, inquit, nullam adesse obligationem illud servandi cum periculo vitæ, cum ex Lege Charitatis debeat ille potiùs subire suum minus damnum, quàm velle, ut alter Innocens in mortis periculum incidat.

XVIII. Quæres: An si quis vi, vel fraude notitiam Secreti assecutus sit, possit illud manifestare ad vitandam mortem, si propter hoc, alter, qui Secretum commisit, in æquale mortis discrimen conjiciatur?

Respondeo juxtà Sententiam Patris Layman, & aliorum apud ipsum, non posse revelare. Ratio est, quia fraus nemini debet patrocinari, ergò qui exempli gratia frangendo Sigillum Literarum, aut alio injusto modo Secretum alterius scivit, non debet ex suo delicto, & fraude patrocinium, & commodum reportare, quod utique non sequeretur, si ad vitandam mortem posset illud revelare cum periculo mortis alterius. Rursus quicumque injuriam alteri fecit, obligatur abstinère à continuatione ejusdem injuriæ; sed qui vi, vel fraude penetravit, & aperiendo illud cum alterius vitæ discrimine, talem injuriam continuaret; ergò obligatur abstinere ab aperiendo.

Nec refert, quòd in æquali periculo etiam ipse versetur, nam in pari casu melior est conditio Innocentis, qualis est ille, qui injustè læsus est, atque adeò nequit Lædens, ad vitandum mortis periculum, alterum in simile mortis discrimen conjicere, revelando Secretum. Ita

 ci-

citatus Layman lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 5. circa finem cum Soto, Navarro, & Molina.

XIX. Oppoſitum nihilominùs ſuſtinet Leſſius lib. 2. cap. 11. dub. 8. num. 55. Ipſius fundamentum eſt, quia quamvis aliquis rem alienam: exemgli gratia frumentum injuſtè abſtulerit, ſi tamen poſteà ad extremam neceſſitatem redactus ſit, poteſt illud conſumere, nec tenetur ipſum vero Domino reſtituere, quamvis hic eo tempore in ſimili neceſſitate verſetur; ergò etiam quandò quis vi, vel fraude notitiam Secreti obtinuit, ſi tali notitia indigeat ad vitam ſuam conſervandam, poterit ea uti, quamvis alter in ſimili periculo verſetur. Ad hoc autem fundamentum reſpondet Layman dicendo, quòd paritas allata non currit, nam diviſio rerum ab initio ita inſtituta eſt jure Gentium, ut in extrema neceſſitate omnia ſint communia; atque adeò etiam ſi aliquis peccaverit contra Juſtitiam, auferendo rem alienam, ſi tamen poſtea in extremam neceſſitatem incidat, ratione talis neceſſitatis ea res ſit ſua; atque adeò illam conſumens non conſumit alienum, ſed ſuum: at ille, qui Secreti alieni cognitionem vi, vel fraude obtinuit, non apparet, quomodò alieni Secreti Dominus fiat, & quomodò poſſit tali cognitione uti, cum æquali periculo ejus, cui injuriam fecit.

CAP. XV.

Quid ſit, & quot modis committatur Detractionis peccatum?

I. DEtractio eſt occulta, & injuſta denigratio Famæ alterius. Ità communiter definitur à Theologis ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 73. art. 1. quarè differt à Contumelia in eo, quòd Contumelia ſit per verba manifeſta, & in illius præſentia, cui fit, atque adeò lædit honorem: Detractio verò fit occultè, & lædit Famam: quarè minus peccatum eſt Detractio, quàm Contumelia, quia qui furtim

tim violat alienam Famam, reveretur aliquo modo illum, quem infamat, cum vi aperta ipsum non lædat: qui autem alicui detrahit in ejus præsentia, eique honorem tollit, infert vim scienti, & repugnanti, eumque confusione replet.

II. Detractio formalis, idest facta ex intentione lædendi graviter alterius Famam, est peccatum mortale, & quidem gravius Furto: hoc enim versatur circà divitias, Detractio verò circà Famam, seu bonum nomen, quod cum sit melius divitiis, dicente Spiritu Sancto Proverb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*, proptereà ejus violatio est longè gravior, magisque injuriosa Proximo, quàm violatio divitiarum. His positis,

III. Dico, quod octo modis committi solet Detractionis peccatum: quatuor enim modis directè, & quatuor aliis indirectè committitur. Primò itaque directè committitur imponendo falsum: secundò ampliando crimen verum: tertiò detegendo crimen occultum: quartò interpretando apud alios in malam partem alterius dictum, vel factum. Dixi *apud alios*, nam si tecum ipse interpreteris, non est Detractio, sed Judicium Temerarium. Indirectè verò committitur primò, sì negentur bona opera, vel prærogativæ, & Virtutes Proximi: exempli gratia sì dicatur, non esse hominem doctum, prudentem, pium &c., illum, qui reverà alias sit: secundò, si non negentur, sed extenuentur ejus prærogativæ: tertiò si taceantur loco, tempore, & aliis circumstantiis, in quibus prævidetur, quòd alii silentium illud in tacitam vituperationem sint accepturi: quartò deniquè, si ironica, seù simulata, vel frigida laudatione aliquis laudetur: nam, ut inquit Favorinus apud Gellium lib. 19. Noctium Atticarum cap. 3., *pejus est frigidè laudare, quàm apertè reprehendere*. Ità colligit ex D. Thoma Leonardus Lessius lib. 2. de Justitia cap. 11. dub. 2.

IV. A Confessario autem in hac materia advertendum est primò ad intentionem Detrahentis, nam si intendebat multùm infamare, licet hoc non sit secutum, quia Audientes non crediderunt, vel quia aliquid dixit, quod le-

leviter læsit, nihilominus mortaliter peccavit: secundò ad id, quod Detractor dixit, an secundùm se, & ex propriâ natura consideratum, sit infamatorium: tertiò ad Personam, de qua Detraxit, nam si sit malæ Famæ, ut Meretrix publica, publicus Usurarius, &c., non dicitur Diffamari: quartò ad Personam Detrahentis, an sit magnæ, vel parvæ apud homines existimationis; nam si tam parvi æstimarentur ejus dicta, ut Audientes non crediderint id, quod dixit, non Infamasset Proximum: quintò an Detraxerit nominibus generalibus, exempli gratia dicendo quempiam esse Superbum, Iracundum, Avarum, &c. cum enim regulariter his nominibus significari soleat inclinatio, vel venialis defectus, non est mortale ità detrahere. Dixi *regulariter*, nam fieri potest, ut dicantur aliquando de Persona talis dignitatis; aut coram hominibus, qui ea accipiant pro gravibus vitiis, & sic sit peccatum mortale nominibus etiam generalibus Detrahere, ut cum communi Doctorum firmat Lessius citato lib. 2. cap. 11. dub. 3.

CAP. XVI.

Utrum Audiens, vel Referens se audivisse Detractorem, graviter peccet?

I. REspondeo: dicendum est Primò, si ità audiat, ut inducat, excitet, aut animum addat ad detrahendum, non modò peccat ut Detractor, sed etiam magis. Ratio est, quia in his circumstantiis Audiens cooperatur efficaciter Detractioni, ergò peccat ut Detractor: quòd autem magis etiam peccet, ex eo patet, quòd non tantùm detrahit, ut facit Detractor, sed etiam est causa, ut alter detrahat, atque adeò inducendo illum ad detrahendum, peccat, non solùm peccato Detractionis, sed etiam peccato Scandali. Quarè D. Bernardus lib. 2. de Consi-
de-

deratione sub finem inquit: *Detrahere, vel Detrahentem audire, utrum horum detestabilius sit, non facilè dixerim.*

II. Si verò ità quis audiat, ut non addat animum Detractori, nec illum excitet ad detrahendum, sed tamen interiùs lætetur de Detractione, si hæc gravis sit, peccat mortaliter contrà Charitatem. Ratio est, quia ex præcepto Charitatis obligamur non lætari de malo Proximi; ergò si lætamur de Detractione gravi, cum hæc sit grave malum Proximi, graviter offendemus Charitatem Proximi, & consequenter mortaliter peccabimus.

III. Quòd si quis audiat, & non lætetur, sed tamen non impediat, cum possit sinè suo gravi incommodo, illam gravem Detractionem, adhuc mortaliter peccat contrà Charitatem. Ratio est, quia Charitas obligat unumquemque ad impedienda Proximi mala, si absque suo gravi incommodo hoc fieri possit: ergò qui gravem illam Detractionem non impediet, cum commodè possit, graviter contrà Charitatem peccabit.

IV. Imò si hic talis esset Superior, ad quem ex officio spectat impedire gravia mala Spiritualia Suorum Subditorum, & audiet Detractorem, non quidem lætando, sed non impediendo, cum posset, peccaret etiam contrà Justitiam, & in solidum cum Detractore ad Famæ restitutionem obligaretur, ut ex D. Thoma docet Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 4. qui rectè notat, quòd si quis solùm delectetur eloquentia Detractoris, vel curiosa cognitione factorum Proximi, non tamen desideret, ut ille Detrahat, nec ullo modo ad Detrahendum inducat, aut non desistat ab impediendo, cum commodè possit, aut debeat, non peccabit mortaliter, sed tunc solùm quandò, vel delectatur de damno Proximi, vel ità delectetur eloquentia, aut curiosa cognitione, ut placeat ei, quòd alter Detrahat.

V. Dicendum est Secundò: qui refert se audivisse aliquid grave de aliqua particulari Persona, nominando etiam Auctores, qui hoc dixerunt, ut Audientes possint rationabiliter induci ad credendum grave illud malum de Pro-

Proximo, peccat mortaliter contrà Juftitiam, & ad reftitutionem tenetur. Ità Sotus lib. 4. de Juftitia, & Jure quæft. 6. art. 3., Ratio eft, quia qui eft aliis caufa efficax malè Judicandi de aliquo in re gravi, aufert illi re ipfa efficaciter Famam; fed qui prædicto modo narrat audita, eft caufa efficax aliis malè Judicandi de Proximo; ergò re ipfa aufert illi Famam.

VI. Confirmatur hæc ratio, quia certum eft, quòd fi aliquis diceret abfolutè, Petrum commififfe Stuprum, & Audientes id crederent, peccaret mortaliter contrà Juftitiam, & ad Famæ reftitutionem teneretur; fed quandò narrat, fe audiviffe tali modo, vel nominando talem Authorem, ut alii crimen illud rationabiliter credant, eft caufa efficax, ut illi malè Judicent de illo, non minus ac fi narret, fe vidiffe; ergò peccat mortaliter contrà Juftitiam, & ad reftitutionem tenetur.

VII. Rurfus qui affert argumenta, feu rationes efficaces, per quas alii malè credant de aliquo, eft caufa efficaciter auferens illi Famam; fed qui, allegando alterius teftimonium fide dignum, malè loquitur de aliquo, affert argùmentum efficax, propter quod alii malè credunt de illo; ergò aufert illi efficaciter Famam, atque adeò peccat contrà Juftitiam. Ita cum communi Doctorum Leffius lib. 2 cap. 11. dub. 5. num. 28.

VIII. Dicendum eft Tertiò, quòd fi ita referat, ut probabile non fit, gravem indè infamiam Proximo obventuram, quia Audientes exempli gratia credituri non funt, non peccat mortaliter. Ratio eft, quia graviter non peccat, qui aliquid dicit, aut facit erga Proximum, quod probabiliter ei graviter non nocebit; fed in tali cafu id, quod ifte dicit, probabiliter non nocebit graviter Proximo; ergo non peccat mortaliter: & ita ex Scoto, Navarro, & aliis docet Leffius ubi fuprà num. 24.

IX. Dico Quartò fi quis referat, fe audiviffe de aliquo quidpiam grave, & advertat, quòd licet Audientes non haberent ex vi fuæ narrationis probabile, & fufficiens motivum illud credendi, attamen ex propria levitate funt credituri, non peccat contrà Juftitiam, fed tamen pec-

peccat graviter contra Charitatem tale crimen referendo. Ratio est, quia Præceptum Charitatis obligat nos ad abstinendum ab iis, ex quibus advertimus Proximum grave damnum esse passurum, [si tamen ab illis abstinere absquè nostro gravi incommodo possimus] ergo, &c. Quòd autem iste non peccet contrà Justitiam, nec ad restitutionem obligetur, patet, quia, quandò ejus sermo talis est, ut non sit sufficiens, nec idoneus ad inducendos Auditores, ut malè judicent de Proximo, si illi nihilominùs judicent, id provenit ex eorum levitate, & malitia, quæ tunc solùm est causa efficax talis damni: quarè qui dicit exempli gratia se ab hominibus fide indignis audivisse stuprum de Titio, & Audientes hoc credant, non est tunc ille, sed ipsorum malitia causa efficax sic credendi: undè licèt ipse graviter peccet, si hoc dicat intentione eos inducendi ad sic credendum, vel prævidens ita ex propria levitate, aut malitia credituros, quia tamen indicando Authores fide indignos, non cooperatur efficaciter ad tale Judicium, non violat Justitiam, sed Charitatem: ut cum Navarro, Adriano, Sylvestro, & aliis docet idem Lessius loco citato num. 25., & 26.

C A P. XVII.

Utrum aliquandò licitum sit crimen alterius occultum manifestare?

I. REspondeo, in aliquibus casibus hoc esse licitum, præsertim verò in iis, qui sequuntur.

Primò itaque licitum est, crimen alterius occultum manifestare propter justam sui defensionem, seù adhibito moderamine inculpatæ tutelæ. Quarè si quis occulto suo crimine injustè me ita aggrediatur, ut non possim me liberare à gravi meo damno, nisi ejus occultum verum crimen aperiam, possum illud aperire: sic quia ad me de-

 fen-

fendendum opus habeo accipere à Viro prudenti consilium, vel auxilium, aut reddere inefficacem Detractionem ejus, qui de me male loquitur, ostendendo ipsum non esse fide dignum, quia crimine aliquo occulto obstringitur, possum licitè occultum illud crimen patefacere. Ratio est, quia cuilibet competit de jure Naturæ se ab injusto Aggressore, medio licito defendere. Dixi *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, quia tunc solùm possum illud crimen occultum aperire, quandò eo non aperto, alia via injuriam refellere non possum: undè curandum est, ut illud tantum crimen aperiatur, cujus manifestatio sufficit ad necessariam defensionem, non verò manifestentur alia, quæ fortè Detractor habet: similiter quòd manifestetur solùm uni, aut tot hominibus, quot erunt præcisè necessarii ad illam defensionem, & non aliis; quia si aliter fieret, excederetur moderamen inculpatæ tutelæ, & graviter peccaretur, si materia esset gravis, tunc enim excessus ille non tenderet ad sui defensionem, sed ad offensionem Proximi, seu ad vindictam, quæ est illicita: quarè ut ex communi docet Layman lib. 2. tr. 3. p. 2. cap. 3. num. 5., si possim me defendere aperiendo alterius crimen, & non nominando Personam, debeo ab ea nominanda abstinere.

II. Secundò, licitum est occultum aliquod crimen detegere, quandò id necessarium est ad impediendum damnum, quod ex nequitia peccantis Reipublicæ, vel tertiæ Personæ innocenti immineret: semper tamen illud observando, quod ei tantùm detegatur, qui cum minori detrimento peccantis potest damnum impedire, ne alioquin majus ex detectione malum subsequatur.

III. Tertiò, quandò quis peritum in aliqua Arte, vel Scientia se fingeret, aut pro tali falsò haberetur, licitum esset illius imperitiam detegere iis, quibus damnum aliquod ex tali fictione, aut deceptione immineret, quantum opus foret ad damnum devitandum. Undè Ferdinandus Rebellus lib. 4. de Obligationibus Justitiæ p. 1. q. 2. rectè docet, quòd si quis majorem Famam, quam par est quo ad Scientiam haberet, tu verò ex iis, quæ in ipso conspiciuntur, vel ab eo dicuntur, rectum judicium illius

lius Scientiæ debitis meritis dignum proferres, non faceres illi injuriam, nec peccatum committeres: dummodò tamen id non ex odio, invidia, aut alio aliquo pravo ergà illum affectu faceres (in quibus tamen casibus contrà Charitatem tantum, & non contra Justitiam peccares.) Ratio est, quià in eo casu vitium occultum non manifestares, sed errantium potiùs judicium corrigeres, tribuendo homini id, quod ex iis, quæ apparent, & natura rei postulat, tribuendum videtur.

IV. Nequè obstat quòd ille sit in possessione talis Scientiæ apud alios, undè illicitum videatur illum ab ea æstimatione deiicere: nam respondetur, quòd talem æstimationem, & Famam non acquisivit, sed furatus est, cum reverà talem Scientiam, quam finxit, vel quæ de eo falsò creditur, non habeat: ac propterea sicuti licitum est rem aliquam furto sublatam à Fure auferre, eamque vero Dominio restituere, ita etiam licebit Scientiæ æstimationem injustè ab aliquo acquisitam, detegendo errorem, & exiguitatem doctrinæ, illis, à quibus per injuriam extorta fuit, quodammodò restituere.

V. Periculum tamen est, ne hoc ex invidia, aut alio pravo fine fiat; undè nemini consilium dandum censeo, quòd hoc faceret, nisi quandò de Proximi damno avertendo ageretur.

VI. Quartò licitum est, crimen alicujus occultum patefacere, quandò hoc fit à potestate publica ob justam criminis comissi pænam, & in aliorum exemplum, ut timore infamiæ à similibus delictis abstineant.

VII. Quintò denique licitum est, si hoc Bono communi, aut Bono spirituali ipsius infamati expediat: sic verbi gratia si quis ad Sacros Ordines, vel ad Beneficium curatum sit promovendus cum probabili periculo notabilis damni Spiritualis, vel sibi, vel animabus sibi committendis inferendi propter inveteratum aliquod vitium occultum tibi notum; posses, imò ex præcepto Charitatis tenereris istam hominis indignitatem Prælato aperire, modò tamen ex tali revelatione fructus speraretur: Ratio est, quia tam Bonum commune, quàm Spiritualis illius, & aliorum Salus Famæ ipsius sunt præponenda. Ita Rebellus ubi suprà n. 3. in fine.

CAP. XVIII.

An liceat aliquem, qui in uno loco diffamatus est, in alio etiam, ubi Famam non amisit, Infamare?

I. DUpliciter potest aliquis Infamari: Primò per Sententiam publicam, secundò per Notorietatem facti, verbi gratia in aliqua Vicinia, Urbe, aut Provincia. Si primò modo sit aliquis infamatus, probabile est, non esse peccatum mortale, saltem contra Justitiam, illum diffamare in aliis locis, ubi diffamatus non est, si hæc loca commercium habeant cum illo, in quo Famam per Judicis sententiam amisit. Ita ex Ledesma, Cajetano, & Navarro, Rebellus p. 1. de Obligationibus Justitiæ lib. 4. quæst. 4. n. 7. Ratio est, quia quandò quis per Sententiam Judicis Famam amisit, jus ad illam ampliùs non habet, cum sit ea privatus à Judice habente talem potestatem ob Bonum publicum; ergò non peccabit, saltem contra Justitiam, qui delictum per Sententiam Judicis publicatum manifestat in aliis locis cum eo, in quo Sententia lata fuit, commercium habentibus. Vide etiam Layman lib. 3. tr. 3. de Just. p. 2. cap. 3. num. 10.

II. Dixi *Saltem contra Justitiam*: certum enim est, quòd esset peccatum contra Charitatem Infamare Proximum in illis locis, ubi Famam non amisit, quamvis alibi per Sententiam Judicis fuerit diffamatus: nisi hoc fieret ad avertendum grave aliquod damnum Reipublicæ, aut ad aliquod magnum Bonum promovendum. Quamvis probabile putet Layman ubi supra, nec contra Charitatem in hoc casu peccari.

III. Quandò autem ob loci distantiam, vel commercii

cii carentiam credibile foret, quòd alicujus delictum per Sententiam Judicis (secus si per Notorietatem facti) publicatum, eò non esset perventurum, tunc, ait Navarrus, & Ledesma apud citatum Rebellum num. 8., quòd esset mortale peccatum contrà Justitiam, & consequenter restitutioni obnoxium, illius infamiam ibidem detegere; quamvis ob rationem supra num. 1. adductam probabile putet idem Rebellus, quòd etiam in hoc casu solùm esset peccatum contrà Caritatem, ac propterea absquè onere restitutionis. Imò quòd neque sit peccatum contra Charitatem rectè docet de Lugo disp. 14. de Justia sect. 6. n. 71.

C A P. XIX.

De Obligatione restituendi Famam.

I. AD hoc ut adsit obligatio restituendi Famam, tria communiter Doctores requirunt. Primum est, ut Fama re verà sit ablata: non sufficit enim solus animus, & sola intentio Infamandi, ut enascatur obligatio restituendi, licet hæc sufficiant ad hoc, ut peccatum committatur, & quidem contrà Justitiam: exempli gratia si aliquod malum de alio dixeris cum intentione illum infamandi, sed tamen aut audientes tibi non crediderunt, vel jam illa persona talis mali Infamia publica laborabat, peccasti quidem ex pravo animo contrà Justitiam, ad restitutionem tamen non obligaris, cum re verà tuo dicto Famam non abstuleris. Tamburinus in Decalogum lib. 9. c. 3. §. 3. num. 12.

II. Secundò requiritur, ut Famam auferendo contrà Justitiam formaliter peccetur: quarè si Judex, verbi gratia justè aliquem condemnando Famam lædat, & hoc faciat cum odio ad illam Personam, & cum animo eidem nocendi, licet peccet contrà Charitatem ob pravum animum, & affectum, ad restitutionem tamen non obligatur, cum non peccaverit contrà Justitiam talem Personam in-

Infamando. Ex eadem etiam ratione qui Detractoribus obsistere tenentur ex lege solius Charitatis, si hoc non faciant, peccant quidem, sed ad restitutionem non obligantur.

III. Ex eodem fundamento, si aliquem omninò inculpatè, aut etiam cum culpa solùm veniali læsisti; ut verbi gratia si credens peccatum esse publicum, illud aliis retulisti, ad restitutionem ex Justitia non obligaris; non enim teneris ex injusta actione, aut damno illato, quia in Famæ ablatione nullatenus, vel saltem non graviter, deliquisti; nec teneris ex re accepta, quia nihil alienum mala fide accepisti, & ex alia parte nihil apud te extet, nec in aliquo sis factus ditior; ergo ex nullo capite ad Famæ restitutionem ex Justitia faciendam obligaris, ut rectè notat cum Emmanuele à Conceptione Joannes Euphiates in sua doctissima Cynosura Neoconfessariorum nuper edita, & à me maxima animi voluptate perlecta p. 1. punct. 22. num. 182. in fine. Nec dissentiunt aliqui apud Tamburinum lib. 9. in Decalogum cap. 3. §. 3. num. 8. qui tamen illis non consentit; docet enim in hoc casu adesse obligationem restituendi ex Justitia, licèt non cum tanto incommodo, ac si culpa gravis cum plena deliberatione in Infamando commissa fuerit.

IV. Dixi *ad restitutionem ex Justitia non obligaris*, certum enim est, te obligari ex Charitate: undè si absquè tuo gravi incommodo possis Famam restituere, & damnum grave ex tuo dicto, licet omninò inculpato, aut solùm venialiter malo obventurum impedire, & non facias, proculdubio mortaliter peccabis.

V. Tertiò, deniquè requiritur, quòd remissionem ab Infamato non obtiueris, aut quòd alia via ipse Famam non recuperaverit; si enim Infamatus sponte sua restitutionem tibi remiserit, aut prudenter præsumatur tibi remittere, sicuti etiam si aliquo modo infamia omninò abolita fuerit; ad restitutionem non obligaris. Ita cum Navarro Rebellius p. 1. de Obligationibus Justitiæ lib. 4. p. 8. n. 4. in fine.

VI. Primus modus restituendi Famam quandò hæc per falsi

falsi criminis appositionem ablata fuit, est, revocatio dictorum: & hæc ab Infamante fieri debet, quandò opus sit, etiam jurando se mentitum fuisse, coram illis, apud quos Proximum Infamavit. Imo si fides adhuc non habeatur, & probabiliter habitura præsumatur, si testes adhibeantur, teneri Infamantem ad hos adhibendos docent Sotus, & Corduba, quos citat, & sequitur Rebellus ubi suprà quæst. 10. num. 1., quamvis in hoc contrarium doceat Navarrus cap. 18. num. 45. cum aliis.

VII. Quandò autem infamatio facta fuit per injustam veri, sed occulti Criminis propalationem, tunc restitutio facienda est non per revocationem dictorum, hoc etenim esset mendacium, sed aut dicendo, se non potuisse loqui eo modo de Proximo, se malè loqutum fuisse, &c. aut eamdem Personam in eodem genere laudando: & hic modus restituendi videtur facilior, quem approbat etiam cum Tannero, Valentia, Lessio, Fausto, & Arragonio, Antoninus Diana p. 3. tr. 5. resol. 30. contrà Layman, Sylvium, & Filliuccium, hunc modum restituendi non esse sufficientem contendentes.

VIII. Secundus modus restituendi est per compensationem in alio genere Bonorum, ut verbi gratia per pecuniæ exhibitionem, &c. hoc tamen tunc solùm locum habere, quandò proprio in genere Famæ restitutio fieri non potest, asserunt Adrianus quodlib. 11. quæst. 1. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 6. punct. 5. Molina tr. 4. disp. 45. n. 3. Sa v. *Infamia* n. 7. Sylvius in 2. 2. D. Thomæ quæst. 62. art. 2. & Villalobos in Summa tom. 2. tr. 11. difficult. 39. num. 5.

IX. Quamvis contrarium probabiliter etiam doceant cum Sylvestro, Lessio, Petro, Navarro, Maldero, Turriano, & Fabro, Filliuccius tom. 2. tr. 32. cap 10., & Layman lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 7. num. 3. quia, ajunt, Fama, & pecunia non sunt res æquivalentes, nec Bona ejusdem ordinis, undè inter se commutationem non recipiunt. Quarè juxtà horum Doctorum Sententiam qui Famam à se injustè ablatam restituere non potest, non tenetur hanc pecunia compensare.

Ter-

X. Tertius, & quidem optimus modus eſt ex D. Antonino 2. p. tit. 2. cap. 2. §. 3. Soto memb. 1. de Secreto quæſt. 3. Adriano, Navarro, & aliis, ſi remiſſio Infamiæ ab Infamato, ſivè per ſe, ſivè per alium obtineatur: cum enim unuſquiſque ſit propriæ Famæ Dominus [quidquid in contrarium aſſerant Cajetanus 2. 2. quæſt. 73. art. 2. & Major in 4. diſt. 15. quæſt. *16.*] rectè poterit ab obligatione illa reſtituendi liberare. Opus tamen eſt, ut Infamatus intelligat, ſaltem in genere, quantitatem damni per infamationem paſſi; niſi diceret, ſe remittere Infamanti obligationem reſtituendi quantumcumque magnum fuerit damnum ex tali infamatione receptum.

C A P. XX.

In quibus nam caſibus vel differri, vel omitti poſſit Reſtitutio Famæ.

I. EMinentiſſimus Cardinalis Cajetanus 2. 2. quæſt. *62.* art. *6.*, & Navarrus cap. 17. num. *56.*, & 8*9.* pro regula ſtatuunt, neminem eſſe obligatum ad ſatisfaciendum damno inferioris ordinis Proximo illatum cum detrimento ſuorum Bonorum ordinis ſuperioris: quarè cum inter Bona temporalia Vita Honorem, ac Famam, Honor verò, & Fama Bona Fortunæ antecellat; ajunt, non dari obligationem reparandi damnum Bonorum Fortunæ cum detrimento propriæ Famæ, Honoris, aut Vitæ, ſicuti nec damnum Famæ, aut Honoris cum periculo Vitæ.

II. Hæc tamen regula ſic abſolutè accepta non placet Soto lib. 4. de Juſtitia quæſt. *6.* art. 3. & quæſt. 7. art. 2. Adriano quæſt. 4. de Reſtitutione, Majori in quartum diſt. 15. quæſt. 17., & aliis: cum enim damnum ſuperioris ordinis, quod quis patiatur ex reſtitutione Boni inferioris ordinis, interdum poſſit eſſe tam parvi momenti, ut multo minoris æſtimetur, quàm magnum damnum Boni inferio-

rioris; non videtur posse permitti, quòd quis deobligetur à restituendo damno inferiori alicujus magni momenti, ex eo quod hoc restituere non possit absque aliquo levissimo damno in Bonis ordinis superioris: undè dicendum est, quòd, quando Bonum Famæ, ac Honoris injustè ablatum longè minoris æstimationis sit apud prudentes, quàm vita, aut Honor Infamantis; non tenetur hic cum probabili periculo vitæ, aut Honoris ad talis Infamiæ satisfactionem; si verò Bonum Famæ injustè ablatum longè pluris æstimetur, quam damnum superioris ordinis Infamantis, tenetur hic Famam etiam cum tali damno restituere. Ita Rebellus lib. 4. de Obligat. Justitiæ quæst. 13. Sotus ubi supra, Covarruvias in Regula *Peccatum* p. 1. n. 76. & alii.

III. Contrarium nihilominùs probabile etiam existimo, præcipuè si agatur de periculo vitæ: tunc enim videretur esse contrà dictamen Rationis, Regulasque Prudentiæ Famam restituere, ut rectè monet ex Diana p. 3. tr. 5. resol. 30. in fine, Philippo Fabro in 4. sent. dist. 15. de restitut quest. 3. disputat. 53. cap. 4. num. 121, & Cajetano 2. 2. quæst. 63. art. 6. Jacobus Mancinus in Practica visitandi Infirmos practica 6. in Addition. dub. 7.

IV. Excipe tamen, quandò ex Infamia alteri falsò illata hic vitæ periculum subeat, vel aliquod grave malum Reipublicæ impendeat; tunc enim adesset obligatio restituendi Famam etiam cum vitæ periculo, dummodò prudenter credatur, retractationem esse Innocenti profuturam. Ratio est, quia in periculo æquali rectè postulat Justitiæ ratio, ut potiùs damnum subeat Nocens, quàm Innocens, cum melior debeat esse hujus conditio, quàm Nocentis. Ità Tamburinus in Decalog. lib. 9. cap. 3. §. 3. num. 21. Rebellus loco citato num 2., & alii communiter.

V. Excusatur etiam à restitutione Famæ ille, qui prudenter cognoscit Audientes nullo modo Fidem ei habituros, si se de Detractione facta retractet. Ratio est, quia in hoc casu Famæ restitutio est superflua, cum suum effectum non sortiatur; ergò non est, cur ad illam Detra-

ctor obligetur : sì verò esset dubium , an retratactio esset profutura , vel non , tunc absolutè teneretur Detractor Famam , se retractando , restituere : cum in dubio melior debeat esse conditio illius , qui injustè fuit Infamatus . Ità Tamburinus ubi suprà num. 18.

VI. Similiter ad Famæ restitutionem Detractor non obligatur , quandò certò constat , secus quandò est dubium , quòd Infamatus aliundè Famam recuperaverit ; puta suis bonis moribus , aut assertione , vel testificatione proborum Virorum , &c. Ratio est , quia in tali casu Infamatus nullum in Fama damnum patitur . Sì verò pro illo medio tempore , quod intercessit inter Famæ ablationem , & recuperationem , aliquod damnum passus fuerit , ut si propter Infamiam aliquod Beneficium , Pensionem , aut munus aliquod lucrativum obtinere non potuerit , utique teneretur Infamator in tali casu damnum ex injustà Infamatione ei proventum reparare . Ità Reginaldus lib. 10. num. 337. , Valentià Tom. 3. disp. 5. quest. 6. punct. 4. , & Fagundez , tom. 2. in Decalogum lib. 8. cap. 14. num. 2.

VII. Non adest etiam obligatio restituendi Famam ex probabiliori sententia Doctorum apud Dianam p. 3. tr. 5. resol. 30. qundò duo æqualiter se invicem Infamarunt . Ratio est , quia in hoc casu adest inter ipsos compensatio : cavendum tamen est aliorum Scandalum : undè necesse est , quòd illi , apud quos quis alterum Infamavit , sciant vice versa eum ab illo Infamatum fuisse , ne ex non factà restitutione ex parte illius , qui secundò Infamavit , Scandalizentur .

VIII. Advertendum tamen est ex Tamburino in Decalogum lib. 9. cap. 3. §. 3. num. 17. non ideò esse licitum alium Infamare eo titulo , ut compensetur Infamia ab altero illata : hoc enim esset vindictam sumere , quod privatæ Personæ non licet : sed solùm conceditur , quod, quandò ex utraque parte æqualis Infamia jam sit sequuta , neuter ex illis ad Famæ restitutionum obligetur .

IX. Non tenetur pariter Infamator ad Famæ restitutionem , ut jam diximus , quandò id , quod contrà Tertium

tium dixit, oblivioni certò moraliter traditum existimatur. Ratio est, quia in hoc casu illi, qui Detractionem audierunt, nihil mali in eorum mentibus de illo Tertio retinent; ergò non est, quod Infamator restituere teneatur. Ità Reginaldus, citato lib. 10. num. 340. Petrus Navarra, Rebellus, & alii, qui rectè notant, non teneri Infamantem eos interrogare, an de Infamia à se illata recordentur, hoc enim esset illos ad Infamiæ reminiscentiam excitare, sed sufficit si hujus rei oblitos esse certò moraliter existimet.

X. Dixi *certò moraliter*, nam, ut rectè notat Tamburinus ubi Suprà num. 14. si dubium sit, an oblivioni data sit Infamia, adest obligatio restituendi, cum in hoc casu certa sit Infamia, & excusatio à restituenda Fama sit dubia.

XI. Notandum hìc obiter cum eodem Tamburino ibidem num. 12. quòd quandò Detractori non fuit ab Audientibus fides adhibita, quia ab eis mendax judicabatur, aut quia cognoscebant illum ex ioco, aut ex ira, & odio Detrahere; tunc à restitutione deobligabitur: Ratio est manifesta, quia in hoc casu Infamatus nullum damnum recepit, cum Audientes delictum de eo à Detrahente publicatum re vera non crediderint; ergò ad nihil Infamator restituendum tenebitur.

XII. Quæres, an Infamator, qui crimen alterius occultum uni tantum Personæ dixit, sed hæc aliis posteà revelavit, teneatur Famam restituere apud illos omnes, qui id sciunt, vel apud illum tantùm, cui ipse tale crimen aperuit? Respondeo, quòd si, quandò infamavit, probabiliter dubitaverit, illum, cui ipse crimen occultum aperiebat, id esse aliis revelaturum, ad restitutionem obligatur non solùm apud illum tantùm, cui crimen occultum patefecit, sed etiam apud omnes alios, quibus iste pòsteà tale crimen revelavit. Si verò de hoc non dubitaverit, ad restitutionem non obligatur, nisi illi tantùm Personæ, cui crimen manifestavit. Ratio est, quia in primo casu censetur causa efficax illius diffamationis, secùs verò in secundo, in quo diffamatio formaliter imputatur illi

Personæ, quæ crimen occultum sibi revelatum aliis propalavit. Ita ex Filliuccio, Turriano, Rebello, & aliis docet P. Jacobus Mancinus in Additione ad Practicam visitandi Infirmos Practica 6. dub. 2.

XIII. Quæres iterum, an qui narrat alterius peccata, quæ ab aliis audivit, sed cum asseveratione, se de illis nihil certò scire, seù, ut vulgò dici solet, *salvo la verità*, peccet, & ad restitutionem teneatur?

Quamvis non desint Doctores, qui afferant in tali casu Detrahentes non peccare contrà Justitiam, & consequenter nec ad restitutionem obligari, quia communiter sic relatis fides non adhibetur, nihilominus probabilius existimo, eos contrà Justitiam peccare, & ad restitutionem obligari; quia talis assertio ferè semper aliquam malam opinionem in mentibus Audientium generat, undè graviter læditur alterius Fama: excipe tamen quandò fortè ex circumstantiis Detractor Audientes nullam omninò fidem suis dictis habituros certò moraliter judicet. Ita Malderus 2. 2. tr. 7. cap. 1. dub. 13. Turrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 53. dub. 10. num. 8. Navarrus, Molina, & Lessius, quos citatos sequitur Paulus Layman lib. 3. de Justitia tr. 3. p. 2. cap. 3. num. 7.

XIV. Quæres deniquè an mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur, qui delictum alicujus occultum duobus, verbi gratia, Viris prudentibus, ac taciturnis, quos scit illud non esse evulgaturos, manifestet?

Hoc dubium proponit P. Jacobus Mancinus citata Practica 6. in addit. dub. 16., & ad illud affirmativè respondet: quia, inquit, per hoc Infamatus bonam sui existimationem apud illos amittit, & ex alia parte Præceptum de non infamando Proximum est absolutum, non verò conditionatum, scilicet apud illos tantùm, qui sunt crimina revelata aliis dicturi: & citat prò se Suarium tom. 4. disp. 34. sect. 1., Sotum lib. 5. de Justitia quæst. 10. art. 2. concl. 4. Villalobos in Summa tom. 2. tr. 11. difficul. 36. num. 8., additque, se nescire, an, qui contrarium sentiunt, de se ne quidem peccatum veniale apud Santissimos Viros propalari vellent.

Op-

XV. Oppositum nihilominùs censent quamplurimi Doctores. Ratio est, quia revelando crimen aliquod occultum uni, vel duobus probis Viris in morali hominum æstimatione perindè, est ac si crimen taceretur; cum illi duo Viri non sint aliis crimen illud propalaturi, & ex alia parte apud ipsos non amittatur statim per alicujus criminis notitiam bona existimatio, cum sciant naturali hominum fragilitati, & humanis infirmitatibus compati: & ita docent Reginaldus, Lessius, Azorius, Diana, Bonaccina, aliique apud Dicastillum lib. 2. de Justitia tr. 2. disp. 12. p. 2. dub. 8. Excipit tamen cum Lessio Tamburinus in Decalogum lib. 9. cap. 3. §. 2. num. 7. quandò prudenter judicatur, quòd quis rationabiliter nolit, ut sua Fama apud aliquem in particulari, à quo multum dependet, denigretur: tunc enim esset grave peccatum, crimen aliquod occultum tali Personæ revelare, rectè existimat.

Opusculi de Fama, & totius Operis

FINIS.





INDEX

ALPHABETICUS RERUM NOTABILIUM, QUÆ IN HIS MORALIBUS PRINCIPIIS, ET OPUSCULIS CONTINENTUR.

A

Be-

B

C

lia, & merè Ecclesiastica. In Opusculo 3. cap. 8. n. 3.

Commodatarius, qui dubitat, an res commodata sua culpa perierit, an teneatur ad restitutionem. In Principiis cap. 6. num. 59.

Commutare Vota quis possit, & qua de causa. In Opusc. 6. num. 2., & 6.

Commutationem Juramenti quis possit facere, & qua de causa. In Opusculo 4. cap. 7., & 8.

Complicis absolutio in re Venerea declaratur nulla in Synodo Florentina Anni 1710. In Principiis cap. 9. num. 14. 15., & 16.

Concubitus conjugalis in Ecclesia habitus an sit Sacrilegus. In Principiis cap. 11. num. 13. 14. 15., & 16.

Confeßarius tenetur absolvere Pænitentem, qui vult sequi opinionem benigniorem contrà rigidiorem ipsius Confessarii, dummodò illa benignior sit verè, & certò moraliter probabilis, & non solùm tenuiter, aut dubiè talis. In Principiis cap. 5. num. 22.

Confessarius debet absolvere sub conditione moribundum, qui, licèt non dederit signa Contritionis, solitus tamen fuit Christianè vivere. Ibi num. 23.

Confessarius dubitans, an Pœnitens inciderit in casum reservatum, potest illum absolvere. In Principiis cap. 6. n. 46.

Confeßarius, qui dubitat, an Puer, qui confitetur, habeat usum rationis, potest illum absolvere sub conditione. Ibidem cap. 6. n. 67.

Confeßarius qmomodo se gerere debeat cum Scrupulosis. Ibidem cap. 7. n. 25. 26., & 27.

Confessarius quomodò se gerere debeat cum Pænitente ignorante Mysteria Fidei. In Opusc. 1. cap. 4. n. 2., & 3.

Confessarius quando nam teneatur interrogare Pœnitentem de Mysteriis Fidei. In Opusculo 1. cap. 7. n. 1. & 2.

Confessio debet fieri de numero, specie, ac circumstantiis peccatorum, nec sufficit in materia mortali dicere numerum in confuso, sed debet dici certus, & determinatus, quandò hic scitur. In Principiis cap. 8. n. 10., & 11.

Confessus aliquod peccatum, de cujus numero certò non recordatur, cum particula circiter, non tenetur iterùm confite-

D

neficium retin re, & fructus percipere, cum possessio stet pro carentia delicti. Ibidem n. 83.

Dubitans de actione Proximi, an prava, vel bona sit, non tenetur positivè judicare esse bonam, sed sufficit, si negativè se habeat. Ibid. n. 87.

Dubitans utrùm aliquis effectus proveniat à causa naturali, vel à Dæmone, an possit aliquandò licitè talem effectum procurare. In Opusc. 1. cap. 13. n. 9.

Dubitare de gravi peccato Proximi, an si mortale. In Opusc. 7. cap. 3. per totum.

Dubitat quis, an res, quam bona fide possidet, verè sit sua, potest illam retinere, donec illi certò constet eam esse alienam. In Principiis cap. 6. num. 28., & 56.

Dubitat quis, an consenserit pollutioni nocturnæ, præsumendum ne est consensisse? In Principiis cap. 6. n. 86.

Dubium quid sit, & quomodò dividatur in positivum, & negativum, in dubium Juris, & in dubium facti. In Principiis cap. 6. n. 1., & 2.

Dubium deponi debet ex motivo aliquo rationabili, ad hoc ut formari possit judicium practicum certum. Ibid. n. 6.

Dubium negativum in his, quæ à nostra voluntate processerunt, non posse dari, latè probatur cum Caramuele. Ibid. n. 44.

Dubius de Voto, aut Juramento non tenetur ad eorum impletionem, etiam si habeat rationes probabiliores pro Voto, aut Juramento. Ibidem n. 11.

Dubius, an recitaverit Horas Canonicas, tenetur recitare: secùs si certus sit de recitatione, dubius autem, an sufficientem attentionem habuerit in recitando, tunc enim potest præsumere illam habuisse, cum delictum non præsumatur. Ibidem n. 22., & 23.

Dubius de valore Matrimonii jam bonâ fide contracti, potest ubi Matrimonio. Ibidem num. 29.

Dubius, an aliquis sit Legitimus, debet præsumere eum esse talem, unde Expositi, de quorum Parentibus dubitatur, habendi sunt prò Legitimis, & ut Ordines recipiant dispensatione ab irregularitate ex defectu natalium non indigent. Ibidem n. 31., & 32.

Dubius, an commiserit peccatum, nec ne, vel an peccatum

E

Examen conſcientiæ an, & quandò Sacramentali Confeſſioni ſit præmittendum. In Principiis cap. 8. n. 1. ad 5.

Excommunicatio in dubio non incurritur. In Principiis cap. 6. n. 62.

F

F*Aciens actionem, quam putat malam, non advertens tamen, an ſit graviter, vel leviter peccaminoſa, peccat ſolùm venialiter ex probabili Doctorum ſententia. In Principiis cap. 20. n. 36. 37., & 38.*

Factum in dubio non præſumitur, ſecùs verò quandò conſtat de facto principali, dubitatur verò de acceſſorio, quod debuit, aut conſuevit fieri, tunc enim acceßorium præſumitur. In Principiis cap. 9. n. 10.

Facultas commutandi Vota, quæ in Jubilæo concedi ſolet, quomodò intelligenda. In Opuſc. 6. cap. 6 n. 5., & 9.

Falſum crimen ſibi imponere ad vitanda gravia tormenta an ſit mortale. In Opuſc. 7. cap. 14. à n. 1. ad 10.

Fama quid ſit, & quanti facienda. In Opuſc. 7. cap. 1. per totum.

Fama quomodò differat ab honore, & honor à reverentia. In Opuſc. 7. cap. 1. n. 2., & 3.

Fama an pluris ſit facienda, quam Vita. Ibidem n. 5. 6., & 7.

Famæ reſtitutio quandò, & quomodò facienda. In Opuſc. 7. cap. 19. per totum.

Famæ reſtitutio in quibus nam caſibus vel differri, vel omninò omitti poſſit. In Opuſc. 7. cap. 20. per totum.

Fæminæ Chriſtianæ an poſſint Filios Hebræorum lactandos ſuſcipere. In Opuſc. 1. cap. 9. n. 5.

Fidei actus in mortali elicitus an ſit meritorius. In Opuſc. 1. cap. 1. n. 8.

Fidei actus quo tempore eliciendus. In Opuſc. 1. cap. 5. à n. 1. ad 7.

Fidei Myſteria actualiter, & explicitè credenda ex neceſſitate medii, quæ nam ſint. In Opuſc. 1. cap. 2. per totum.

Fi-

I

L

M

Male-

N

O

Opi-

P

R

S

Su-

Votum sæpiùs renovatum frangere an multiplex sit peccatum. In Opusc. 6. cap. 3. n. 5.

Vovens præsumitur semper se voluisse gravare minùs, quàm potuit. In Principiis cap. 6. à n. 15. ad 20.

Vovens, qui dubitat, an ante septennium Votum emiserit, sed tamen certus est, se habuisse perfectum rationis usum, tenetur ad Votum, quià in hoc non attenditur ætas, sed usus rationis. Excipiuntur tamen Vota solemnia Religionis, pro quorum valore ex Tridentino ætas sexdecim annorum requiritur. In Princ. cap. 6. n. 24.

Vovens jejunare in quatuor anni temporibus, quando aliàs non obligatur, si dubitet, an intentionem habuerit abstinendi etiam à Lacticiniis, non tenetur ab his abstinere, cum jejunium possit etiam cum horum comestione servari. In Princ. cap. 6. n. 54.

Vovens aliquid sub aliqua conditione an teneatur curare, quòd talis conditio adimpleatur. In Opusc. 6. cap. 2. n. 11., & 12.

Vovens, qui non potest totum Votum implere, an teneatur ad partem. In Opusc. 6. cap. 3. n. 1., & 2.

Vovens ad Votum non obligatur, quandò cessat finis principalis Voti. Eodem cap. 3. n. 9.

Vovens an possit ex se suum Votum in melius, aut etiam in æquale commutare. In Opusc. 6. cap. 6. n. 2.

Vovere rem venialiter malam an sit peccatum grave. In Opusc. 6. cap. 1. n. 8.

Utilitas propria an sit causa sufficiens licitè suspicandi malum de Proximo. In Opusc. 7. cap. 5. per totum.

Uxor an Eleemosynas possit facere de Bonis Mariti. In Opusc. 3. cap. 7. n. 6. 7. 8., & 9.

FINIS.

Omnia, quæ in hoc Libro continentur, Sanctæ Romanæ, & Universalis Ecclesiæ judicio, & correctioni subjiciuntur.

ERRATA NOTABILIORA			SIC CORRIGENDA
Pag.	lin.		
13	28	qua	quia
14	23	Probabiliſtarum	Probabilioriſtarum
32	2	novit	vovit
37	31	de obligatione	deobligationem
62	15	proximo	proximum
62	16	articulo	articulum
71	7	hæc	hæ
72	24	Benedicto	Benedicti
89	20	reſervatis	reſervatio
101	11	convincta	coniuncta
126	22	Tamburi	Tamburini
134	36	vero	vera
143	2	illam	illa
144	5	præcepto	præcepti
154	20	cædat	cedat
188	2	illis	ullis
222	24	propopria	propria
223	30	tum	tunc
226	17	qui turpia	qui valde turpia
227	8	quæſt. 87	quæſt. 78.
227	18	haberi	habere
245	5	amphibologiis	amphibologiis eſt
249	17	domu	domo
255	ultim.	blaſphemium	blaſphemum
256	ultim.	exterius credat	exteriùs proferens, etiam interiùs credat
257	17	peccaminoſæ	peccaminoſa
260	5	aſſet	eſſet
264	27	intelligentur	intelliguntur
269	18	incnrſum	incuſſum
272	2	obligaſſe	obligare
288	2	non includatur poteſtas diſpenſandi	includatur poteſtas commutandi
290	5	aſenſus	aſſenſum
290	ultim.	oppoſitam	oppoſita
291	2	ut	&
293	9	moraliter	mortaliter
294	4	hebere	habere
299	25	indiciſſe	incidiſſe
300	2	indiciſſe	incidiſſe
300	17	probabilius	probabimus

313	2	eis	ei
315	31	penetravit &	penetravit alterius ſecretum, injuriam alteri fecit, &
326	15	per uphiates	per uphrates
326	31	obtiveris	obtinueris
328	8	illa	illam
328	19	illatum	illato
337	8	cap. 7. & 8.	Cap. 7. n. 7. & 8.
340	19	Opuſc. 7.	Opuſc. 7. cap. 16.
343	23	has	hæ
344	13	cap. 9.	cap. 6.

